


Jens
ZFF



THEOLOGIA

MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGIÆ LICENTIATI, ECCLESIÆ METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIPRESB. NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIÆ SUMMORUM

PONTIFICUM, PRÆSERTIM

VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ ETC.

TOMUS II.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE LEGIBUS, GRATIA, JUSTIFICATIONE ET MERITO; ITEM DE VIRTUTIBUS IN GENERE, DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS ET DE ECCLESIA.

DUBLINII:

EX TYP. RICHARDI COYNE,

IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH,

MDCCCXXXII.

TRACTATUS

DE

VIRTUTIBUS IN GENERALI.

N. I. DE DEFINITIONE VIRTUTIS.

S. Thom. I. 2. *quæst.* 55. *art.* 4.

I. *Definitio Virtutis.* II. *Bona qualitas mentis.* III. *Quâ rectè vivitur.* IV. *Et quâ nullus malè utitur.*

QUID est virtus?

I. R. Juxta S. Thom. art. citato, est bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, et quâ nullus malè utitur.

II. Dicitur "bono qualitas mentis;" quia virtus propriè est habitus bonus, qui sine actu existere potest, permanenter mente inhærens cum quadam in suos actus inclinatione: qualitas autem illa seu habitus, bona est formaliter et causaliter, sive, ut ait S. Thomas, est bonus habitus et boni operativus.

Notandum tamen, licet non possit rigorosè dici actus virtutis, qui ab habitu virtuoso non procedit, communi tamen usu, actus, qui habitum præcedunt, vocantur actus virtutis, quando fiunt ex motivo formali istius virtutis, aliquo auxilio actuali supplente vices habitûs: sic Catechumeni dicuntur elicere actum Fidei et Spei, licèt necdum habeant harum virtutum habitus.

III. Additur in definitione: "quâ recitè vivitur;" quia virtus est principium, et quidem maximè operativum operationis rectæ: unde argumentandum est, animum adulti virtutibus esse destitutum, si eas non ostendat in opere: et de singulis dici potest, quod de Charitate dicit Gregorius Magnus: "Probatio dilectionis, exhibitio est operis."

Porrò virtus est habitus tripliciter operativus, nempe "habitualiter, affectualiter" in proposito seu præparatione animi, et "actualiter" seu "effectualiter" pro rerum et temporis opportunitate.

IV. Sequitur in definitione: "quâ nullus malè utitur;" quo significatur, quòd virtus non possit esse principium elicitivum actûs mali, seu quòd actus virtutis non possit esse malus: potest tamen aliquis virtute malè uti, tanquam objecto, seu materiâ circa quam: v. g. odio habendo virtutem, vel de ea, ejusve actibus superbiendo: aliter igitur rectè vivitur per virtutem, quàm v. g. per ingenium, artem, &c. quæ possunt esse principia et instrumenta tam mali quàm boni usûs.

N. 2. DE DIVISIONE VIRTUTUM.

I. *Divisio virtutis.* II. *In naturalem.* III. *Et supernaturalem.* IV. *In infusam.* V. *Per se et per accidens, et acquisitam.* VI. *In Theologicam.* VII. *Et moralem.* VIII. *Quæ dividitur in quatuor Cardinales.* IX. *In formatam.* X. *Et informem.*

QUOMODO dividitur virtus?

I. R. Dividitur 1°. in virtutem naturalem, quæ etiam humana et Philosophica dicitur; et in virtutem supernaturalem, quæ etiam Christiana vocatur.

2°. In virtutem infusam et acquisitam.

3°. Virtus infusa subdividitur in infusam per se et infusam per accidens.

4°. Dividitur in virtutem theologicam, moralem et intellectualem.

5°. Dividitur in formatam et informem, seu in perfectam et imperfectam.

Quæ virtus dicitur naturalis, quæ supernaturalis?

II. R. Naturalis est, quæ inclinat hominem ad actus bonos merè ut rationi naturali conformes, sistendo in illa conformitate actûs ad rationem naturalem: sic v. g. jejunium à ratione naturali directum ad corporis sanitatem, est actus virtutis temperantiæ naturalis: tales virtutes reperiuntur etiam in gentilibus et hæreticis, qui ex dictamine rectæ rationis sunt misericordes, sobrii, &c.

III. Virtus supernaturalis illa est, quæ dirigit et perficit hominem secundùm regulam et ordinem supernaturalem, qualis est v. g. virtus theologica.

Quid est virtus infusa, quid acquisita?

IV. R. Virtus infusa dicitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: intellige "sine nobis" ut causis efficientibus; non tamen semper "sine nobis" consentientibus,

vel per auxilium gratiæ nos disponentibus, aut etiam merentibus. Virtutes supernaturales necessariò sunt infusæ.

V. Dicitur infusa per se, si aliter quàm à Deo infundente haberi non possit: si etiam alià ratione haberi possit, dicitur infusa "per accidens."

Virtus acquisita nuncupatur, quæ per actus nostros efficienter producitur in nobis: tales sunt virtutes naturales: nihil tamen implicat, virtutem naturalem etiam infundi à Deo; et tali casu esset infusa per accidens.

Quid est virtus theologica?

VI. R. Est illa, quæ pro objecto formali et naturali primario habet Deum: triplex est, scilicet Fides, Spes et Charitas.

Quid est virtus moralis?

VII. R. Definiri potest, habitus inclinans ad operationes humanas rectæ rationi consentaneas.

VIII. Dividitur præcipuè in quatuor virtutes cardinales, prudentiam scilicet, justitiam, fortitudinem et temperantiam.

Qure hæc virtutes vocantur cardinales?

R. Dicuntur cardinales similitudine ductâ à cardine, eò quòd in his virtutibus velut in cardinibus tota humanæ vitæ probitas et honestas vertatur; atque ad has veluti principales, morales cæteræ reducuntur.

Virtus intellectualis est, quæ residet in intellectu, ut Fides, &c.

Quid est virtus perfecta, seu formata?

IX. R. Est illa, quæ cum charitate habituali conjungitur; quia charitas est forma, finis et perfectio cæterarum virtutum.

X. Virtus dicitur informis, quæ est in subjecto charitate habituali destituto, seu existente in peccato mortali.

N. 3. DE DONIS, BEATITUDINIBUS ET FRUCTIBUS SPIRITUS SANCTI.

I. *Dona Spiritûs S.* II. *Sunt septem.* III. *Beatitudines Evangelicæ.* IV. *Sunt octo.* V. *Fructus Spiritûs Sancti.* VI. *Numerantur duodecim.*

QUID est domum Spiritûs Sancti?

1. R. Est habitus supernaturalis justorum mentibus inditus, quo homo bene disponitur ad actus excellentiores et extraordinarios.

Ex definitione patet, quomodò donum Spiritûs Sancti virtute distingui possit.

Quot sunt dona Spiritûs Sancti?

II. R. Isaïæ cap. 11. V. 2. numerantur septem: donum sapientiæ, donum intellectûs, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris Domini.

Quid intelligitur per beatitudines Evangelicas?

III. R. Sunt opera quædam eximia virtutum ac donorum, peculiari ratione ad beatitudinem adipiscendam conducentia.

Quare illa opera vocantur beatitudines?

R. Vocantur beatitudines per metonymiam; quia continent causam et meritum beatitudinis, sicque nos beatos faciunt in spe.

Quot sunt beatitudines?

IV. R. Sunt octo, quas tradit Christus Matth. c. 5. V. 3. et seq. "Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est "Regnum Cœlorum, &c." Lucæ cap. 6. tantùm numerantur quatuor; sed in illis quatuor istæ octo sunt, dicit S. Ambrosius.

Quid sunt fructus Spiritûs Sancti?

V. R. Sunt opera bona per gratiam facta, habentia peculiarem delectationis spiritualis rationem.

Differunt à virtutibus et donis; quia hæc sunt habitus: fructus autem Spiritûs Sancti sunt actus.

Quot sunt fructus Spiritûs Sancti?

VI. R. Ab Apost. ad Galatas cap. 5. V. 22. numerantur duodecim, scilicet charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia et castitas.

Nota, quòd nomina virtutum hic expressa, sumenda sint pro actibus earumdem.

N. 4. DE SUBJECTO ET OBJECTO VIRTUTUM.

I. *Subjectum Virtutis.* II. *Proximum sunt potentiæ animæ.* III. *Actus Virtutis elicitus et imperatus.* IV. *Objectum Virtutis duplex: materiale.* V. *Et formale.* VI. *Distinctio virtutum.*

QUODNAM est subjectum virtutis?

I. R. Subjectum proximum est illa potentia animæ, à qua actus certæ virtuti proprii eliciuntur: sic v. g. subjectum fidei est intellectus.

Quænam potentiæ hic intelliguntur?

II. R. Præcipuè intellectus et voluntas: appetitus sensitivus non est subjectum virtutum, nisi earum quæ versantur circa passiones moderandas; et quidem earum non nisi participativè, in quantùm scilicet natus est obedire imperio rationis.

III. Hâc occasione hìc nota, actum virtutis alium esse elicitum, alium imperatum: elicitus dicitur, qui immediatè ab illa virtute procedit; imperatus, qui à certa virtute producitur ex imperio vel desiderio alterius virtutis.

Sic actus, quo quis temperanter vivit, ut unicuique suum reddere possit, est actus elicitus temperantiæ et virtutis justitiæ imperatus.

Quid est objectum virtutis?

IV. R. Est duplex, materiale et formale.

Objectum materiale est id, circa quod virtus versatur, v. g. objectum materiale fidei sunt revelata à Deo.

V. Objectum formale est ratio, sub qua et propter quam virtus versatur circa objectum suum materiale: sic objectum formale fidei est prima veritas Dei revelantis.

Undenam petenda distinctio virtutum inter se?

VI. R. Principaliter ex earum objecto formali; unde illæ virtutes, quæ habent objecta formalia distincta, sunt specie distinctæ inter se: sic virtutes theologicæ inter se distinguuntur; quia earum objecta formalia sunt inter se distincta.

N. 5. DE MEDIO VIRTUTUM.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 64.

I. *Medium virtutis.* II. *Est duplex.* III. *Rationis.* IV. *Et rei.* V. *Virtutes Theologicæ per se non consistunt in medio.* VI. *Sed tantùm per accidens.* VII. *Idem est de virtute religionis.*

QUID intelligitur per medium virtutis?

I. R. Mediocritas rectæ rationi consentanea, seu mensura virtutis, quâ ab ea excluditur excessus et defectus: ita v. g. virtus liberalitatis media est inter excessum, scilicet prodigalitatem, et defectum, nimirùm avaritiam.

Quotuplex est medium virtutis?

II. R. Est duplex, scilicet medium rationis, et medium rei.

III. Medium rationis est, quod recta ratio determinat respectivè ad personam operantem, aliasque circumstantias.

IV. Medium rei est, quod respicit æqualitatem rei ad rem: tale medium habet justitia commutativa; illa enim sola spectat æqualitatem rei ad rem, ut cuique, sive diviti, sivi pauperi, quod suum est tribuatur.

Medium aliarum virtutum moralium est medium rationis; respiciunt enim qualitatem personæ, loci, temporis, &c. patet in temperantia; quænam enim quantitas et qualitas alimenti sit rectæ rationi commensurata, non potest determinari, nisi habito respectu ad qualitates personæ, aliasque circumstantias.

An omnes virtutes consistunt in medio?

V. R. cum. S. Thom. quæst. cit. art. 4, quòd virtutes theologicæ per se, sive si considerentur ex parte objecti secundùm se, non consistant in medio: ratio est, quòd virtutes theologicæ habeant mensuram increatam, scilicet Deum, respectu cujus, utpote infiniti, nequit dari excessus; ita ut credendo, sperando, diligendo, quantùm possumus, semper adhuc deficiamus à mensura condigna Deo; non minùs, quàm insufficientes sumus ad condignum Dei cultum exhibendum, secundùm id, quod canit Ecclesia in Hymno venerabilis Sacramenti: "Quantùm potes, tantùm aude: "quia major omni laude, nec laudare sufficis:" VI. ex parte tamen nostra, sive per accidens, ac etiam ex parte objecti naturalis secundarii, virtutes theologicæ possunt dici consistere in medio; quia licèt non possimus ferri in Deum, quantùm ratio debiti condigni Deo exigit, debemus tamen ferri in ipsum secundùm mensuram conditionis; et sic ita sperare debemus, ut spes nostra media sit inter præsumptionem et desperationem.

VII. Virtus religionis, ut patet ex verbis Hymni supra citati, ex parte objecti secundùm se etiam non consistit in medio: ex parte tamen operantis, modi, &c. medium tenere debet: simile est de virtute pœnitentiæ.

Cæteræ autem virtutes, tam ad nos ipsos, quàm ad proximum, consistunt in medio etiam ex parte objecti secundùm se.

N. 6. DE ACQUISITIONE, AMISSIONE, ET DURATIONE VIRTUTUM.

I. *Virtutes acquiruntur dupliciter.* II. *Per infusionem.* III. *Per exercitium.* IV. *Amittuntur dupliciter.* V. *Directè.* VI. *Et indirectè.* VII. *Quæ virtutes maneant in beatis.* VIII. *Quæ in Purgatorio.* IX. *Quæ virtutes possunt minui, &c.*

QUOMODO virtutes acquiruntur?

I. R. Alterutro ex his duobus modis, per infusionem, vel per actuum exercitium.

II. Priori modo acquiruntur virtutes supernaturales & dona Spiritûs Sancti, sicut & eorumdem augmentum; ita ut actus præcedentes dispositiones sint, non causæ efficientes; quippe virtutum infusarum sive per se, sive per accidens, causa est solus Deus, qui tamen, juxta legem suam ordinariam, illas in nobis non operatur, nisi vel per Sacramenta ut causas instrumentales, vel prævià cooperatione gratiæ Dei; atque hæc in adultis necessaria est, tanquam causa dispositiva, aut meritoria.

III. Posteriori modo, scilicet per actuum exercitium, virtutes naturales acquiri, conservari & augeri solent: per unum enim actum habitus acquiri non solet, nisi fortè adeo foret intensus & diuturnus, ut pluribus æquivaleret.

Quomodo virtutes amittuntur?

IV. Id contingit dupliciter, directè scilicet & indirectè.

V. Amittuntur directè per actus ipsis directè contrarios, vel per longum non usum, sive privationem exercitii actuum.

VI. Amittuntur indirectè per amissionem alterius virtutis, quæ est fundamentum & principium earum: ita amissâ fide, amittitur spes, amissâ charitate, amittuntur dona Spiritûs Sancti, omnesque virtutes morales infusæ: hinc peccans mortaliter, v. g. peccato ebrietatis, non tantùm amittit virtutem temperantiæ, sed etiam virtutes supernaturales castitatis, humilitatis, &c.

Obj. I. Qui furando peccat mortaliter, potest manere castus: ergo amissâ charitate, non amittuntur virtutes morales infusæ.

Probatur antec. talis potest retinere propensionem ad opera castitatis: ergo, &c.

R. Dist. antec. qui furando peccat mortaliter, potest manere castus virtute castitatis supernaturali, nego antec. virtute castitatis naturali, concedo antec. Virtutes enim naturales non sunt connexæ charitati, ut dicetur Num. sequenti; & ideò, amissâ charitate, non semper amittuntur virtutes naturales.

Obj. II. Fides & spes sunt virtutes infusæ; atqui tamen illæ non amittuntur per amissionem charitatis: ergo amissâ charitate non amittuntur dona Spiritûs Sancti, & virtutes morales infusæ.

R. Neg. cons. Ratio disparitatis est, quòd virtutes morales infusæ, sicut & dona Spiritûs Sancti sint connexæ in gratia habituali & charitate, sicut annexa ut accessorium

suo principali, illi substando tanquam causæ finali, fundamentali, & radicali, ex qua tanquam effectus dimanant: virtutes autem fidei & spei sunt virtutes supernaturales per se stantes.

An virtutes manent post hanc vitam?

VII. R. In damnatis nulla manebit: in beatis manent virtutes, quæ nullam important imperfectionem statui eorum repugnantem: undè manet charitas, manent habitus donorum Spiritûs S. ac virtutum moralium, etiam quoad aliquos, non tamen quoad omnes actus: sic evacuabitur fides, quia involvit objecti obscuritatem; item spes, quia negat objecti præsentiam.

VIII. In purgatorio tamen manent fides & spes, item dona Spiritûs S. ac virtutes morales, quoad aliquos & plures actus quàm in beatis, v. g. patientia.

An virtutes, ut augeri, ita & possunt diminui?

IX. Virtutes naturales, tam quoad intensionem habitûs, quàm quoad fervorem actûs, possunt diminui.

Charitas minui non potest quoad intensionem habitûs: atque idem videtur de cæteris virtutibus infusis, quòd scilicet earum habitus sine diminutione à Deo conservantur, nisi contingat, eos totaliter amitti.

Virtutes infusæ tamen diminui possunt quoad exercitium et fervorem actûs; atque adeo induci quædam dispositiones ad corruptionem.

N. 7. DE CONNEXIONE VIRTUTUM INTER SE.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 65.

I. *Morales infusæ sunt connexæ in charitate.* II. *Connexio inter acquisitas.* III. *Connexio inter Theologicas.* IV. *Virtutes acquisitæ.* V. *Non sunt connexæ cum infusis.* VI. *Nec Fides cum Spe.* VII. *Nec utraque cum charitate.* VIII. *Duplex ordo inter virtutes Theologicas.*

AN potest una virtus acquiri sine alia, vel an omnes sunt inter se connexæ?

I. R. Quædam virtutes ita sunt connexæ ex parte subjecti, ut una sine alia esse non possit: quædam non ita sunt connexæ.

Quænam virtutes ita sunt connexæ?

II. Virtutes annexæ charitati, quales sunt virtutes morales infusæ, et dona Spiritûs Sancti; nam non acquiruntur sinè charitate; et qui charitatem habet, omnia prædicta habet, et qui charitatem amittit, etiam ista omnia amittit.

Virtutes morales, etiam acquisitæ, si perfectæ sint, quibus scilicet persistitur in proprio virtutis bono, quocumque eventu occurrente, connexæ sunt, quatenùs mutuâ associatione, et auxilio juvari debent: sic nullus perfectè castus est, qui non est prudens, fortis, liberalis; ne errore, minis, vel pecuniæ amittendæ metu contra castitatem peccet.

III. Inter virtutes theologicas hæc est connexio, ut charitas in statu viæ non possit haberi sinè fide et spe, nec spes sine fide; quandoquidem fides et spes sinè charitate non habeant rationem perfectæ virtutis facientis habentem simpliciter bonum.

Quænam virtutes ad invicem non sunt ita connexæ?

IV. R. 1°. Virtutes acquisitæ: harum enim una sine alia acquiri, existere et amitti potest: agitur scilicet de virtutibus acquisitis quæ non sunt perfectæ, ut patet ex supra dictis.

V. 2°. Charitas, aliæque virtutes infusæ non sunt connexæ cum virtutibus acquisitis; ita ut acquisitæ haberi possint sine infusis, et amissis infusis, manere possint acquisitæ: et contrà virtutes infusæ haberi possunt sine acquisitis, ut patet in pueris baptizatis.

VI. 3°. Fides haberi potest sine spe: hinc dicit Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7. "Fides non perfectè hominem unit "cum Christo, nisi ad eam spes accedat et charitas: " Supponit ergo, quòd fides sine spe haberi possit.

VII. 4°. Fides et spes haberi possunt sine charitate: per quodlibet enim peccatum mortale amittitur charitas, non fides vel spes, ut clarè supponit Apost. 1. ad Cor. cap. 13. V. 2. Vide etiam Conc. Trid. Sess. 6. can. 28.

Error contrarius à Quesnello resuscitatus damnatur in Bulla "Unigenitus," propositionibus 51, 52, 57, & 58. item propositione 12. inter triginta et unam ab Alexandro VIII. damnatas.

Obj. Apost. 1. ad Timotheum cap. 5. V. 8. dicit: "Si "quis autem suorum et maximè domesticorum curam non "habet, fidem negavit;" atqui qui negat fidem, fidem amittit: ergo amissâ charitate amittitur fides.

R. Distinguendo minorem: qui negat fidem dissènsu intellectûs speculativi, amittit fidem, conc. minor. qui negat fidem factis tantùm, amittit fidem, neg. min. Apostolus autem solùm loquitur de posteriori modo, quo dicitur fides

negari factis, quando non aguntur ea, quæ fides agenda docet.

Obj. II. S. Jacobus Epistolæ suæ cap. 2. comparat fidem peccatorum fidei dæmonum; atqui dæmones non habent veram fidem: ergo nec peccatores.

R. Distinguendo majorem: comparat fidem peccatorum fidei dæmonum, quoad essentialia, nego maj. quoad effectum salutis, concedo maj. paritas ergo in eo consistit, quòd sicuti assensus, quem dæmones præstant variis Fidei articulis, de quorum veritate convicti sunt, ipsis nihil prodest ad salutem, ita fides Christiano ad salutem non prosit, dum negligit bona opera.

Obj. III. Charitas est forma cæterarum virtutum; atqui nihil potest esse sine sua forma: ergo, &c.

R. Distinguendo maj. Charitas est forma cæterarum virtutum essentialis et intrinseca, nego maj. accidentalis et extrinseca, concedo maj. simili modo distinguenda est minor.

Instabis: cæteræ virtutes sine charitate sunt informes et imperfectæ: ergo sine charitate fides non videtur esse virtus simpliciter dicta.

R. Distinguendo antec. cæteræ virtutes sine charitate sunt informes et imperfectæ, quia destitutæ perfectione accidentali et extrinsecâ, conc. antec. sunt informes et imperfectæ, id est, non habentes perfectionem intrinsecam et essentialem, nego antec. est itaque fides informis essentialiter tam perfecta, quàm fides formata; sed charitas facit, ut actus fidei formatæ sit meritorius de condigno vitæ æternæ, qualis non est actus fidei informis.

VII. His de virtutibus in genere consideratis, agendum est de virtutibus in specie, ac 1°. de virtutibus Theologicis, inter quas duplex est ordo, alter dignitatis, generationis alter: ordine dignitatis prima est Charitas, aliarum virtutum forma et regina, tum Fides, deinde Spes: ordinè verò generationis Fides præcedit Spem, Spes Charitatem, scilicet quantùm ad actus; nam quantùm ad habitus, Fides et Spes, si præviè non habeantur, simul cum Charitate infunduntur in instanti justificationis.

Primò itaque agendum de Fide, quæ ordine generationis prima est.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

QUÆSTIO I.

N. 8. DE FIDE.

S. Thom. 2. 2. *à quæst.* 1. *ad.* 16.

I. *Tres Virtutes Theologicæ,* II. *Cur ita vocentur.* III. *Fidei varia acceptio.*

I. TRES sunt virtutes theologicæ, quas ordine generationis recenset Apost. 1. ad Cor. cap. 13. V. 13. dicens: "Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc."

De iis generatim agit S. Th. 1. 2. quæst. 61. sed fusiùs et in particulari in initio 2. 2.

II. Virtutes hæ dicuntur theologicæ, vulgò Divinæ (flandricè "Goddelyke Deugden," gallicè "Vertus Theologales)" præsertim quia immediatè versantur circa Deum, sive qui habent Deum pro objecto suo formali et materiali primario: item quia solâ revelatione in Scriptura S. virtutes illæ traduntur, et sic à Theologis Christianis, qui revelata scrutantur, primùm inventæ.

III. Prænotandum, quòd nomen fidei variè accipiatur: sic 1°. aliquando sumitur pro fidelitate in promissis, ut ad Rom. cap. 3. V. 3. "Numquid incredulitas eorum fidem "Dei evacuabit?"

2°. Sumitur pro ipsis promissis, et pro voto, ut 1. ad Timoth. cap. 5. V. 12. de quibusdam viduis dicitur: "Primam fidem irritam fecerunt."

3°. Denotat aliquando conscientiam, prout ad Rom. cap. 14. V. 23. "Quod non est ex fide, peccatum est." Hoc etiam sensu quis bonæ vel malæ fidei possessor dicitur.

4°. Accipitur pro fiducia, ut Epist. Jacobi cap. 1. V. 6. "postulet autem in fide nihil hæsitans."

5° Venit etiam quandoque pro objecto fidei: sic in Symbolo S. Athanasii dicitur; "hæc est fides catholica."

Omissis aliis fidei acceptionibus, sumitur pro assensu intellectûs, vel pro habitu inclinante ad assensum præstan-

dum propter auctoritatem alterius: si auctoritas illa sit humana, fides humana vocatur; si sit divina, fides divina, seu theologica dicitur: quæ si respiciat veritates ab Ecclesia propositas, fides catholica nuncupatur. In hac significatione de fide hic agitur.

N. 9. DE DEFINITIONE FIDEI.

I. *Definitio Fidei.* II. *Explicatur.* III. *Descriptio Apostoli.* IV. *Explicatur.* V. *Non omne quod credimus, speramus.*

QID est fides?

I. R. Rectè a Canisio definitur: "Donum Dei, ac "lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, "quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint."

Explico singulas definitionis partes.

II. R. Dicitur: "Donum Dei;" quia à solo Deo gratuitò datur, superatque omnes naturæ vires; nam fides divina, tam informis quàm formata, tam actualis quàm habitualis, est essentialiter supernaturalis.

Dicitur: "lumen," nimirum spirituale, quo intellectu elevatur et illustratur ad cognoscendum et credendum ea quæ sunt fidei: non tamen est lumen respectu objecti, qu scilicet objectum, seu res credenda evadat evidens.

Dicitur: "firmiter assentitur," quia assensus fid firmus esse debet et certus sine ulla dubitatione, hæsitatior aut formidine de opposito; cùm ipsius Dei veracitati inn atur.

Sequitur: "omnibus, quæ Deus revelavit," quo den tatur adæquatum fidei objectum materiale esse omnia sola à Deo revelata; unde implicitè etiam significatı objectum fidei formale esse summam veritatem Dei rev lantis.

"Et nobis per Ecclesiam credenda proposuit:" q significatur causa proponens objecta fidei: nam sinè prop sitione Ecclesiæ nobis non constat, aliquem articulum e à Deo revelatum: unde significatur motivum credibilitat propositio enim Ecclesiæ facit res evidenter credibiles.

"Sive scripta illa sint, sive non sint," quo ulteriùs de tatur veritates credendas partim contineri in Verbo I scripto, seu Scripturâ Sacrâ, partim in Verbo Dei tradi seu traditione divinâ.

III. Alia est fidei descriptio, quam tradit Apost. ad Heb. cap. 11. V. 1. quâ fides dicitur: "Sperandarum sub-"stantia rerum, argumentum non apparentium."

Hanc descriptionem S. Thom. 2. 2. quæst. 4. art. 1. probat esse legitimam, atque eam reducit in hanc formam: "Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna "in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus."

IV. Dicitur: "Sperandarum substantia rerum," id est basis seu fundamentum, cui spes nostra, sive salus, quam speramus, tota innititur: juxta alios est substantia seu subsistentia; quia bona æterna, quæ speramus, in nobis quodammodo subsistere facit, de illis nos tam certos reddendo, ac si jam essent à nobis possessa.

Dicitur: "Argumentum non apparentium," id est, convictio, quia intellectus per fidem convincitur de veritate rerum, quæ nec sensu, nec ratione percipiuntur.

Obj. Infernus est res, quæ fide creditur; atqui tamen non est res speranda: ergo descriptio ista non est legitima.

R. Fides inferni continetur sub ultimis verbis descriptionis, quatenùs fides dicitur "Argumentum non appa-"rentium."

V. Unde nota, non omne objectum fidei esse objectum spei; seu hominem credere aliqua, quæ non sperat; ut sunt mala, item bonâ præterita vel præsentia.

N. 10. DE FIDE SECUNDUM SE.

S. Thom. 2. 2. quæst. 4.

I. *Fides est in intellectu ut subjecto.* II. *Etiam in voluntate ut imperante.* III. *Fides per se 1°. est speculativa.* IV. *Est etiam practica.* V. *Est prima Virtus ordine generationis.* VI. *Sed non prima gratia.*

IN qua animæ potentia est Fides?

I. R. Est in intellectu tanquam in subjecto, cùm objectum fidei sit verum ut tale, adeoque credere est actus intellectûs, ut causæ elicientis: hinc dicitur ad Hebr. cap. 11. V. 3. "Fide intelligimus aptata esse sæcula."

II. Fides tamen etiam est in voluntate ut imperante: hinc Aug. Tract. 20. in Joannem: "Credere nemo potest "nisi volens."

Ratio est, quòd in fide intellectus non convincatur ad assentiendum per evidentiam objecti, est enim argumentum non apparentium: unde requiritur quædam pia affectio et

QUOTUPLEX est objectum fidei?

I. R. Est duplex, materiale scilicet, et formale.

Quid est objectum materiale fidei, sive quidnam debemus credere?

II. R. Sunt omnia illa, quæ Deus nobis revelavit.

Quotuplex distinguitur objectum materiale fidei?

III. R. Duplex, nimirum primarium, seu principale, quod est Deus, et omnia quæ in Deo nobis sunt revelata, ut sunt divina attributa; et secundarium, quod constituunt cætera omnia à Deo nobis revelata, ut sunt humanitas Christi, Sacramenta, &c.

IV. Nota pro praxi, quòd in Catechismis objectum materiale designetur per particulam "quid," dum petitur, quid credere debeamus; et objectum formale exprimatur per particulam "cur," dum quæritur, cur seu quare credere debeamus: adeòque ad primam petitionem responderi debet assignando objectum Fidei materiale, ad posteriorem assignando objectum formale; de quo ultimo diligenter suos instruere debet Parochus, ne loco fidei divinæ, humanam habeant.

An ea, quæ privatim alicui revelantur, v. g. quæ revelata dicuntur S. Brigittæ, sunt objectum materiale fidei?

V. R. Ea possunt esse objectum fidei, respectu illorum quibus revelatio facta est, si scilicet divina revelatio satis eis fuerit manifestata.

VI. Illa tamen non pertinent ad fidem Catholicam, ut omnes universaliter fide divinâ ea credere debeant; atque hoc ideò: quia vel non omnibus sufficienter constat, an illæ revelationes particularibus factæ, sint divinæ, adeoque sufficientia credibilitatis motiva non adsunt: vel quia Deus ea non pro omnibus revelavit ut talia per Ecclesiam proponenda, nam ut dicit S. Thom. q. 5. art. 3. in "Corp." "Objectum fidei est veritas prima, secùndum quod mani-" festatur in Scripturis et doctrina Ecclesiæ."

VII. Cæterùm privatis revelationibus non est facilè fidendum, tum quia sæpe incertæ sunt, tùm quia Spiritus probandi sunt, utrùm ex Deo sint, et Angelus satanæ se non transfiguret in Angelum lucis: hoc præsertim notet Confessarius mulierculartum, ne nimiâ indulgentiâ confundant somnia cum divinis revelationibus.

Maximè autem suspectæ esse debent privatæ revelationes, dum à doctrina Ecclesiæ, vel sensu communi fidelium discrepant: sed quid dum de eodem objecto proferuntur revelationes oppositæ?

VIII. R. Id non semper esse falsitatis indicium, præci-

pué si oppositio sit tantùm circa facta quædam, fidem aut mores non concernentia: sic aliqui Sancti in extasi (de cujus supernaturalitate non dubitatur) Christum viderunt tribus, alii, quatuor clavis crucifixum: provenit autem hoc à præconceptis istorum Sanctorum opinionibus, quorum aliqui tribus, alii quatuor clavis Christum cruci affixum, sibi repræsentare consueverant: unde error ille non est à Deo, sed à natura, quam Deus in similibus extasibus non semper impedit, quo minûs aliquid agat secundùm præhabitas species, dum non magnopere refert, errorem illum dedoceri. Id variis exemplis probat Daniël Papebrochius in suis ad Patrem Sebastianum responsionibus art. 20.

Potestne dici aliquid probabiliter de fide?

IX. R. Potest aliquid dici probabiliter de fide hoc sensu, quòd dubium esse possit de re quapiam, an sit revelata, vel an Ecclesia eam ut revelatam proponat: nempe quia de declaratione Ecclesiæ vel ejus sensu controvertitur: quamdiu tamen ipsa Ecclesiæ propositio non est nisi probabilis, non ita res ista de fide esse censetur, ut, qui eam fide divinâ non recipit, violatæ fidei reus fiat; cui enim propositio Ecclesiæ non nisi probabilis est, illud fide divinâ credere non debet: imô nequidem potest quamdiu est ipsi meritò talis.

Ex dictis patet, aliquid posse dici objectum materiale fidei, et tamen non esse de fide, scilicet obligante: quia ad prius sufficit, illud à parte rei esse revelatum à Deo; ad posterius veró insuper requiritur, ut vel ab Ecclesia proponatur tanquam tale, vel saltem aliunde constet, esse revelatum.

X. Patet etiam, quomodo aliquid possit incipere vel desinere esse de fide, scilicet obligante etiam Catholicâ seu universali; non quasi mutatio fieret in revelatis; sed quia revelatum ut tale non propositum ab Ecclesia, potest nunc ut tale proponi, prout sæpius accidit in Conciliis: etiam contra fieri potest, quòd, licèt ante ut revelatum propositum fuerit, nunc de illa propositione non ampliùs constet, et sic desinat esse de fide obligante.

N. 13. DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

I. *Objectum formale Fidei.* II. *Est prima veritas.* III. *Dei revelantis.* IV. *Non ipsa revelatio.* V. *Quæ tantùm est conditio sine qua non.* VI. *Quomodo creditur ipsa revelatio.* VII. *Existentia Dei et prima veritas.*

QUID est objectum formale fidei?

I. R. Est Prima seu summa veritas Dei revelantis; quæ fundatur in eo, quòd Deus ob infinitam sapientiam non possit falli, et ob infinitam bonitatem et perfectionem non possit fallere.

II. Probatur: illud est objectum formale fidei, in quod ratio, ob quam credimus, ultimatè resolvitur: hoc autem est summa veritas Dei revelantis, quæ etiam dicitur prima veritas.

III. Porro notandum, quòd prima veritas sit objectum formale fidei, non in "essendo," sed in "revelando," dicendo seu testificando: non enim ideo præcisè credimus Deo, quia est, vel quia est sanctus aut justus, sed quia verax est.

Proinde ea, quæ credimus, suscipimus tanquam verba Dei loquentis, juxta illud 1. ad Thessal. cap. 2. V. 13 "Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepisti "illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum "Dei."

An revelatio ingreditur objectum formale fidei?

IV. R. Ita existimant Neesen, Boudart, &c. sed meliù dicitur cum Van Roy, revelationem tantùm esse applica tionem objecti formalis, seu conditionem "sine qua non, ad credendum necessariò prærequisitam: ratio est, quò motivum formale credendi non sit locutio seu revelatio, se veracitas dicentis.

V. Revelatio itaque se habet ad fidem tanquam objectu materiale, atque ad eam necessariò prærequiritur tanqua conditio "sine qua non;" unde fit, quòd Scriptura Patres non infrequenter motivum fidei formale refunda in verbum seu testimonium Dei. Sic etiam quandoq dicimus: "Credo illud, quia Deus revelavit:" quo ca rectè quidem, sed non adæquatè loquimur; non enim o jectum formale explicitè exprimitur, nec fines ultima resolvitur, cùm restet ratio, quare credamus divinæ revela oni, seu Deo revelanti.

Dices 1°. quomodo credi potest ipsa divina revelati Nam si hujus allegetur alia revelatio, dabitur processus infinitum.

Item 2°. quomodo possit fide divinâ credi existen Dei? Non enim possumus aliquid credere, nisi Deus ist revelaverit: revelatio autem supponit existentiam isti qui revelat.

3°. Quomodo credi potest hæc propositio: "Deus est "prima veritas:" Si enim illa credatur propter seipsam, videtur esse ratio sui ipsius, seu idem probari per idem.

VI. R. Deus revelando hanc veritatem v. g. "Deus est "trinus et unus," simul ostendit, se revelare, adeoque ipsa revelatio seipsam revelat seu manifestat, neque indiget alio medio: unde homo assentiendo huic propositioni, "Deus "est trinus et unus," simul assentitur huic: "Deus illud "revelavit," propter eandem revelationem; sicut lux solis non solùm colores et res corporeas, sed etiam seipsam manifestat sine alia luce.

VII. Præterea revelatio non solùm seipsam manifestat, sed etiam revelantis existentiam; adeoque Deus per ipsam revelationem attestatur se esse, ac proinde se esse summè veracem: quia ut dicit S. Thom. quæst. 18. "de veritate" art. 8. ad 2. "Divinum testimonium primò et principaliter "est de seipso, et consequenter de aliis: sic loquela Petri "non solùm seipsam et Petri conceptus, sed et ejus exis-"tentiam manifestat."

N. 14. ASSENSUS FIDEI AN SIT DISCURSIVUS.

I. *Assensus Fidei non est discursivus.* II. *Fides latè dicta.* III. *Non sufficit ad justificationem.* IV. *Conclusio ex utraque præmissa vel una de Fide.* V. *Si consideretur ut contenta in præmissa de Fide.* VI. *Est directè de Fide si contineatur formaliter.* VII. *Indirectè, si contineatur tantùm virtualiter.* VIII. *Est probabiliter de fide, modernum Pontificem esse Christi Vicarium.* IX. *Non tamen de fide obligante.*

An assensus fidei nostræ proximè innititur alicui ratiocinationi, discursui vel deductioni factæ secundùm legitimam formam argumentationis?

I. R. Negativè: quia assensus, qui innititur discursui, habet pro motivo partiali bonitatem consequentiæ, cùm sit actus, quo intellectus assentitur conclusioni, quia bene sequitur ex præmissis: assensus autem fidei nullo modo innititur bonitati consequentiæ, sed motivum adæquatum Fidei divinæ est prima veritas Dei revelantis.

Obj. Actus fidei est conclusio ex duabus præmissis in hunc modum: "quidquid Deus dixit est verum; at "Deus dixit, se trinum et unum:" ergo Deus est trin unus.

R. Negando antecedens; nam licèt discursus quidam præsupponatur ad assensum fidei, ille tamen non pertinet ad ipsum fidei assensum, qui simpliciter præstatur veritati revelatæ; quia Deus est summa veritas, qui revelavit, non quia deducitur ex præmissis.

Quamvis ergo ante fidem plenè conceptam præcedere possint et soleant varii discursus, illi non pertinent ad ipsum fidei assensum, sed tantùm serviunt, ut res credendæ reddantur credibiles: sic dicit S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 1. ad 1. "Fides non habet inquisitionem rationis naturalis "demonstrantis id, quod creditur: habet tamen inquisitio- "nem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad creden- "dum, putà quia sunt dicta à Deo et miraculis confir- "mata."

An ergo fides philosophica seu latè dicta, qua homo ex testimonio creaturarum pervenit ad cognitionem Dei, non pertinet ad virtutem fidei theologicæ?

II. R. Negativè; tum quia talis assensus est tantùm naturalis, tum quia immediatè non innititur veritati Dei revelantis, sed discursui; quo ex creaturarum existentia deducitur existentia Dei.

III. Proinde fides hæc non est ad justificationem sufficiens, ut constat ex Prop. 23. damnata ab Innoc. XI. "Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive mo- "tivo ad justificationem sufficit."

An conclusio syllogistica, quæ legitimè deducitur ex duabus præmissis de fide, vel ex una præmissa de fide et altera naturaliter cognita, est de fide?

IV. R. 1°. Ex jam dictis patet, quòd si consideretur merè ut illata per rationem et consequentiam legitimam, eatenùs Fide divinâ non credatur; sed erit assensus scientiæ Theologicæ.

V. 2°. Potest tamen talis conclusio vel propositio dici de fide inquantùm consideratur ut contenta in præmissa de fide, adeo ut assensus præbeatur, non vi consequentiæ, sed quia conclusio in præmissa est contenta, adeoque revelata: quamquam ut dicit Steyaert, fides talis propriè et immediatè non tendat in conclusionem hanc in individuo, sed potiùs cadat in præmissam, quæ ipsam continet.

Nota: si quædam conclusio formaliter contineatur in præmissa de fide, erit directè de fide: si autem virtualiter tantùm, tunc erit indirectè et consecutivè de fide.

Porro contineri in aliqua propositione formaliter, est contineri ut proprium ejus significatum saltem partiale: virtualiter autem continetur propositio in præmissa de fide,

quando nec explicitĕ, nec implicitè illius veritas est revelata, saltem principaliter, sed talem habet connexionem cum præmissa in fide, ut conclusionem negans convincatur negare præmissam de fide.

VI. Ita hic syllogismus: "Omnes homines peccaverunt; "atqui Joannes est homo: ergo Joannes peccavit;" conclusio hæc "Joannes peccavit," formaliter continetur in majori præmisso: "Omnes homines peccaverunt" tanquam pars totius expressè revelati ad Rom. cap. 3. et ideo potest hæc, "Joannes peccavit," dici esse directè de fide: quamvis juxta Steyaertium fides immediatè tendat in majorem præmissam.

VII. In hoc antem argumento: "Canis Tobiæ blandimentò "caudæ suæ gaudebat; ergo canis Tobiæ habebat caudam," consequens tantùm virtualiter, non formaliter continetur in antecedente, Tobiæ cap. 11. V. 9. revelato: quia continetur tantùm ratione connexionis, quæ est inter significata utriusque propositionis; atque hinc propositio hæc: "Canis "Tobiæ habebat caudam," non est de fide directè, sed indirectè, inquantum scilicet, eâ negatâ, sequitur, falsum esse, quod Tobiæ cap. 11. V. 9. habetur: et ita si quis videns eam sequelam, quòd ex eo quòd negetur canem Tobiæ habuisse caudam, sequatur, in Scriptura falsum contineri, et nihilominus pertinaciter id negaret, foret hæreticus; non ideo precisè, quia id negat; sed quia convincitur pertinaciter sustinere, quòd in Scriptura falsum contineatur. Aliud foret, si hoc quis negaret, non videns quòd ex eo aliquid sequatur contrarium fidei.

Hinc collige, duomodo dici possit, illum esse hæreticum, qui sustinet aliquam propositionem, concernentem mores tantùm, non fidem, ab Ecclesia condemnatam: nimirùm licèt talis non sit hæreticus ideo præcisè quia sustinet aliquam propositionem erroneam in moribus; tamen cùm inde sequatur, quòd Ecclesia in condemnando talem propositionem erraverit, ideo sustinens illam propositionem convincitur esse hæreticus, cùm de fide sit, quòd Ecclesia errare non possit in fide et moribus: his conformia scribit S. Th. 1. p. q. 32. a 4. et in cap. 11. Epist. 1. ad Cor.

Estne de fide, modernum Pontificem Pium VI. esse Successorem legitimum S. Petri et Christi Vicarium? cùm inferatur ex his præmissis: omnis Pontifex legitimè electus, est verus Successor S. Petri et Christi Vicarius; atqui modernus Pontifex Pius VI. est legitimè electus: ergo est verus Successor S. Petri et Christi Vicarius.

VIII. R. Plausibiliter sustinetur, hanc propositionem, Pius VI. "est verus successor Divi Petri et Christi Vica-"rius," esse de fide; quia continetur formaliter in majori præmissa tanquam pars in toto, scilicet in hac: omnis Pontifex legitimè electus est verus Successor Divi Petri et Christi Vicarius, quæ est de fide juxta omnes.

Obj. Quamvis sit de fide, omnem infantem legitimè baptizatum esse justificatum, non est tamen de fide, quòd hic infans sit justificatus, si non certò constet, quòd sit legitimè baptizatus; atqui etiam non certò constat, quôd modernus Pontifex sit legitimè electus: ergo, &c.

R. Neg. minorem: ratio disparitatis est, quòd, an puer sit legitimè baptizatus dependeat à facto hominis privati; de quo certam sæpè non habemus notitiam: verùm legitima Pontificis electio innititur propositioni universalis Ecclesiæ modernum Pontificem ut legitimum agnoscentis; quâ in re errare non potest, ne alioquin pro capite agnoscat eum, qui non est, idque sinè remedio.

IX. Notandum tamen, non esse de fide obligante, Pontificem modernum esse Divi Petri Successorem et Christi Vicarium; nam id non est sufficienter toti Ecclesiæ propositum cum obligatione credendi: ex quo patet, posse dari schisma, sive separationem à subjectione Pontificis, sinè hæresi.

N. 15. AN FIDEI POSSIT SUBESSE FALSUM.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3.

I. *Deus falsum dicere nequit.* II. *Quomodo dicatur dedisse spiritum mendacii.* III. *Habitus Fidei non potest inclinare in falsum.*

POTESTNE fidei subesse falsum?

R. Neque ex parte Dei, neque ex parte hominis credentis potest fidei subesse falsum.

I. Circa priorem partem quæritur, an Deus per se vel per alium mentiri aut falsum dicere possit, sicque hominem fallere?

Responsio negativa est de fide, et probatur ex Num. cap. 23. V. 19, "Non est Deus quasi homo, ut mentiatur;" item ad Hebr. c. 6. V. 18. "Impossibile est mentiri "Deum."

Probatur à ratione: si Deus per se vel per alium posset dicere falsum, id fieret vel quia ipse deciperetur, vel quia alios decipere vellet: utrumque autem est impossibile; nam

prius repugnat ejus omni-scientiæ, posterius infinitæ ejus bonitati et perfectioni.

Obj. Dicitur 3. Reg. c. 22. V. 23. "Dedit Dominus "spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum:" ergo potest Deus decipere per alios.

II. R. Neg. conseq. Dicitur enim Deus dedisse spiritum mendacii in ore Prophetarum: quia in pœnam præcedentium peccatorum permisit eos decipi à spiritu mendacii; vel quia lumen suæ sapientiæ justo judicio subtraxit, vel tandem quia fecit aliquid, quod, etsi veram significationem habebat, illis tamen fuit occasio errandi.

Eodem modo explica illud Ezechiëlis cap. 14. V. 9. "Ego Dominus decepi Prophetam illum;" et Job cap. 12. V. 24. "Qui immutat cor Principum, et decipit illos."

Circa secundam responsionis partem quæritur; an saltem ex parte hominis possit fidei subesse falsum; sive an homo possit elicere actum fidei divinæ circa objectum non revelatum, quod ipse revelatum existimat, seu ut alii loquuntur, an habitus fidei possit inclinare ad assensum falsum?

III. R. Nec sic fidei posse subesse falsum: quia nihil subest habitui alicui vel actui, nisi mediante ratione formali objecti; atqui sub prima veritate, quæ est ratio formalis fidei, nullum potest subesse falsum: ergo, &c.

Hinc si quis assentiatur objecto falso, quod invincibiliter credit esse revelatum, talis credit solùm fide humanâ, non divinâ.

Obj. I. Virtutes morales possunt inclinare in falsum: sic v. g. justitia potest inclinare ad solvendum ei, cui nihil debetur: ergo etiam fides potest inclinare in falsum.

R. Negando conseq. disparitas est, quòd virtutes morales circa bonum honestum versentur: virtutes autem intellectuales qualis est fides, versantur speculativè circa verum in se; jam verò datur materialiter malum, quod est formaliter bonum et honestum, non autem datur materialiter falsum, quod formaliter est speculativè seu intellectualiter verum.

Instabis: Virtus prudentiæ est virtus intellectualis: atqui hæc potest inclinare in falsum. Probatur subsumptum: prudentia dictat hostiam expositam esse adorandam, quæ invincibiliter existimatur esse consecrata: ergo, &c.

R. Negando conseq. Disparitas est, quòd prudentia sit virtus practica, et illa numquam inclinet in falsum practicè: proinde dum in casu posito prudentia dictat hic et nunc hanc hostiam esse adorandam, hoc dictamen practicum verum est materialiter et formaliter, supposito errore invin-

cibili: quòd autem illa hostia non sit consecrata, non spectat ad prudentiam dijudicare, sed ad judicium speculativum.

Obj. II. Suppone, quòd Pastor inter cætera credenda proponat articulum tanquam credendum non revelatum: eodem modo subditus credet hunc articulum non revelatum, ac cæteros revelatos.

Probatur: quia habet eadem rationem, et eadem credibilitatis motiva ad credendum hunc articulum, quæ habet pro aliis, qui sunt revelati: ergo sicut credit articulis verè revelatis, eodem modo poterit credere non revelato.

R. Dici potest cum Wiggers, quòd articulus non revelatus numquam proponendus sit cum sufficientibus motivis credibilitatis populo, ut prudenter judicare possit et debeat, eum esse revelatum; quia vel tali doctrinæ contradicetur, vel suspicio novitatis exurget, vel Dei providentia per alia signa id demonstrabit.

Deinde etsi supponantur, omnia externa motiva credibilitatis esse eadem, dici potest cum eodem, non eadem futura motiva credibilitatis interna: interiori enim instinctu Dei invitatur ac illustratur homo, ut credat verè revelatis; quomodo non movetur à Deo in ordine ad articulum falsum.

Nec tamen ideo admittimus spiritum privatum hæreticorum: quia cum lumine illo interiori requirimus, saltem ordinariè, externam Ecclesiæ propositionem, cujus auctoritatem agnoscimus, eamque ex notis et signis probamus: unde lumen istud internum tantùm facit, ut bene attendantur credibilitatis motiva; eoque mediante articulus revelatus fit evidenter credibilis, non alius non revelatus. Vide hæc pulchrè deducta apud Wiggers in 2. 2. quæst. 1. art 3. N°. 78. et seq.

N. 16. DE FIDE ET SCIENTIA CIRCA IDEM IN EODEM.

S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. & 5.

I. *Fides non stat cum visione beatifica.* II. *Sed stat cum scientia non adæquante ejus certitudinem.*

AN, quod evidenter scitur, aut videtur, potest esse objectum fidei divinæ; sive an fides et scientia de eodem possunt esse simul in eadem mente?

I. R. Si visio aut scientia adæquet vel superet certitudinem fidei, tunc objectum fidei secundùm modum ordina-

rium non potest ab eodem esse scitum vel visum eodem tempore; quia tunc fides evacuatur et absorbetur â clariori lumine, ac redditur inutilis, sicuti lux candelæ inutilis est, dum clarè lucet sol meridianus, et ita in cœlo fides evacuatur per visionem Dei juxta illud Apost. 1. ad Cor. cap. 13. V. 9. "Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus;" V. 10. "Cum autem venerit, quod perfectum est, evacua-"bitur quod ex parte est."

Quæstio igitur restat de visione vel scientia, quæ non habet tantam certitudinem quantam habet fides, v. g. an eorum, quæ oculis videmus, vel per rationem naturalem clarè intelligimus, possimus adhuc habere fidem?

II. R. Negant Sylvius et communiter Thomistæ, quibus favet S. Thom. sed Suarez, Wiggers, aliique plures sententiam affirmantem tuentur, quæ probatur: 1°. Fides habet *motivum* formale omnino distinctum et sufficiens, adfertque specialem et majorem certitudinem, quàm illa visio aut scientia: adeoque fides non impeditur, sed adhuc manet necessaria, et perseverat esse utilis.

Probatur 2°. ab inconvenienti; quia aliàs sequeretur, quòd in D. Virgine et Apostolis non fuisset fides eorum, quæ de Christo oculis viderant, v. g. Christum resurrexisse, cùm tamen dicatur Joan. cap. 2. V. 22. "Cùm ergo resur-"rexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli ejus...et cre-"diderunt sermoni, quem dixit Jesus."

Similiter sequeretur, quòd dum Philosophus gentilis, qui scit evidenter Deum esse, ad fidem convertitur, non posset credere istam veritatem: cùm tamen Apost. dicat ad Hebr. cap. 11. V. 6. "Credere oportet accedentem ad Deum quia "est."

Nec satisfaciunt Thomistæ, dicendo, Apostolum exigere fidem existentiæ Dei ut authoris supernaturalium; nam videtur etiam manifestè requiri fides Dei tanquam authoris naturalium, cùm unusquisque juxta Symbolum Apostolorum dicere debeat: "Credo in Deum...Creatorem Cœli et "terræ."

Obj. Fides de se est obscura; est enim juxta Apostol. argumentum non apparentium: unde S. August. dicit Tract. 40. in Joan. "Quid est fides; nisi credere, quod non "vides:" ergo ea quæ videmus vel scimus, non cadunt sub fidem.

R. Neg. conseq. nam fides dicitur obscura, sive argumentum non apparentium negativè tantùm, non privativè; id est, fides, quantùm est de se, est obscura: quia per fidem res, quæ creduntur, non fiunt claræ vel evidentes,

sive fides not facit, ut intellectus videat res creditas secundùm seipsas: sed cum eo consistit, quòd intellectus videat ipsas per alium actum scientiæ naturalis vel visionis corporalis.

Instabis: Fides sic dicitur obscura, ut excludatur evidentia, quæ provenit ex visione vel scientia.

Probatur ant. S. Greg. Homilia 26. in Evang. dicit: "Quæ apparent fidem non habent, sed agnitionem: item "fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum:" ergo, &c.

R. Neg. conseq. nam S. Greg. agit de casu, ubi quis ea quæ credit, vult videre et intelligere, adeo ut aliàs credere non velit nisi priùs viderit res ipsas sic esse, quomodo Apost. Thom. dixit, "nisi videro non credam:" et de tali verè dicitur, quòd fidem non habeat, et fidem si habuerit, amittat.

N. 17. AN MYSTERIA FIDEI DEBEANT ESSE EVIDENTER CREDIBILIA.

I. *Tria prærequisita ad actum Fidei.* II. *Mysteria Fidei debent esse evidenter credibilia.* III. *Evidentiâ capacitati proportionatâ.*

I. PRÆNOTANDUM ad actum fidei divinæ eliciendum tria prærequiri: scilicet 1°. Mysteriorum fidei propositionem.

2°. Prudens ac firmum judicium de obligatione credendi ob motiva credibilitatis, quæ probant mysteria illa meritò suscipi tanquam revelata.

3°. Piam ac liberam voluntatis motionem efficaciter applicantis seu determinantis intellectum ad firmiter assentiendum veritati revelatæ propter primam veritatem: post quæ sequitur ipse assensus seu actus fidei divinæ.

Quæritur nunc, an, ut credantur fidei Mysteria, debeant esse evidenter credibilia?

II. R. Affirmativè; quia ad credendum fide divinâ illa Mysteria, requiritur, ut prudenter à voluntate imperetur assensus omnino certus et firmus: atqui talis assensus non potest prudenter imperari, nisi adsint argumenta quibus illa Mysteria fiant evidenter credibilia, seu quibus fiat evidens, illa meritò credi et suscipi tanquam à Deo revelata.

Argumenta illa vocantur "motiva credibilitatis," involvuntque quamdam evidentiam, non quà res credendæ fiant

evidentes, sed qui evidens fit, illas meritò credi, ut dictum est: hinc damnata est hæc proposit. 21. ab Innoc. XI. "Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum "notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, "quâ quis formidat, ne non sit locutus Deus."

III. Observat tamen Steyaert, evidentiam illam intelligendam esse capacitati credentium proportionatam; pueri enim, rudes et vulgus fidelium eandem, quam eruditi, habere non debent evidentiam; sed respectu ipsorum sufficere potest sola auctoritas Pastoris cum lumine interno fidei, quod in illis plerumque supplet alia credibilitatis motiva.

Cæterum, ait Steyaert, evidentiam illam communiter non parit nisi bonus voluntatis affectus; nam mens haud rectè disposita, etiam evidentissima pro obscuris aut etiam falsis rejicere potest.

Porro motiva credibilitatis alia sunt externa, alia interna.

N. 18. DE MOTIVIS CREDIBILITATIS EXTERNIS.

I. *Motiva credibilitatis externa.* II. *Auctoritas Ecclesiæ* III. *Miracula.* IV. *Quibus jungitur mirabilis Fidei propagatio.* V. *Oracula Prophetarum.* VI. *Fidei antiquitas, universalitas, &c.* VII. *Sanctitas et puritas doctrinæ.* VIII. *Constantia Martyrum.*

QUÆNAM sunt motiva credibilitatis externa?

I. R. Motiva credibilitatis externa à S. Thom. Bellarm. Wiggers, et cæteris plurima referuntur, ex quibus præcipua hìc subjiciemus.

II. Primum et sufficiens credibilitatis argumentum præbet auctoritas Ecclesiæ, seu propositio Ecclesiæ notis suis præfulgentis, de quibus infra.

III. Secundum desumitur à miraculis et signis, quibus veritates fidei nostræ à Christo, Apostolis et Prædicatoribus ad hæc usque tempora sunt confirmatæ. Etenim cùm miracula sint proprium Dei opus, et veluti divinitatis sigilla, fieri tantùm possunt in confirmationem veritatis: unde neque in confirmationem alterius sectæ unquam facta esse inveniuntur: si quæ interdum similia divulgata, ea solummodo ut prodigiosa quædam, vel ut præstigiosa et falsa evanuerunt.

Miraculis annumerari debet potestas in dæmones, quâ eos Christiani è corporibus pellunt, obmutescere faciunt, &c.

IV. Item miraculis indubiè adjungi debet mirabilis illa fidei nostræ propagatio in universum orbem facta per pauculos piscatores, eosque rudes, pauperes, et omnibus humanis præsidiis destitutos, qui prædicantes Christum crucifixum, "Judæis scandalum, Gentibus stultitiam," sub hujus Religionis, hominum adeo cupiditatibus contrariæ, jugo subjecerunt non indoctos solùm et simplices, sed et sapientes, Reges et Principes, sævientibus Tyrannis, contradicentibus Philosophis.

Nec ullus sanæ mentis illa miracula et facta negare potest, quin omnem fidem Historiæ etiam humanæ respuat: quòd si quis miracula perfractè neget, ei dicendum quod dicit S. Aug. lib. 22. "de Civ. Dei," cap. 5. "Hoc unum "nobis grande miraculum sufficit, quòd terrarum orbis "sinè miraculis illa mysteria credidit."

V. Tertium credibilitatis motivum desumitur ex oraculis Prophetarum, qui multis retrò sæculis fidei nostræ mysteria prædixerunt, eo prorsus modo eventura, quo evenerunt; qualia sunt, quæ spectant ad Christi nativitatem, vitam, mortem, resurrectionem, vocationem gentium, rejectionem Judæorum, &c. eaque tam clarè annuntiarunt, ut non tam futura, quàm coram se gesta narrare videantur.

Et ne quis calumniari posset, vaticina ista post factum fuisse à Christianis conficta, singulari Dei providentià effectum est, ut ipsi Judæi, religionis nostræ hostes infensissimi, libros illos et vaticinia ad hæc usque tempora studiosè conservaverint.

His addunt multi oracula sybillarum seu prophetissarum gentilium.

VI. Quartum argumentum habetur ex antiquitate, universalitate, firmitate et continuatione fidei nostræ: hæc breviter et nervosè expressit S. Aug. lib. contra Epistolam "Fundamenti" dicens: "Multa sunt, quæ me in Ecclesiæ "gremio justissimè tenent: consensio populorum et gentium, "authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta "et vetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, "cui pascendas oves suas Dominus mandavit, usque ad "præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum: tenet "denique ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa "inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut "omnes hæretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen "peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus "hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat "ostendere." Hactenus S. Aug.

VII. His adde sanctitatem et puritatem doctrinæ ac membrorum Ecclesiæ: mirè enim Religioni nostræ fidem conciliant, quæ de virtutibus et vitiis, de bonorum operum præmio et peccatorum pœnis, de cultu Dei, morumque sanctimonia docet Ecclesia.

VIII. Tandem invictum veritatis fidei argumentum præbet constantia innumerabilium Martyrum omnis ætatis, sexûs, et conditionis, qui sanguine suo fidem Catholicam obsignarunt.

N. 19. DE MOTIVIS CREDIBILITATIS INTERNIS.

I. *Motiva credibilitatis interna.* II. *Lumen naturale intellectûs.* III. *Et lumen Fidei.* IV. *Quod est duplex.* V. *Habituale.* VI. *Et actuale.*

QUOTUPLEX distinguitur motivum credibilitatis internum?

I. R. Duplex distingui solet, scilicet supernaturale lumen fidei, et naturale lumen intellectûs.

II. Per lumen naturale intellectûs inducitur homo dumtaxat inchoatè ad fidem, quatenùs per illud res fidei videri possunt evidenter credibiles propter argumenta extrinseca, dum attente et sinè passione perpenduntur: unde judicium illud de credibilitate mysteriorum non debet necessariò esse supernaturale; id tamen vix fit, quia, ut quis practicè judicet, mysteria illa esse fide divinâ credenda, opus est gratiâ: imò ut constanter et firmiter judicet, veritates esse evidenter credibiles, lumen supernaturale fidei est necessarium; quia, ut dicit Wiggers, ista sunt præambula et dispositiones ad fidem, quæ debent esse ejusdem ordinis cum ipso actu principali: hinc Isa. cap. 7. V. 9. juxta versionem LXX. dicitur: "Si non credideritis, non intelligetis."

Quid est lumen fidei?

III. R. Est lumen quoddam supernaturale internum, seu interior instinctus Dei, quo intellectus inclinatur, ut attendat argumenta credibilitatis, et illuminatur, ut faciliùs argumentorum pondus et evidentiam capiat.

IV. Lumen fidei distingui potest in habituale et actuale.

V. Habituale est ipse habitus fidei, de quo ita S. Thom. quæst. 1. art. 4. ad 3: "Lumen fidei facit videre ea, quæ "creduntur:" scilicet facit videre ea esse evidenter credibilia: etenim sicut per alios habitus virtutum homo videt illud, quod est sibi conveniens secundùm habitum illum,

ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis, ad assentiendum his, quæ fidei conveniunt, et non aliis.

VI. Lumen actuale continet quasdam actuales illustrationes internas, seu gratias, quibus Deus prævenit et illuminat hominem, ut attendat et percipiat Mysteriorum fidei credibilitatem: ita Act. cap. 16. V. 14. legitur Deus aperuisse cor Lydiæ intendere his, quæ dicebantur à Paulo.

Itaque quod præstat habitus fidei fidelibus, hoc confert, et quidem sensibiliùs, lumen actuale iis, qui habitum fidei non habent.

Quamvis juxta ordinarium divinæ Providentiæ modum externa credibilitatis motiva sint necessaria, ea tamen lumine fidei perficiuntur, et suppleri possunt. Hinc. S. Hieron. in cap. 9. Matth. illis, qui stultitiæ insimulabant eos, qui statim secuti sunt Christum, respondet: "Certè fulgor ipse, "et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie "relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat as-"pectu;" lumine fidei scilicet fulgorem illum ac majestatem divinitatis occultè illuminante.

N. 20. DE ANALYSI SEU RESOLUTIONE FIDEI.

I. *Resolutio Fidei nostræ.* II. *Fit ultimatè in primam veritatem.* III. *In Ecclesiam verò ut causam proponentem.* IV. *Nec ideo fit circulus vitiosus.* V. *Propositio Ecclesiæ ordinariè ad Fidem necessaria.*

I. RESOLVERE actum fidei, est ipsum reducere in sua principia, quæ ad productionem istius actûs concurrunt.

In quod fit ultima fidei nostræ resolutio?

II. R. Fides nostra ultimatè tanquam in rationem formalem et à priori resolvitur in primam veritatem Dei revelantis: unde ad quæstionem, quare quis credat Deum v. g. esse trinum et unum, ultimata, sufficiens et adæquata responsio est hæc: quia Deus est prima veritas, qui revelavit: et hujus responsionis nulla est danda ratio ulterior, quasi à priori.

III. Cùm tamen ulteriùs quæri possit, quare quis credat, illud esse revelatum, vel undenam sciat illud esse revelatum; inde exurgit alia fidei resolutio, quasi à posteriori, quæ fit in causam proponentem objecta fidei: et ita cùm revelatio divina ordinariè nobis non innotescat, nisi per propositionem Ecclesiæ, hinc ad hanc quæstionem rectè respondetur: quia Ecclesia Catholica, quæ est columna et firmamentum veritatis, illud credendum proponit; et ita secunda resolutio

fidei dicitur fieri in authoritatem Ecclesiæ, non tanquam in causam ultimam et formalem (nam ea, quæ Ecclesia proponit ultimatè credimus propter primam veritatem) sed tanquam in causam proponentem revelata, quæ notis suis refulgens, ea facit evidenter credibilia: unde propositio Ecclesiæ non ingreditur motivum formale fidei, sed tantùm applicat revelata nostro intellectui.

Hoc sensu dicit S. Aug. libro contra Epistolam Fundamenti, cap. 5. "Ego Evangelio non crederem, nisi "me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas." Huic doctrinæ adversantur nostri hæretici, volentes resolutionem fidei fieri debere in solam Scripturam Sacram, vel in privatum instinctum Spiritûs Sancti, non in Ecclesiam.

Objiciunt: si fidelis crederet mysteria fidei, quia Ecclesia illa credenda proponit, committeretur circulus vitiosus. Probatur: Crederet divinam revelationem ob authoritatem Ecclesiæ et vicissim crederet authoritatem Ecclesiæ propter divinam revelationem: ergo committeretur vitiosus circulus.

Probatur conseq. quia tunc committitur circulus vitiosus, quando unum probatur pel aliud, et contra: sive quando fit transitus de uno ad aliud, et vicissim de alio ad prius; atqui hoc fit in data resolutione: ergo, &c.

IV. R. Neg. cons. et disting. assump. probationis: tunc committitur circulus vitiosus, quando fit transitus de uno ad aliud, et contra, secundùm eandem rationem, concedo assump. secundùm diversam rationem, neg. assump. jam autem in credendis prima veritas revelans se habet per modum causæ formalis; authoritas verò Ecclesiæ per modum causæ proponentis.

Deinde authoritas Ecclesiæ independenter à revelatione cognosci potest ex suis notis, miraculis, aliisque testimoniis à revelatione seu Scripturâ Sacrâ distinctis: unde cùm unum non ita dependeat ab alio, ut independenter ab alio probari non possit, non magis committitur circulus vitiosus, quàm in testimonio, quod Joannes Baptista præbuit Christo, et Christus Joanni. Alia exempla require in Steyaertio.

An propositio Ecclesiæ absolutè necessaria est, ut veritates Catholicæ credantur?

V. R. Ea communiter est necessaria; quia veritates illæ communiter nobis per alia argumenta non redduntur evidenter credibiles: atque hoc sensu S. Aug. supra citatus dicit: "Evangelio non crederem," &c.

Extraordinariè tamen illa Ecclesiæ propositio non intervenit, dum scilicet aliis modis veritates Catholicæ satis innotescunt, esse evidenter credibiles; ita Apostolo Paulo,

prout testatur ad Galat. cap. 1. V. 12. veritates fidei immediatè sunt revelatæ.

N. 21. QUÆSTIO PRACTICA.

I. *Eorum, qui resolutionem Fidei facere nequeunt.* II. *Quidam verè non credunt.* III. *Quidam verè credunt.* IV. *Monitum practicum.*

QUID judicandum de illis, qui fidei resolutionem in primam veritatem facere nesciunt; sed interrogati, quare credant, respondent, se credere ut salvi fiant, quia ita sunt edocti, quia Pastor sic docuit, vel ad summum respondebunt, quia Ecclesia præcipit vel Deus mandat?

I. Respondetur cum Steyaertio disp. 3. "de Fide," aliquos ex illis censendos esse tanquam non verè credentes, aliquos autem ex illis verè credere.

Quinam ex illis censendi sunt credere, quinam non?

II. R. Difficulter id discerni potest: ex fructibus eorum communiter dignosci possunt; unde si valdè incurii sint, sive in moribus ad fidei normam exigendis, sive in hauriendis instructionibus circa fidem, credentes tantùm, quia vident alios sic tenere, credituri proinde aliud si occasio foret, hos communiter fas est habere, tanquam qui verè Christianam fidem non habent.

III. Qui verò sedulò exercitiis pietatis incumbunt, licèt hi cordis sui affectum explicare nesciant, credunt tamen, quomodo Deus et Ecclesia Catholica ab eis exigit fidem, pro qua etiam mori non dubitarent; adeoque virtualiter credunt ex vero motivo, nempe quia Deus est prima veritas, qui revelavit, licèt sic expeditè respondere nequeant.

IV. Interim sollicitè curare debet Parochus, ut populo frequenter et disertè in Catechismis, &c. inculcet, quòd ea, quæ habentur in Symbolo, aliaque credenda Deus revelaverit atque ideo credenda sint; quia Deus, qui revelavit, est prima veritas, falli et fallere nescia.

Sunt tamen, inquit Steyaert, qui psittacorum instar expeditè pronuntiant, illud sibi ab instructoribus inculcatum: "Credo quia Deus revelavit; et hoc scio, quia Ecclesia "proponit, quæ errare non potest:" et qui intus fide sunt vacui, eò quòd illud, quod sciunt et dicunt, cor eorum non tangat: "corde autem creditur ad justitiam:" hoc verò, quandonam fiat, prudentiæ directoris animarum relinquitur.

N. 22. DE ARTICULIS FIDEI.

S. Thom. quæst. 1. *art.* 6.

I. *Articulus Fidei.* II. *Debet esse veritas primaria pertinens ad salutem.* III. *Et specialem habens difficultatem.*

QUID intelligitur per fidei articulum?

I. R. Est propositio, seu veritas quædam primaria inter credenda, habens particularem in credendo difficultatem, pertinens ad salutem æternam. Ita Symbolum Apostol. complecitur duodecim articulos.

II. Hinc patet, quod propriè et theologicè loquendo, ut aliquid sit fidei articulus, requiratur primò, ut sit veritas primaria pertinens ad nostram justificationem: adeoque, quòd Abraham habuerit duos filios, unum de ancilla, alterum de libera; quòd attactu ossium Elizæi, revixerit mortuus, &c. non sunt articuli fidei, sed veritates illæ reducuntur ad unum generalem articulum, quo omnia quæ asseruntur in Scriptura S. creduntur esse vera.

III. Secundò requiritur, ut ista veritas specialem habeat in credendo difficultatem: unde, quòd Christus passus sit, mortuus et sepultus, unus est fidei articulus, tres continens propositiones, quarum duæ posteriores non habent diversam à priori difficultatem; si enim Christus potuit pati, potuit et mori et sepeliri: sed quòd die tertiâ resurrexerit, articulus est distinctus, quia specialem habet difficultatem.

N. 20. AN ARTICULI FIDEI SUCCESSU TEMPORIS CREVERINT?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1.

I. *Articuli Fidei successu temporis creverunt.* II. *Quoad substantiam juxta aliquos.* III. *Juxta alios quoad explicationem tantùm.* IV. *Neutro tamen modo post tempora Apostolorum.* V. *Ecclesia manet semper æquè docta.*

AN et qualiter articuli fidei successu temporis creverunt?

I. R. Certum est, quòd Articuli fidei ab Adam usque ad tempora Apostolorum creverint; multa enim sunt, quæ explicitè et in majori numero creduntur sub nova lege, v. g. Christi Incarnatio, Passio, Resurrectio, Sacramenta, &c. quæ non ita credebantur sub veteri Lege.

Quæstio tantùm aliqua est, an per hoc dici possit, articulos fidei crevisse quoad substantiam, an tantùm quoad explicationem et expressam professionem.

II. Et in hac quæstione, quæ ferè de nomine est, Pauwels, Pater Antoine, &c. dicunt, articulos fidei ab Adam usque ad Apostolos crevisse quoad substantiam.

III. Plures tamen cum S. Thom. amant dicere, quòd non creverint quoad substantiam, sed tantùm quoad explicationem, sive quòd tantùm notiores et explicatiores evaserint; quia, inquiunt, quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium, quatenùs omnes articuli implicitè continentur in his duobus: Deum esse, et "providentiam habere circa salutem hominum;" qui enim illa credit, censetur eadem credere, prout à parte rei se habent, vel prout à Deo sunt ordinata, quamvis de illis nondum sit instructus.

An etiam post tempora Apostolorum fidei articuli creverunt?

IV. R. Neque quoad substantiam, neque quoad explicationem creverunt; quia illo tempore fuit plenitudo fidei juxta illud Joan. cap. 16. V. 13. "Cùm venerit ille Spiri-"tus veritatis, docebit vos omnem veritatem;" quapropter novæ revelationes, quæ fidem Catholicam concernunt, admitti ampliùs non debent.

Dices: post tempora Apostolorum multæ veritates à Conciliis et à Pontificibus sunt definitæ et propositæ tanquam de fide, quæ ante definitionem de fide non erant: ergo etiam post tempora Apostolorum articuli fidei creverunt.

R. Negando conseq. quia illæ veritates ab Apostolis etiam explicitè fuerunt cognitæ et Ecclesiæ propositæ proinde Ecclesia definiens non condit articulum omnino novum, sed de novo illum particulariter proponit; non tamen ex nova revelatione, sed tantùm declarans, quænam credi debeant, ac ab Apostolis tradita et credita fuerint.

Ex quo patet, quòd aliqua possint incipere vel desinere esse de fide, scilicet obligante, prout in fine Num. 12. dictum est.

An Ecclesia post Apóstolorum tempora per succedentes ætates semper est minùs docta et minùs intelligens in mysteriis fidei?

V. R. Negativè: quia sicuti temporibus prioribus, ita etiam posterioribus Ecclesia est fundamentum et columna veritatis, cui Deus usque ad consummationem sæculi assistentiam suam promisit.

Unde rejiciendum hoc hæreticorum commentum (à quo non multùm distat Quesnellus prop. 95.) quòd Ecclesia semper majoribus tenebris involvatur, et præ senio aliquando deliret, aut senectute deficiat.

Hoc quidem concedi potest, quòd Patres viciniores temporibus Apostolorum, ut S. Hier. Aug. &c. fuerint magis illuminati quàm moderni : sed tamen idem lumen hodie in toto corpore Ecclesiæ invenitur, dum nos ex eorum scriptis cognoscimus veritates, quas illi magis immediatè per Spiritûs Sancti unctionem didicerunt.

N. 24. DE SYMBOLO FIDEI

S. Thom. quæst 1. *art*. 9.

I. *Symbolum Fidei.* II. *Est convenienter factum.* III. *Sunt quatuor symbola.* IV. *Quare sint plura symbola.* V. *Occasio symboli Nicæni.* VI. *Et Constantinopolitani.* VII. *Symbolum S. Athanasii.* VIII. *Ordinare symbolum spectat ad Pontificem.*

QUID est Symbolum fidei?

I. R. Est summa, seu collectio quorumdam articulorum fidei, primaria ab omnibus credenda summatim proponens.

An fuit conveniens, præcipuos fidei articulos summatim proponere?

II. R. Affirmativè : 1°. ad faciliorem fidelium instructionem.

2°. Ut faciliùs fidei unitas toto orbe servaretur.

3°. Ut professione Symboli fideles ab infidelibus discernerentur.

4°. Ne simplicium fides ab infidelibus corrumperetur.

Quot numerantur Symbola fidei?

III. R. Quatuor, scilicet Symbolum Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum et S. Athanasii.

Symboli quoque naturam, etsi non nomen, habet professio fidei, quam Pius IV. Pontifex ex decretis Trid. præscripsit, et ab omnibus ad munia sacra, gradus academicos, &c. promovendis emittendam cum juramento sancivit.

Quare plura Symbola in Ecclesia proponuntur?

IV. R. cum S. Thom art. cit. ad 2. "Dicendum quòd "in omnibus Symbolis eadem fidei veritas doceatur; sed "ibi oportet populum diligentiùs instrui de fidei veritate, "ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos "corrumpatur ; et hæc fuit causa, quare necesse fuit edere

"plura Symbola, quæ in nullo differunt, quàm quòd in "uno pleniùs explicantur, quæ in alio continentur implicitè, "secundùm quod exigebat hæreticorum instantia."

V. Atque ita juxta Baronium et Binium anno Christi 325. in prima Synodo Œcumenica Nicæna, contra Arium ejusque Asseclas conditum est Symbolum Nicænum, in quo varia circa Divinitatem Christi explicatiùs sunt posita.

VI. Circa annum 381. confectum est Symbolum Constantinopolitanum, quod in Missa recitatur: in eo contra Eunomianos et Macedonianos hæreticos Divinitas Spiritûs S. ejusque ex Patre processio clariùs exprimitur: huic Symbolo postea ob novos errores exurgentes addita est particula "Filioque."

VII. Symbolum: "quicumque vult salvus esse," quod in officio de Dominica in Prima legitur, vocatur S. Athanasii, eò quòd à S. Athanasio Espiscopo Alexandrino confectum esse, veteres passim crediderint: plerique tamen juniores critici illud S. Athanasio abjudicant.

VIII. Notandum, cum S. Thom. quæst. 1. art. 10. quòd ad solum Summum Pontificem spectet nova editio Symboli: ac proinde, quod Symbolum S. Athanasio adscriptum, non possit dici Symbolum, quatenùs ab ipso compositum, sed quatenùs authoritate Summi Pontificis est receptum; unde S. Th. loc. cit. ad 3. "dicendum, quòd S. Athanasius non "composuit manifestationem fidei per modum Symboli; sed "magis per modum cujusdam Doctrinæ, ut ex ipso modo "loquendi apparet: sed quia, integram fidei veritatem ejus "doctrina breviter continebat, authoritate Summi Pontificis "est recepta, ut quasi regula fidei habeatur."

N. 25. DE SYMBOLO APOSTOLORUM.

I. *Symbolum Apostolorum.* II. *Cur ita vocetur.* III. *Debet sciri jure divino.* IV. *Quoad substantiam sub mortali.* V. *Debet etiam sciri verbotenùs.* VI. *Sed per se tantùm sub veniali.* VII. *Dividitur in duodecim articulos.*

QUODNAM est Symbolum Apostolorum?

I. R. Est illud, quod sæpe in Horis Can, legitur, scilicet "Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli "et terræ, &c."

Quare illud vocatur Symbolum Apostolorum?

II. R. Tum quia continet doctrinam et articulos ab ipsis Apostolis prædicatos, tum etiam quia ab Apostolis, prius

quàm in varias orbis partes ad prædicandum dispergerentur, est compositum.

Obj. Patres trium primorum sæculorum nunquam illud Symbolum allegarunt contra exurgentes hæreses: ergo tunc necdum erat notum; adeoque non est ab Apostolis compositum.

R. 1°. Negando antec. Nam S. Irenæus, qui magistrum habuit Polycarpum discipulum S. Joannis, lib. 1. adversùs hæreses cap. 10. manifestè illud adfert, dicens: "Ecclesia "per universum orbem dispersa fidem eam ab Apostolis "eorumque discipulis accepit, quæ est "in unum Deum "Patrem omnipotentem." Idem Tertullianus variis locis indicat. Vide plura testimonia apud Billuart et alios.

R. 2°. Dato antecedente, negatur consequentia; cujus ratio est, quòd Patres primorum sæculorum allegaverint veritates in Symbolo contentas tanquam ab Apostolis profectas cum aliis veritatibus, quæ ex traditione Apostolica contra hæreticos allegabantur: nec debuit propterea contra eos adduci authoritas illius Symboli; quia hoc non plus quàm cæteræ traditiones Apostolicæ eos confudisset.

Deinde hoc notandum, quòd primis Ecclesiæ sæculis Symbolum istud, sicut alia fidei mysteria occultaretur, ne illo in derisum et vituperium Ecclesiæ infideles abuterentur: ita ut à fidelibus non scriberetur, sed solùm memoriâ retineretur: imò ne quidem à Catechumenis memoriæ juvandæ causâ describi permittebatur. Sic clarè docet S. Aug. Sermone 212. "de Traditione Symboli" his verbis: "Nec "ut eadem verba Symboli teneatis nullo modo debetis scri-"bere, sed audiendo perdiscere; nec, cùm didiceritis, "scribere, sed memoria semper tenere et recolere."

Mirum ergo non est, illud Symbolum in scriptis primorum Patrum expressè non inveniri. Vide Card. Bona rerum Lithurgicarum lib. 2. cap. 8. num. 1.

Simul observa, Symbolum hoc inter Scripturas Sacras non numerari; quia licèt Spiritu S. inspirante conceptum sit et compositum; tamen non est à Spiritu Sancto dictatum, ut scriberetur, sed ut vivâ voce traderetur: unde verbum Dei traditum dicitur.

Estne obligatio, ut fideles sciant Symbolum Apostolorum?

III. R. Affirmative: quia jure divino debemus credere Evangelio; sed Symbolum continet primaria Evangelii capita: ergo quilibet illud credere debet, adeoque etiam scire.

Quanta est obligatio sciendi Symbolum Apostolorum?

IV. R. cum S. Carolo Borrom. actorum Ecclesiæ Mediolanensis parte 4: "Christianus omnis, si adultus est

"sub pœna peccati mortalis scire debet articulos omnes "Symboli Apostolorum;" intellige quoad substantiam.

Ille autem dicitur articulos scire quoad substantiam, qui, licèt nec verba præcisè, nec verborum ordinem memoriâ teneat, interrogatus tamen de quolibet articulo respondere potest, quantùm exigit articuli substantia.

Proinde non sufficit, posse recitare Symbolum ignoto sibi idiomate, vel illud nosse materialiter; sed sciri debet cum intelligentia terminorum; idque practicè notandum de aliis omnibus scitu necessariis.

Observa tamen non omnia, quæ in Symbolo continentur, ejusdem esse necessitatis: et ita Passio Christi longè majoris momenti est, quam circumstantia "sub Pontio "Pilato:" unde hujus ignorantia à culpa saltem gravi excusari potest.

An fideles etiam verbotenùs Symbolum scire tenentur?

V. R. Affirmativè, idque probat communis sensus fidelium: atque ea obligatio vel ab Apostolis, vel ab Ecclesiæ consuetudine introducta est; unde jam à prioribus Ecclesiæ sæculis sancitum est, ut pueri statim ac doctrinæ capaces fiunt, ante omnia Symbolum et alia ejusdem necessitatis mysteria perdiscant.

VI. Porro docent Malderus, Wiggers, Sylvius, &c. obligationem verbotenùs sciendi Symbolum, per se non esse gravem, sed tantùm levem: si tamen ex supina negligentia quispiam illud nesciret recitare, non facilè foret à mortali excusandus; quia talis plerumque etiam ignorabit articulos quoad substantiam, et graviter negligens invenietur in exercendis actibus fidei, spei, &c. unde dicit S. Aug. "Nescio, "quâ fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in "Symbolo et Oratione Dominicâ comparare dissimulat."

Quomodo dividitur Symbolum Apostolorum?

VII. R. Dividitur in duodecim Articulos, et hæc divisio recepta magis est, et observata à Catechismo Rom. juxta numerum Apostolorum.

Distingui etiam solet in tres partes, quarum prima agit de Patre et rerum creatione, secunda de Filio et Mysterio redemptionis, tertia de Spiritu Sancto, fonte sanctificationis.

N. 26. EXPLICATIO SYMBOLI APOSTOLORUM.

I. *Credo.* II. *In.* III. *Deum.* IV. *Patrem.* V. *Omnipotentem.* VI. *Creatorem cœli et terræ.*

EXPLICA primum articulum Symboli Apostolorum.

I. R. "Credo" idem est, ac si diceretur, firmiter assentior illis, quæ duodecim articulis continentur ob authoritatem Dei revelantis.

Quare observa, quòd hæc vox "credo" communis sit omnibus articulis, et ad initium singulorum subintelligi debeat.

Quid significatur per particulas "in Deum?"

II. R. Per particulam "in" denotatur, quòd Deus sit finis noster ultimus, in quem Fide, Spe, Charitate et Religione tendere debemus. Pro cujus intellectu,

Nota, quòd hoc verbum "credo" triplicem habeat relationem ad Deum, quam S. Thom. q. 2. art. 2. distinguit per hos tres actus: "Credere Deo, credere Deum, et credere "in Deum."

"Credere Deo," est credere vera esse, quæ Deus revelavit. "Credere Deum," est credere Deum esse seu existere. "Credere in Deum," est credendo et amando tendere in Deum sicut in finem ultimum.

Quomodo ergo peccatores dicere possunt: "Credo in "Deum?"

R. Cum S. Thom. art. 9. ad. 3. Fideles extra statum gratiæ existentes dicere possunt "credo in Deum," etiamsi actus ille, dum perfectus est, proprius sit fidei formatæ: quia confessio fidei in Symbolo recitatur in persona Ecclesiæ, quæ semper habet fidem formatam: tum etiam, quia in isto actu intervenit pia quædam motio cordis captivantis intellectum in obsequium fidei, et in Deum tendere aliqualiter affectantis.

III. Per vocem "Deum" in singulari expressam, designatur unum tantùm esse Deum.

IV. Per vocem "Patrem" propriè intelligitur prima Sanctissimæ Trinitatis persona; nam vox "Pater," hìc sumitur personaliter per oppositionem ad Filium et Spiritum S. qui in sequentibus articulis exprimuntur.

Quare additur "omnipotentem?"

V. R. Tum quia omnipotentia est attributum maximè obvium, quo Deus à creaturis distingui cognoscitur, tum quia consideratione omnipotentiæ Dei animus faciliùs ad captivandum intellectum præparatur.

Observa, quòd nomen "omnipotens," sicut et nomen "Creator" et omnia opera ad extra, communia sint omnibus tribus personis: omnipotentia tamen et opera potentiæ, ut creatio mundi, peculiariter adscribuntur Patri per appropriationem, sicut sapientia Filio, et opera charitatis Spiritui Sancto. Vide Num. 68. in Tractatu "de Deo."

Quid significant particulæ sequentes: "Creatorem cœli "et terræ?"

VI. R. Significant, quòd Deus ex nihilo cœlum et terram et omnia, quæ in eis sunt, condiderit: itaque nomine cœli et terræ comprehenduntur Angeli, sidera, et cætera omnia, quæ non sunt Deus.

Quæ mundi creationem concernunt, vide iterum in Tractatu "de Deo."

N. 27. EXPLICATIO SECUNDI ARTICULI; ET IN JESUM CHRISTUM.

I. *Et.* II. *In.* III. *Jesum.* IV. *Christum.* V. *Filium ejus unicum.* VI. *Dominum nostrum.*

QUID proponit secundus articulus Symboli?

R. Fidem in secundam Sanctissimæ Trinitatis personam pro nobis incarnatam, scilicet,

I. Particula "Et" repetit verbum "Credo."

II. Particula "in" ut supra, denotat divinitatem Christi, illumque esse finem nostrum ultimum.

Quid significat venerabile nomen "Jesus?"

III. R. Significat idem, quod Salvator, estque nomen proprium secundæ SS. Trinitatis personæ, quæ Deus et homo est.

Quare, dum auditur nomen "Jesus," speciale reverentiæ signum ostendimus, non sic audito alio Dei nomine?

R. Quia Deus Pater specialiter illud nomen exaltatum voluit, in quo Filius se humiliavit usque ad mortem, secundùm quod declarat Apostolus ad Philipp. cap. 2. V. 9. "Donavit illi nomen, quod est super omne nomen;" V. 10. "ut in nomine Jesu omne genu flectatur Cœles-"tium, Terrestrium et Infernorum."

Hinc pia illa et laudabilis consuetudo, nomen illud in tentationibus et tribulationibus, ac præsertim in articulo mortis pronuntiandi, ad debellandum dæmonem, cui nomen illud terribile.

Quid significat nomen "Christus?"

IV. R. Latinè significat "Unctum;" est nomen officii et honoris; olim enim ungebantur Sacerdotes, Prophetæ et Reges: significatur ergo, Christum esse Summum Sacerdotem, Prophetam et Regem.

Ab hoc nomine, nos tanquam Discipuli et imitatores Christi dicimur Christiani.

V. Quid inducunt verba sequentia: "Filium ejus unicum?"
R. Demonstrant æternam ejus ex Patre generationem additur verò "unicum," quo significatur, quòd Christus sit filius Patris naturalis, non adoptivus, prout justi dicuntur filii Dei ratione adoptionis per gratiam: item quòd non sit nec esse possit, nisi unus filius in divinis.

VI. Tandem dicitur: "Dominum nostrum," quia secundùm quod est Deus, est noster Creator, Conservator et Gubernator: et præcipuè quia, secundùm quod est homo, nos de potestate diaboli sanguine suo liberavit et redemit.

N. 28. DE TERTIO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.* II. *Natus ex Maria Virgine.*

QUID docetur tertio Symboli articulo?
R. Mysterium Incarnationis, ejusque mirabilis modus explicatur.

Mysterium Incarnationis in eo consistit, quòd Filius ab æterno Deus in tempore assumpserit naturam humanam, eam sibi hypostaticè uniendo, sicque factus sit homo. De hoc Mysterio agitur in tertia Parte.

Quid significatur per hæc verba: "Qui conceptus est de "Spiritu Sancto?"
I. R. Significatur 1°. Spiritum Sanctum è purissimo V. Mariæ sanguine corpus efformasse, animamque ex nihilo creasse, quibus eodem instanti persona Filii hypostaticè unita est.

Juxta hodiernum tamen Medicorum systema, cùm corpus humanum non formetur ex sanguine Matris, sed ex ovo ejusdem, Christi conceptio paulo aliter exponi posset; sed prior exponendi modus, cùm sit in Ecclesia receptus et usitatus, non est mutandus.

2°. Significatur, quòd Christus, quatenùs homo, non habuerit Patrem, sicuti quatenùs Deus non habuit Matrem.

An igitur Spiritus Sanctus non potest dici Pater Christi?
R. Negativè: quia Christus à Spiritu Sancto nullo modo procedit "per modum generationis:" solus autem ille dicitur Pater, qui generat, seu qui producit sibi simile in natura vi modi producendi. Vide S. Thom. 3. p. quæst. 32. art. 3.

Quare opus Incarnationis specialiter adscribitur Spiritui Sancto, non ita Patri?
R. Opus Incarnationis, quatenùs est opus ad extra, operata est tota Sanctissima Trinitas; sed quia est opus summi amoris, hinc specialiter adscribitur Spiritui S. cui ope

amoris per appropriationem attribuuntur, ut Num. 26. dictum est.

Quare adduntur sequentes particulæ: "Natus ex Maria "Virgine?"

II. R. 1°. Ut Christus credatur verus homo, utpotè natus ex homine.

R. 2°. Ut significetur adimpletum magnum illud miraculum ab Isaïa cap. 7. V. 14. prænuntiatum; "Ecce "Virgo concipiet, et pariet filium:" Maria scilicet Virgo fuit ante partum, in partu et post partum.

N. 29. DE QUARTO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Passus*. II. *Sub Pontio Pilato*. III. *Crucifixus*. IV. *Mortuus*. V. *Et sepultus*. VI. *Quare tanta passus*. VII. *Deductio moralis*.

QUID complectitur quartus Symboli articulus: "Passus "sub Pontio Pilato?"

R. Mysterium nostræ redemptionis, modumque et ordinem, quibus hæc peracta est.

Quomodo rectè de Christo dicitur, quòd sit passus et mortuus, quandoquidem Christus sit Deus, qui pati aut mori non potest.

R. Id rectè dici: quia Christus Deus et homo est: passus autem et mortuus est, non secundùm divinam, sed secundùm humanam naturam.

I. Igitur "passus est," quia in anima et corpore veros et gravissimos dolores sustinuit.

II. Additur "sub Pontio Pilato," ut certum tempus Passionis Christi cognosceretur, et impleta monstraretur prædictio Christi Matth. cap. 20. V. 19. "Tradent eum "gentibus ad illudendum, ad flagellandum et crucifigen- "dum."

III. Additur "crucifixus," quo exprimitur genus supplicii, quod Christus pro nobis subiit, quo nullum erat turpius et acerbius, et quo affici non nisi nocentissimi et sceleratissimi consueverant, maximè apud Judæos; quia ut dicitur Deuter. cap. 21. V. ultimo: "Maledictus à Deo "est, qui pendet in ligno."

IV. "Mortuus" est, inquantùm anima separata fuit à corpore, seu inquantùm unio vitalis animæ et corporis dissoluta fuit.

Observa tamen, quòd anima Christi separata à corpore escenderit ad inferos, divinitas neque à corpore neque ab

anima fuerit sejuncta, sed manserit cum iis, licèt separatis, hypostaticâ unione conjuncta. Vide S. Th. 3. p. q. 50. a. 2.

V. Tandem dicitur "et sepultus," quo denotatur, corpus Christi positum fuisse in sepulchro materiali: additur autem illud, ut demonstretur Christum verè fuisse mortuum, verèque à mortuis resurrexisse.

Quare Christus, cùm esset innocens, voluit tanta pati?

VI. Multis de causis: 1°. ut Deo pro peccatis nostris satisfaceret non tantùm per modum sufficientis meriti et pretii "intensivè;" sed etiam "extensivè" per modum Passionis.

2°. Ut maximam suam erga genus humanum charitatem demonstraret.

3°. Ut exemplo suo nos alliceret et doceret virtutes charitatis, patientiæ, mansuetudinis, obedientiæ et humilitatis.

VII. Moraliter docemur, quòd ad exemplum Christi Crucem ferre debeamus secundùm illud Matth. cap. 16. V. 23. "Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, "et tollat crucem suam et sequatur me:" quod non de Cruce materiali, sed in sensu metaphorico de tribulationibus, afflictionibus, tentationibus, &c. est intelligendum.

Articulus hic similiter ingerit jugem de Passione Christi meditationem, quâ excitemur ad charitatem, gratiarum actionem, imitationem, pœnitentiam, &c.

N. 30. DE QUINTO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Ad inferos.* II. *Tertiâ die.* III. *Resurrexit à mortuis.*

QUID credendum proponitur in prima parte articuli quinti: "Descendit ad inferos?"

R. Quòd anima Christi à Corpore separata descenderit ad locum inferorum, ibique tamdiu manserit, quamdiu corpus in sepulchro.

Ad quem locum inferorum descendit?

R. Nomine inferorum intelliguntur abdita receptacula, in quibus detinentur animæ, quæ cœlestem beatitudinem non sunt consecutæ: hæc autem, ut docet Catechismus Romanus, ante Christi Resurrectionem tria fuerunt, nempe infernus damnatorum, purgatorium et limbus, in quo animæ justorum plenè purgatæ ante Christi ad eos adventum excipiebantur. Vide Tract. "de Quatuor Novissimis."

I. Ilis præmissis certum est, quòd anima Christi descenderit ad limbum Patrum, eorumque animas repentè beatas reddiderit, et ad Cœlos postmodum ascendens secum duxerit.

Verisimile est, quòd ad locum Purgatorii etiam penetraverit, animasque ibi detentas consolatus fuerit et fortè simul à pœnis saltem aliquas liberaverit.

Quòd ad locum damnatorum descenderit, non est verisimile; virtutem tamen Christi descendentis sentire potuerunt.

Notandum, hæreticos descensum Christi ad inferos negantes, non minùs impiè quàm imperitè inferos hìc pro sepulchró accipere: sepultura enim evidenter articulo quarto expressa est, sicque inutiliter verbis obscuris hìc repeteretur.

II. Explica alteram partem articuli quinti: "Tertiâ die "resurrexit à mortuis."

R. Computando diem crucifixionis pro prima die, clarum est, quòd resurrexerit tertiâ die resurgendo die Dominicâ; nam feriâ sextâ mortuus est et post meridiem sepultus ante solis occasum, sabbato toto mansit in sepulchro, et die Dominicâ manè resurrexit.

Major est difficultas, quòd Matth. cap. 12. V. 40. dicatur, "Filius hominis futurus in corde terræ tribus diebus et "tribus noctibus:" sed ad hoc dicendum, quòd, per Synecdochen, totum ponatur pro parte.

III. "Resurrexit à mortuis;" quia anima Christi iterum unita fuit corpori unione vitali, et quidem taliter, ut corpus vitam immortalem et gloriosam acquisierit.

Quare de Christo dicitur, quòd resurrexerit, et de aliis v. g. Lazaro, quòd resuscitati fuerint?

R. Quia Christus virtute divinitatis suæ seipsum ad vitam revocavit, alii verò non propriâ, sed alterius virtute ad vitam sunt suscitati. Dum autem in Scripturis interdum legimus, ut Act. cap. 2. V. 24. Christum à Deo suscitatum, hoc ad eum ut hominem est referendum.

N. 31. DE SEXTO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Ascendit ad Cælos.* II. *Sedet ad dexteram.* III. *Patris.*

QUID proponit hæc pars: "Ascendit ad Cœlos?"

1. R. Mysterium gloriosæ Ascensionis Christi; postenim Christus resurrexerat, per quadraginta dies

mansit visibiliter in terris, ut probaret se verè resurrexisse, et ut Apostolis loqueretur de Regno Dei, seu de rebus ad novam Legem pertinentibus.

Ascendit autem elevando humanitatem, sive animam et corpus ad Cœlos, ubi secundùm divinitatem semper adfuerat præsens.

Quomodo ascendit Christus?

R. Cum. S. Th. 3. p. q. 57. art. 3. ascendit, non alienâ, sed propriâ virtute divinâ, ac etiam eâ virtute, quæ propria est animæ beatæ; hinc dicitur de Christo: "quòd ascen-"derit" in Cœlum; de aliis verò, ut de Elia 4. Reg. quòd sit "sublatus;" de diva Virgine, quòd sit "assumpta."

Quid significant sequentia verba: "Sedet ad dexteram "Dei Patris omnipotentis?"

II. R. Verba illa in sensu metaphorico sunt intelligenda; cùm enim Deus sit purissimus Spiritus, in sensu proprio nec dexteram habet nec sinistram: unde est locutio ad captum populi accommodata, quâ significatur, quòd Christus in cœlo summam habeat et æqualem cum Patre gloriam, honorem, majestatem et potestatem.

Proinde per verbum "sedet" non significatur situs aut figura corporis, sed Christi majestas ac stabilis Regni cœlestis possessio.

An sedere ad dexteram Patris dicitur tantùm de Christo inquantùm Deus est, an etiam inquantùm est homo?

III. R. Christus inquantùm homo, minor quidem est Patre et Spiritu S. nihilominus quia Deus et homo unus est Christus, unaque Persona Divina non humana, dicitur, quòd Christus Deus et homo sedeat ad dexteram Patris; adeoque etiam humanitas Christi sedet ad dexteram Patris, non ex dignitate propria, sed quia cum Persona Filii est intimè unita.

Deinde Christus quâ homo dicitur sedere ad dexteram; quia secundùm naturam humanam, quietus jam possidet summam illam dignitatem et gloriam Regni, quam habet supra omnem creaturam proximus Deo:

N. 32. DE SEPTIMO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Inde.* II. *Venturus est.* III. *Judicare.* IV. *Vivos et mortuos.*

QUID profitemur per hæc verba: "Inde venturus est?"

R. Futurum generale judicium, quod in fine mundi

omnes omnium sæculorum homines uno in loco, resumptis corporibus, palam subituri sunt.

Præter illud est aliud judicium particulare, quod unusquisque, dum moritur, statim sustinet. Vide Tract. "de "Quatuor Novissimis."

Explica singulas particulas hujus articuli.

I. R. Particula "inde" notat locum gloriæ et Majestatis judicantis.

II. "Venturus est" in gloriosa humanitatis forma, cum majestate multa et potestate.

III. Nota, quòd "judicare" competat Christo non tantùm quà Deus, sed etiam quà homo est, ut patet ex Joan. cap. 5. V. 27. "Pater potestatem dedit et judicium facere; "quia Filius hominis est."

Quinam intelliguntur per "vivos," quinam per "mor-"tuos?"

IV. R. Per mortuos intelliguntur, qui ante diem illum extremum ex hac vita decesserunt; per vivos intelliguntur, qui in extremo illo die, vivi in terra reperientur; quia tamen ante judicium per ignem conflagrationis morientur, sed statim resurgent, atque ideo quasi à brevi somno excitati, mortui non fuisse videbuntur.

N. 33. DE OCTAVO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Credo in Spiritum Sanctum.*

EXPLICA octavum articulum; "Credo in Spiritum "Sanctum."

I. R. Profitemur Spiritum Sanctum tertiam Sanctissimæ Trinitatis Personam, Deum esse et finem nostrum ultimum, quem Fide, Spe et Charitate prosequi debèmus, utì per verbum "credo" N. 26. explicatum est.

Quare tertia Persona vocatur Spiritus Sanctus?

R. Quia talis est per essentiam: Angeli sunt quidem Spiritus sancti, sed tantùm per participationem: Pater, sicut et Filius, etiam per essentiam est Spiritus Sanctus: verùm quia prima Persona habet nomen proprium "Patris," secunda nomen proprium "Filii," hinc nomen hoc commune Spiritûs Sancti cessit tertiæ Personæ. Nomen autem Spiritûs Sancti, prout est proprium tertiæ Personæ, accipitur per modum simplicis dictionis, quasi diceretur spiratus. Idque convenienter, quia à Patre et Filio per spirationem procedit. Vide Num. 73. Tract. "de Deo."

N. 34. DE NONO SYMBOLI ARTICULO.

I. *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* II. *Sanctorum communionem.* III. *In quo sita sit illa communio.* IV. *Et inter quos habeatur.* V. *Quinam ab ea excluduntur.*

QUID profitemur in hac parte articuli noni: "Sanctam "Ecclesiam Catholicam?"

I. R. Credimus, esse veram Ecclesiam, quæ sola veritates ad salutem necessarias geminosque scripturæ fontes, in quibus eædem reperiuntur, tradere et explicare possit: hæc autem Ecclesia suis notis est insignita, scilicet quòd sit Una, Sancta, Catholica et Apostolica, ut habet Symbolum Constantinopolitanum. De Ecclesia ejusque notis agetur infra.

Quare hìc dicitur: "credo Ecclesiam," et non "in "Ecclesiam?"

R. Patet ex ante dictis; eò quòd credere in aliquem indicet, illum esse finem nostrum ultimum: is autem est solus Deus.

Quid important hæc verba: "Sanctorum Communio-"nem?"

II. R. Significatur, inter eos, qui sunt in Ecclesia, esse societatem et participationem bonorum spiritualium. De hac communione loquitur David Psalmo 118. V. 63. "Particeps ego sum omnium timentium te:" et Joan. Epist. suæ cap. 1. V. 3. "Ut et vos societatem habeatis nobiscum, "et societas nostra sit cum Patre, &c."

Hæc communio corporis mystici Ecclesiæ aptissimè explicatur ab Apostolo 1. ad Cor. cap. 11. similitudine desumptâ à corpore ejusque membris, quam confirmat S. Ambrosius, ex eo, quòd Christus eam orandi formam præscripserit, quâ diceremus panem "nostrum," non "meum;" dimitte "nobis," non "mihi;" ac reliqua ejus generis, non nobis tantùm, sed omnium saluti ac commodis prospicientes.

In quibus potissimùm sita est Sanctorum communio?

III. R. In communione eorumdem Sacramentorum, maximè Baptismi et Eucharistiæ: in unitate Fidei, Religionis et unione Charitatis; in fructu indulgentiarum, participatione Sacrificiorum, suffragiorum, precum et bonorum operum, quæ ab aliis fiunt.

Inter quos habetur communio Sanctorum?

IV. R. Inter eos, qui sunt in Ecclesia, non solùm hìc in terris militante, sed etiam extenditur ad illos, qui sunt in

Ecclesia triumphante seu in Cœlo, et qui sunt in Ecclesia patiente, seu in Purgatorio, inquantùm animæ in Purgatorio adjuvantur à nobis, Beati nos adjuvant.

Obj. Si unusquisque participet Sacrificia, preces aliorum, &c. supervacaneum erit pro aliquo particulari celebrare, orare, &c. cùm omnia bona opera sint communia.

R. Negando sequelam: nam tametsi Sacrificia aliaque bona operà sint communia secundùm fructum seu portionem generalissimam: specialiter tamen prosunt iis, pro quibus in particulari offeruntur, iisque applicantur secundum fructum aliquem specialem.

An ille, qui est in peccato mortali, privatur omni fructu Communionis Sanctorum?

R. Talis quidem privatur fructibus, qui in charitate fundantur, non verò cæteris, cùm sit in Ecclesia: unde ad amissam gratiam recuperandam Sacrificiis precibusque aliorum juvatur.

Notat Natalis Alexander, quòd non omnes, etiam justi, æqualiter Communionis Sanctorum participes sint, sed pro fidei suæ charitatisque mensura: "Unde, inquit, fructum "ampliorem percipiunt ex sacra illa Societate, qui plus in "eam conferunt, et bonis spiritualibus magis abundant:" "Quoniam omni habenti dabitur et abundabit," ut dicitur Matth. c. 25. V. 29.

Quinam sunt exclusi à Communione Sanctorum?

V. R. Excommunicati, et omnes qui sunt extra Ecclesiam, quales sunt Pagani, Judæi, omnesque non baptizati: deinde Apostatæ, Schismatici et Hæretici, saltem manifesti.

N. 35. DE TRIBUS ULTIMIS SYMBOLI ARTICULIS.

I. *Remissionem peccatorum.* II. *Carnis resurrectionem.* III. *Vitam æternam.* IV. *Amen.*

QUID proponit decimus articulus: "Remissionem Peccatorum?"

I. R. Docemur isto articulo has fidei veritates;

1°. Nulla peccata in hac vita, quantumvis enormia et multiplicia, esse irremissibilia.

2°. In Ecclesia peccata non solùm verè remitti, sed etiam Ecclesiæ datam esse potestatem peccata remittendi per Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ.

3°. Quemadmodum extra Ecclesiam (in re vel in voto) non est salus, ita nec esse remissionem peccatorum.

Nota, quòd sub remissione peccatorum etiam pœnarum remissio comprehendatur.

Explica undecimum articulum: "Carnis resurrectio-"nem."

II. R. Significatur humani corporis ad vitam revocatio futura in fine mundi, dum illud iterum animæ unietur.

Cur potiùs "Carnis," quàm "Hominis" resurrectionem confitemur.

R. Ad significandum solam carnem corrumpi, animam verò incorruptam manere: unde voluerunt Apostoli hâc loquendi formâ docere animam esse immortalem et incorruptibilem, ne quis fortè existimaret, eam cum corpore interire et ad vitam resuscitari. Plura huc spectantia vide in Tract. "de Quatuor Novissimis."

Quid ultimo articulo credendum proponitur: "vitam "æternam?"

III. R. Post hanc vitam esse repositam vitam Beatitudinis nunquam finiendæ, si tamen in statu gratiæ et charitatis hinc decesserimus. Proinde per vitam æternam intelligitur Beatitudo cœlestis, et omnia quæ eam consequuntur, phrasi in scriptura usitatâ, ut Luc. cap. 18. V. 18. "Quid faciens "vitam æternam possidebo."

Indirectè hìc ulteriùs indicatur, quòd pœnæ damnatorum sint futuræ æternæ.

IV. Ultimò additur "amen," dictio hebraica, idem hìc valens ac si diceretur "Fiat, ita credo, ita profiteor," ut proinde hæc dictio contineat et renovet assensum et professionem circa omnia in Symbolo contenta.

De signo Sanctæ Crucis, quæ Mysteria per illud profiteamur, et quibus de causis illo utamur, vide Tract. "de "Religione" Num. 179.

N. 36. DE ACTU FIDEI INTERIORI.

S. Thom. 2. 2. quæst. 2.

I. *Actus Fidei internus.* II. *Est adultis necessarius ad salutem.* III. *Quid necessarium necessitate medii.* IV. *Quid necessitate præcepti.* V. *Non sufficit sola Fides implicita.*

QUIS actus fidei dicitur interiòr?

I. R. Assensus mentis præstitus rei revelatæ ob summam Dei veritatem.

Estne actus fidei internus, seu credere fide divinâ, necessarium ad salutem?

II. R. Adultis, qui sunt rationis compotes, credere necessarium est ad salutem juxta illud ab Hebr. cap. 11. V. 6. "Sine fide impossibile est placere Deo," et Marci cap. 16. V. 16. "Qui non crediderit, condemnabitur."

Pro sequentibus notandum, aliquid dici necessarium ad salutem dupliciter, scilicet necessitate medii, et necessitate præcepti.

Quidnam dicitur necessarium necessitate medii ad salutem?

III. R. Illud sine quo reipsa habito, salus obtineri non potest secundum Legem Dei ordinariam, seu præsens decretum, etiamsi inculpabiliter quis eo careat: ita necessarii sunt ad salutem habitus Fidei, Spei, Charitatis, &c.

Quidnam dicitur necessarium ad salutem necessitate præcepti?

IV. R. Illud, quod ex obligatione præcepti sive legis habere vel facere quis debet, ut salvetur: tamen sine eo salus obtineri potest, si adsit causa, quæ excusat à gravi obligatione præcepti: hoc modo necessaria est observantia præceptorum Ecclesiæ.

Observa 1°. quòd ea, quæ sunt creditu necessaria necessitate medii, sint in adultis mentis compotibus necessaria necessitate præcepti, non contrà.

2°. Quòd necessitas medii concernat omnes, necessitas præcepti tantùm adultos præcepti capaces.

3°. Quòd omissio involuntaria et inculpabilis istius, quod est necessarium necessitate medii, excludat à salute, quod non facit omissio involuntaria illius, quod est tantùm necessarium necessitate præcepti.

Quomodo sit procedendum cum ignorantibus necessaria necessitate medii vel præcepti, quidque judicandum sit de præviis eorum confessionibus, vide in Tract. "de Sacram. "Pœnitentiæ" Num. 150. et seq.

An sola fides implicita sufficit ad salutem?

V. R. Sola non sufficit, sed necesse est, ut principales aliquot fidei veritates explicitè credantur: hinc nec jam sufficit, nec unquam suffecit fides illa implicita, quam Carbonarii vocant, asserentis se credere, quidquid Ecclesia credit, et vicissim Ecclesiam credere, quidquid ipse, nil interim explicitè credendorum credere curantis.

Quid sit fides explicita, quid implicita dictum est N. 11. quænam verò credenda sint explicitè vel necessitate medii, vel necessitate præcepti, discutietur Numeris sequentibus.

N. 37. DE CREDENDIS EXPLICITE NECESSITATE MEDII.

I. *Omni tempore fuit necessaria Fides unius Dei et Remuneratoris.* II. *In N. L. Evangelio sufficienter promulgato.* III. *Necessaria est Fides unius Dei.* IV. *Remuneratoris.* V. *SS. Trinitatis.* VI. *Mediatoris.*

PRÆNOTANDUM, hìc agi de solis adultis, ut Num. præc. dictum est; nam parvulis, cùm nullius actûs liberi sint capaces, nullus actus est ad salutem necessarius.

Quænam sunt credenda explicitè necessitate medii ad salutem?

I. R. Omni tempore, etiam legis naturæ et Mosaïcæ, necessaria fuit necessitate medii fides explicita unius Dei et Remuneratoris juxta illud Apost. ad Hebr. cap. 11. "Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inqui-"rentibus se remunerator sit."

Fueruntne alia explicitè credenda necessitate medii ad salutem ante adventum Christi?

R. Wiggers, Steyaert, Daelman, Danes, &c. volunt eâdem necessitate credi debuisse immortalitatem animæ, et infectionem hominis per peccatum; nam immortalitas animæ necessariò sequitur ex fide Dei remuneratoris. De infectione animæ probant ex eo, quòd juxta omnes necessaria fuerit fides implicita in Christum redemptorem, quam habere non poterant, nisi explicitè crederent animæ infectionem.

Certum est, quòd ante Christi adventum fides explicita Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis non fuerit necessaria necessitate medii ad salutem; sed suffecerit implicita, etiam respectu Incarnationis, quæ juxta S. Thom. quæst. 2 art. 7. ad 3. continebatur in fide de Providentia Dei, quâ nimirum credebant, Deum habere providentiam circa salutem hominum, eumque esse hominum liberatorem secundùm modos sibi placitos.

Wiggers tamen et Danes dicunt, quòd fides illa de divina providentia circa liberationem et salutem hominum videatur generalior, quàm ut in ea possit dici includi fides implicita Christi et Mediatoris: proinde requirunt etiam pro tempore legis naturæ, fidem magis explicitam, ita ut expressè credere debuerint Redemptorem aliquem à Deo mittendum, quamvis distinctè non scirent qualis esset futurus.

Non est tamen dubium, quin majores in populo plura explicitè cognoverint et crediderint de Incarnatione et Passione Christi; quia erant sufficienter revelata, et in Sacrificiis præfigurata.

Quænam in nova Lege explicitè credenda sunt necessitate medii ad salutem?

II. R. Licèt in iis enumerandis Scholastici dissentiant, solita tamen in Catechismis et recepta in instructione fidelium, adeoque tenenda responsio est, quòd post promulgatum sufficienter Evangelium, id est, circa tempus excidii Jerosolymitani, ut dictum est N. 96. "de Legibus," quatuor sint puncta explicitè credenda necessitate medii ad salutem; hæc breviter exprimit Steyaertius his verbis: "Deus, isque remunerator, Sanctissima Trinitas et medi- "ator."

Explica quatuor prædicta puncta.

III. 1°. Dicitur "Deus:" circa quod necessitate medii credere oportet Deum esse seu existere juxta illud ad Hebr. cap. 11. "Credere oportet...quia est."

2°. Credere necesse est, non nisi unum esse Deum: illa enim unitas præcipuè inculcatur in Scriptura Sacra, et tantoperè ut fides Judæorum illam pro primo velut articulo contineret.

3°. Oportet ut vox "Deus" intelligatur saltem eatenùs, ut credatur Deus sub aliqua ratione à creaturis distinctus, vel tanquam mundi Creator et Rector, vel tanquam omnipotens, summum bonum, &c. Etsi fortè cum errore aliquo levi circa ejus attributa.

4°. Quidam volunt eâdem necessitate explicite credenda esse illa attributa Dei, quæ habent rationem formalis objecti respectu virtutum theologicarum, et motivi fundamentalis respectu virtutis Religionis: et hoc verum est, ut actus illarum virtutum suo tempore eliciantur: unde patet utilitas et necessitas instructionis de hujusmodi attributis.

IV. 2°. Dicitur "remunerator:" circa quod necessitate medii explicitè credendum est, Deum esse remuneratorem bonorum juxta illud ad Heb. cap. 11. "et inquirentibus se "remunerator sit."

Intelligitur autem remunerator bonorum per vitæ æternæ retributionem in cœlis, quæ est objectum semper spei nostræ, ut liquet ex Apost. loco cit.

Proptereà eâdem necessitate credendum est, licèt quidam repugnent, Deum esse vindicem malorum, prout vulgò enuntiari solet. Illa retributio bonorum et malorum distinctè explicatur in Symbolo S. Athanasii: "Qui bona

"egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in "ignem æternum."

V. 3°. Dicitur "SS. Trinitas:" circa hoc mysterium explicitè necessitate medii credi debet, quòd in divinis sint tres Personæ in una eademque natura divina, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus S. quæ quidem singulæ sunt Deus, non tamen tres Dii, sed unus Deus.

VI. 4°. Dicitur "mediator:" eâdem scilicet necessitate explicitè credi debet Mysterium Incarnationis et Redemptionis nostræ: sive necessarium est, explicitè credere secundam SS. Trinitatis Personam, seu Filium Dei, factum esse hominem, et pro nostra salute passum, mortuum et resurrexisse: quæ fides vocari solet mediatoris.

N. 38. DE NECESSITATE QUATUOR DICTORUM PUNCTORUM.

I. *Probatur necessitate medii credenda duo puncta.* II. *Item Mysterium Incarnationis.* III. *Et Sanctissimæ Trinitatis.*

PROBA quatuor puncta Num. præc. explicata, post sufficienter promulgatum Evangelium explicitè credenda esse necessitate medii ad salutem.

I. R. Quantùm ad duo priora, nempe quòd sit unus Deus, isque remunerator, probatur ex sæpius citato loco Apostoli ad Heb. cap. 11. V. 6. item ex condemnatione hujus 32. propositionis ab Innocentio XI. "Non nisi "fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non "autem explicita remuneratoris."

II. Mysterium Incarnationis eâdem necessitate explicitè credendum esse, licèt quidam dissentiant, probatur ex Joan. cap. 3. V. 14. "Sicut Moyses exaltavit serpentem in "deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:" V. 15. "ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat "vitam æternam:" et V. 18. "qui non credit, jam judicatus "est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei."

Ex quo sic argumentari licet: eo modo necessaria est fides in Christum ad salutem, quo aspectus serpentis ænei necessarius fuit morsis ad sanationem; atqui ad sanitatem corporalem aspectus explicitus in serpentem erat medium necessarium: ergo ad salutem æternam explicita fides in Christum est medium necessarium.

Probatur etiam ex Trid. Sess. 6. cap. 6. ubi ad justificationem requirit fidem de Redemptione, quæ est in Christo Jesu.

III. Eâdem necessitate requiri fidem explicitam SS. Trinitatis, probatur ex eo, quòd sine explicita fide hujus Mysterii haberi non possit fides explicita Incarnationis, ut docet. S. Th. q. 2. art. 8. in "Corp."

Deinde Trinitas est primum fidei nostræ et beatitudinis objectum; et Baptismus, qui est Sacramentum fidei, conferri necessariò debet sub expressa SS. Trinitatis invocatione: ergo hujus mysterii fides omnino ad salutem necessaria videtur. Accedit traditio Patrum et communis ferè Theologorum sensus.

Obj. I. Tempore veteris Legis homines salvari poterant sine fide explicita Incarnationis, et SS. Trinitatis: ergo et tempore novæ Legis; quia per Legem novam salus non est facta difficilior.

R. Negando conseq. Nam hic non valet argumentum à pari, cùm necessitas illa non oriatur, ex natura rei, sed ex positiva voluntate Dei: ad probationem dicitur, quòd Lex nova perfectior sit quàm Lex vetus: neque tamen ideo via salutis dici debet difficilior; quia id sufficienter compensatur per prædicatorum multitudinem, gratias abundantiores, &c. quæ Deus in nova Lege elargitur.

Obj. II. Præcepta non obligant ad impossibile; atqui impossibile est, ut homo, v. g. à nativitate surdus, mutus et cœcus, vel etiam inter Barbaros enutritus, ea credat explicitè, cùm nunquam potuerit audire prædicationem Evangelii: ergo talis fides non est necessaria ad salutem.

R. 1°. Retorquendo argumentum: nam juxta ipsos adversarios debet talis necessitate medii explicitè credere, Deum esse supernaturalium Authorem et Remuneratorem; quod tamen juxta modum ordinarium scire non potest sine prædicante.

R. 2°. Talis fides est impossibilis non absolutè, sed secundùm modum ordinarium, quo fides habetur ex auditu: unde solùm potest inferri, quòd talis ignorando non peccet, sicque non sit damnandus ob illam ignorantiam, sed ob alia peccata: si autem supponatur, quòd talis per alia peccata non ponat obicem, sed cum gratia Dei faciat quod in se est, Deus providebit de instructione istorum mysteriorum, sive ea immediatè ipsi revelando, sive per Angelum, aut aliter ipsum instruendo, ut ait S. Thom. in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 2.

Obj. III. Supponatur puer in infantia baptizatus, et in sylvis à bestiis enutritus, primo instanti, quo ad usum rationis emergit, non peccare mortaliter, et secundo instanti mori; puer ille salvabitur, quia justus est: atqui secundùm

dicta non potest salvari, quia ignorat necessaria necessitate medii ad salutem: ergo, &c.

R. 1°. Quòd puer ille, si primo instanti non peccet mortaliter, sit illuminandus à Deo circa illa mysteria uno ex modis supra dictis.

2°. Aliqui dicunt, talem puerum salvandum, licet ignoret illa mysteria; quia tantùm dicuntur scitu necessaria necessitate medii secundùm ordinariam Dei providentiam, cui non obstat, quòd in casu extraordinario et metaphysico contrarium contingat.

3°. Responsio quorumdam est, quòd illa mysteria sint quidem ita necessaria ad justificationem, sed non ad salutem: quam viam insistendo dicetur, homini ad usum rationis emergenti, sed nondum habenti fidem actualem explicitam istorum mysteriorum, prodesse tantisper ad salutem, fidem et charitatem habitualem, quam in Baptismo, acquisivit. Sed hæc solutio recedit à thesi; imò thesi contraria est, cùm ejus probationes necessitatem fidei explicitè tam ad salutem quàm ad justificationem evincant.

N. 39. AN PRÆTER QUATUOR PUNCTA ENUMERATA ALIA SINT EXPLICITE CREDENDA NECESSITATE MEDII.

I. *Non videntur plura necessaria, quàm prædicta quatuor.* II. *Ab Innocentio XI. prohibita et quare.* III. *Sub quatuor punctis alia quædam comprehenduntur.*

I. VIDETUR negandum, cùm pro nullis aliis appareat sufficiens fundamentum vel in Scriptura vel in Traditione: attamen id non est omnino certum, cùm non desint, qui plura requirant, ut v. g. Christianus Lupus, qui omnes articulos Symboli Apostolorum quoad substantiam, eâdem necessitate explicitè credendos docet.

Alii præter quatuor puncta Numero præcedenti probata, eâdem necessitate credenda voluerunt hæc tria: 1°. Quòd Deus sit omnium Creator, Gubernator et Rector: 2°. Quòd Dei gratia ad salutem sit necessaria: 3°. Quòd anima hominis sit immortalis: quæ tria cum prædictis quatuor constituebant septem illa famosa puncta, multùm sæculo præcedenti controversa.

II. Hanc controversiam repressit Innocentius XI. anno 1682. libellos, cæteraque folia, septem illa puncta continentia prohibendo; non tam determinando, quæ puncta ita sint creditu necessaria, quàm condemnando doctrinæ teme-

ritatem; eò quòd illa proponerentur per medum cujusdam Symboli, quod condere et proponere spectat ad solum Pontificem, non ad privatos, ut dictum est Num. 24. et deinde, quòd privatâ authoritate determinaretur tanquam fide divinâ credendum, quòd illa septem puncta præcisè essent necessitate medii credenda, ubi tamen de eorum necessitate in Ecclesia disputatur.

Unde observa, non esse crudè dicendum, quòd illa septem puncta sint prohibita; quia ob rationes alias jam allegatas folia illa prohibita sunt; præterea necessitate saltem præcepti illa septem puncta sunt explicitè credenda.

Obj. Præter quatuor puncta explicata videtur necessarium necessitate medii explicitè credere, 1°. immortalitatem animæ; quia non posset credi, Deum esse remuneratorem vitæ æternæ, nisi credatur animæ immortalitas.

2°. Necessitatem gratiæ et peccatum originale; quia hæc videntur de ratione fidei explicitæ incarnationis, passionis, et redemptionis.

3°. Deum esse omnium Creatorem et Gubernatorem, quæ est velut prima notitia de Deo: ergo, &c.

R. Negando antec.: et ad rationes probationis dicendum, inde ad summum sequi, quòd puncta illa cum explicitè credendis necessitate medii habeant quamdam connexionem ratione naturali demonstrabilem, quòdque in his secundùm fidei eorum explicationem, contineantur; sed eatenùs, quod attinet ad necessitatem medii, sufficiet, ut intantùm cognoscantur, vel eorum fides habeatur, inquantùm quatuor prædicta puncta explicitè credi debent; quapropter ideo non sunt dicenda secundùm se, seu ratione suî explicitè creditu necessaria necessitate medii, cum in explicita revelatione quatuor priorum punctorum non nisi implicitè vel virtualiter contineantur, ac fides non faciat illos discursus, sed simpliciter assentiatur veritati revelatæ.

III. Sicuti ergo Christum habere duas voluntates credere oportet, inquantùm necessarium est credere Christum Deum et hominem, ita similiter inquantùm in fide remunerationi æternæ involvitur immortalitas animæ, intantùm necessitate medii immortalitas animæ credi debet: item inquantùm explicitè credenda est Christi passio et redemptio nostra per Christum, sine quo ad justitiam non pervenitur, intantùm necessaria est fides de peccato originali et necessitate gratiæ: similiter non videtur necessarium necessitate medii explicitè credere, Deum esse Creatorem et Gubernatorem quia sub aliis rationibus sufficienter cognosci potest.

Estne necessarium necessitate medii explicitè credere, Deum esse incorporeum?

R. Negativè: probatur ex S. Aug. Tract. 98. in Joann. ubi dicit: "Animales Deum non nisi corpus aliquod esse "existimant;" et tamen dicit eos esse salvandos. Ratio est, quòd incorporeitas et similia attributa non ita evidenter omnibus innotescant, nec corpus ita evidenter ideæ Dei repugnet, quin tales adhuc habere possint veram ideam Dei, utpote cùm Deus sub aliis rationibus sufficienter cognosci possit.

N. 40. DE CREDENDIS EXPLICITE NECESSITATE PRÆCEPTI.

I. *Scitu necessaria necessitate præcepti sunt.* II. *Necessaria necessitate medii.* III. *Symbolum.* IV. *Sacramenta.* V. *Mysteria quæ in Ecclesia solemnizantur.* VI. *Præcepta decalogi, &c.* VII. *Et quæ spectant ad proprium statum.*

QUÆNAM sunt explicitè credenda necessitate præcepti?

I. R. cum S. Thom. q. 2. art. 5. in "Corp." quantùm ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut et tenetur habere fidem: quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere, sed solùm implicitè vel in præparatione animi, inquantùm paratus est credere, quidquid Scriptura Divina continet.

II. 1°. Itaque necessitate præcepti explicitè credere debent adulti ea, quæ sunt necessaria necessitate medii; quia quilibet ex Lege divina et charitate erga seipsum tenetur assumere omnia media ad salutem necessaria.

III. 1°. Omnes Articulos Symboli Apost. saltem quoad substantiam; ita ut de singulis interrogati sciant respondere. Vide Num. 25.

IV. 3°. Sacramenta: ita ut de illis fideles congruè sint instructi, præsertim de Sacramento Baptismi, Eucharistiæ et Pœnitentiæ; hæc enim præ cæteris necessaria sunt: quibus annumerandum censet Suarez et Sacrificium Missæ.

V. 4°. Dicit S. Thom. quæst. 2. a. 7. in "Corp." "Tam "majores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam "de Mysteriis Christi, præcipuè quantùm ad ea, quæ com- "muniter in Ecclesia solemnizantur, et publicè proponun- "tur."

His annumerat Sylvius dogmata, quæ contra grassantes hæreses sæpius à Pastoribus inculcantur; qualia hodie sunt veritas Corporis Christi in Eucharistia, necessitas confessionis, invocatio Sanctorum, Cultus Reliquiarum, existentia Purgatorii, &c.

VI. 5°. Præter enumerata unusquisque scire debet, quæ spectant ad communes hominis Christiani obligationes, ut sunt præcepta decalogi, ordinaria præcepta Ecclesiæ, Oratio Dominica, Salutatio Angelica, formatio signi Crucis, &c.

Huc spectant obligationes vivendi "pie" Deo secundùm præcepta virtutum theologicarum et Religionis, "justé" proximo per virtutes justitiæ et charitatis, et "sobriè" ad nos ipso secundùm virtutem temperantiæ præsertim et fortitudinis.

VII, 6°. Tandem quilibet in particulari explicitè credere, seu scire debet, quæ ad suum respectivè statum vel officium ritè obeundum pertinent.

QUÆSTIO III.

DE PRÆCEPTO ACTUS FIDEI.

N. 41. DE PRÆCEPTO ACTUS INTERNI FIDEI.

I. *Actus Fidei est in præcepto.* II. *Directè et per se.* III. *Præceptum Fidei negativum.* IV. *Et affirmativum.* V. *Affirmativum obligat per se et per accidens.* VI. *Obligat per se in primo instanti usûs rationis.* VII. *In periculo mortis.* VIII. *Dum obligat Fidei professio.* IX. *Dum surgit tentatio contra Fidem.* X. *Si quis lapsus in hæresim.* XI. *Et sæpius in vita.* XII. *Obligat per accidens in Baptismo et Eucharistia.* XIII. *Dum aliud præceptum aliter impleri non potest.*

An homo adultus tenetur aliquando elicere actum fidei?

I. R. Quòd adultus aliquando teneatur elicere actum fidei, tam certum est, quàm certum est quòd debeat credere.

II. Quod autem ad illum teneatur "directè" ex præcepto, et non per accidens tantùm, probatur ex hac propositione ab Alexandro VII. condemnata; "Homo nullo unquam

"vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et "Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes "pertinentium." Item ex hac 16. ab Innoc. XI. proscripta: "Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et "secundum se."

Quandonam homo tenetur elicere actum fidei?

III. R. Prænotandum, duplex esse fidei præceptum, unum negativum quo prohibetur, ne quiscumque fidei dissentiat, vel de eadem deliberatè dubitet; et hoc, prout cætera præcepta negativa, obligat semper et ad semper.

IV. Aliud est præceptum affirmativum, quod ad actus fidei internæ eliciendos obligat; et hoc, ut alia præcepta affirmativa, obligat semper, sed non ad semper, ut Num. 37. "de Legibus" expositum est.

V. 2°. Alia est obligatio eliciendi actum fidei per se et directè, quæ oritur immediatè ex ipso præcepto fidei absque respectu ad aliam legem vel præceptum. Alia est obligatio per accidens et indirecta, seu ratione alterius præcepti, cujus observantia actum fidei prærequirit.

Quandonam præceptum eliciendi actum fidei per se obligat?

VI. R. 1°. In primo instanti usûs rationis saltem morali, tum quòd credere tunc incipiat esse necessarium ad salutem, tum quòd homo tunc teneatur se convertere ad Deum, eumque sibi constituere finem ultimum.

Item dum infidelibus fides est sufficienter proposita: alioquin Dei revelantis authoritas meritò censeretur contemni.

VII. 2°. In fine vitæ, sive in probabili mortis periculo: tunc enim maximè homo recurrere debet ad Deum, et ultimam victoriam in fide collocare juxta illud 1. Joan. cap. 5. V. 4. "Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides "nostra;" hinc pia, sed et necessaria Pastorum cura, excitandi moribundos præsertim ad actus Fidei, Spei et Charitatis.

VIII. 3°. Illud præceptum obligat, quando fidem exteriùs profiteri debemus; quia sine actu interno non foret fidei professio, sed ejus simulatio.

IX. 4°. Dum tentatio exurgit contra fidem, quæ non nisi per actum fidei superanda speratur, dicendo cum Apostolis Lucæ cap. 17, V. 5. "Adauge nobis fidem;" vel cum patre muti, Marc. cap. 9. V. 23. "Credo, Domine: "adjuva incredulitatem meam."

Monet interim Steyaert, modum sæpe securiorem vincendi tentationes contra fidem, esse eundem qui in mater

impudicitiæ, nempe non tam cum rationibus pugnando, quàm fugiendo.

X. 5°. Per se etiam obligat istum, qui in hæresim, vel voluntariam dubitationem circa fidem lapsus est; quia injuria primæ veritati illata est resarcienda.

XI. 6°. Per se obligat, ut in decursu vitæ sæpius eliciatur actus fidei, de quo Numero sequenti.

Quandonam præceptum eliciendi actum fidei obligat per accidens?

XII. R. 1°. In susceptione Sacramentorum, præsertim Baptismi et Eucharistiæ: Baptismi quidem, cùm conferatur sub invocatione SS. Trinitatis et Sacramentum fidei vocetur: Eucharistiæ verò, quia illud non tantùm sacramentaliter, sed etiam spiritualiter sumi debet: in susceptione aliorum Sacramentorum magis sufficere potest fides implicita, quæ in dilectione, contritione, vel aliis hujusmodi implicitè vel virtualiter continetur.

XIII. 2°. Generatim per accidens obligat, quoties eliciendus est actus alterius virtutis, qui sine actu fidei poni non potest, ut Spei, Charitatis, &c.

3°. Quando exurgit tentatio contra aliquam virtutem, quæ sine actu fidei vinci non posse videtur: nam quilibet tenetur assumere remedium necessarium ad vitandum peccatum.

N. 42. DE ILLIUS OBLIGATIONE PER SE IN DECURSU VITÆ.

I. *Actus Fidei sæpius obligat in vita.* II. *Deducitur ex officio hominis Christiani.* III. *Modus quo satisfit huic præcepto.* IV. *Quinam censendi sint satisfacere.* V. *Dicta affirmantur ex Bened. XIV.*

QUAM sæpè tenetur homo christianè vivens elicere actum fidei?

I. R. Quòd sæpius in vita teneatur, patet ex condemnatione hujus propositionis decimæ septimæ per Innoc. XI. "Satis est actum fidei semel in vita elicere." Quàm sæpe autem teneatur, exactè determinari non potest: dicendum tamen, quòd tam sæpe teneatur, ut possit dici ex fide vivere juxta illud ad Gal. cap. 3. V. 11. "Justus ex fide "vivit," ac proinde debet fidei influxus semper virtualiter perseverare, debetque homo semper dici credere actu vel virtute.

II. Hinc deducit Steyaert, et ait: Quidni itaque quotidie et fortè sæpius? Hocque probat ex communi fidelium sensu, qui non aliter arbitrantur, se Christiani hominis officio defunctos, quàm si indies ut minùs, Symbolum recitaverint, Orationem Dominicam, formulam Crucis, aliave, quibus actus fidei in punctis essentialibus exprimitur.

Obj. Nec in Scriptura, nec in Traditione exprimitur tempus determinatum hujus præcepti: ergo, &c.

R. Implicitè satis præcipitur horum actuum frequentia, cum dicatur, quòd justus debeat ex Fide vivere.

Deinde observat Steyaertius, quòd nulla præcepta frequentiùs obligent (negativis exceptis) quàm illa, quorum obligationi nullum tempus determinatum est; quia talia præcepta indefinita quoad tempus habent sensum quodammodo universalem pro omni tempore, qualia sunt præcepta virtutum theologicarum, orandi Deum, honorandi parentes, &c.

Obj. II. Nimis durum apparet omnes illos accusare peccati mortalis, qui quotidie non eliciunt actum fidei, spei, et charitatis: ergo, &c.

R. Neque nos dicimus, tales esse reos peccati mortalis, sed solùm dicimus, esse obligationem aliquam actus istos quotidie eliciendi: quamvis autem peccati mortalis accusare non auderemus illum, qui uno die actus illos omitteret; à mortali tamen non excusaremus illum, qui ex pura negligentia exercitium istorum actuum prætermitteret notabili tempore.

Obj. III. Præcepta affirmativa non obligant ad semper: ergo præceptum fidei non obligat, &c.

R. Distinguendo conseq. ergo præceptum fidei non obligat omni tempore secundùm actum formalem, ita ut exercitium actûs semper perseveret, conc. totum: non obligat omni tempore, sic ut fides virtualiter semper perseverare debeat, nego conseq.

III. Nec illud est impossible, aut nimis durum, sed facilè impletur ab illis, qui assuescunt quotidie uti signo Crucis, recitare Orationem Dominicam, Symbolum, &c. in quibus actus illi continentur.

IV. Practicè igitur facilè dijudicabis, quinam præcepto fidei, spei, et charitatis satisfaciant; scilicet illi, qui quotidie, aut sæpius in die, christiano affectu, et non materialiter tantùm, utantur signo Crucis, Oratione Dominicâ, Symbolo, &c. accedente præsertim cæterorum mandatorum observatione. Contrarium judicandum, si in illis negligentes inveniantur.

Practicè similiter facilè discernes, utrùm pueri, cùm ad usum rationis pervenerint, satisfecerint præceptis fidei, spei, et charitatis: si enim à piis parentibus educati sint, qui eos docuerunt quotidie recitare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, præcepta Decalogi et Ecclesiæ tum, accedentibus christianæ indolis moribus, confidi potest, quòd tempore debito præcepta illa adimpleverint.

E converso supponendum est de iis, qui negligenter vel in ignorantia aut morum petulantia educati sunt, ad quæ Confessarius in prima puerorum confessione reflectere debet.

Meritò igitur fidelibus inculcandum, quod S. Aug. lib. 1. ad Catechumenos cap. 1. dicit: "Accipite fidei regulam, et "cùm acceperitis, in corde scribite, et quotidie dicite apud "vos; antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro "Symbolo vos munite." Idem inculcandum de signo Crucis, de Oratione Dominica, Salutatione Angelica, præceptis Decalogi et Ecclesiæ.

Pariter curandum, ut quilibet assuescat indies attentè et devotè, atque ideo morosiùs et cum reflexione ea recitare: quapropter frequenter sunt explicanda, docendo, quòd in usu illorum officium Christiani ac norma diem transigendi habeatur. Unde etiam parentes de debita puerorum cura sæpius et graviter sunt monendi.

V. Tandem, quæ sit mens Sanctæ Sedis circa horum actuum frequentiam, liquet ex constitutione Bened. XIV. "Etsi minimè" de die septimo Februarii anni 1742, ad omnes Episcopos, ubi de actibus Fidei, Spei et Charitatis sic loquitur: "Quia christianam Religionem profitenti "maximè necessaria est consuetudo et exercitatio sæpius "eliciendi dictos actus, idcirco ne illorum usus circumscri- "batur angustis finibus et exiguo numero à quibusdam sin- "gulis annis præfinito, Episcopus, suæ non minùs quàm "alienæ salutis studiosus providè statuat, ut in Parochiis "rectores animarum post Missam festo die celebratam statim "ante aram provoluti clarâ et intelligibili voce dictos virtu- "tum actus eliciant, et præire satagant populo, verba ab "ipsis prolata devotè reddituro: hoc enim facto fideles "sensim illos memoriæ mandabunt, et assuescent nedum "festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione "versari." Unde idem Pontifex, ut fideles ad quotidianum eorum exercitia alliciat, confirmat et extendit indulgentias in eum finem à Bened. XIII. concessas, ut patet ex Brevi dato 28. Januarii anni 1756. quod communiter jungitur formulis actuum Fidei, Spei et Charitatis linguâ vernaculâ impressis.

N. 43. DE PRÆCEPTO ACTUS EXTERNI FIDEI, SIVE DE FIDEI CONFESSIONE.

S. Thom. 2. 2. quæst. 3.

I. *Confessio Fidei obligat.* II. *Dum eam honor Dei,* III. *Vel utilitas proximi exigit.* IV. *Item aliquoties per se.* V. *Interrogatus à privato per se non tenetur respondere.* VI. *Si à potestate publica, confiteri tenetur.* VII. *Interrogatus an sit Sacerdos, &c.* VIII. *An sit papista.*

AN actus fidei externus, sive confessio fidei, est necessarius ad salutem?

I. R. Confessio fidei necessaria est ad salutem pro tempore et loco, scilicet necessitate præcepti, juxta illud ad Rom. cap. 10. V. 10. "Corde creditur ad justitiam, ore "autem confessio fit ad salutem."

Quandonam obligat præceptum divinum confessionis fidei?

R. Prænotandum, duplex esse confessionis fidei præceptum: unum affirmativum, quo jubemur fidem aliquando profiteri: aliud negativum, quod prohibet externam fidei negationem, et obligat semper et ad semper. De negativo agetur Num. sequenti.

Quandonam obligat præceptum affirmativum?

II. R. Juxta S. Thom. art. 2. obligat, 1°. Quando per omissionem confessionis fidei subtraheretur honor Deo debitus, putà si quis interrogatus de fide, taceret, et ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera.

III. 2°. Quando per omissionem confessionis fidei subtraheretur utilitas proximo impendenda; ut si in casu præcedenti alii ex ejus taciturnitate à fide averterentur.

IV. 3°. Extra prædictos casus juxta Wiggers et Danes obligat aliquando per se hominem christianum: tum quia quilibet Christianus ostendere debet, se visibiliter adhærere Ecclesiæ Catholicæ, quod fidei externam professionem exigit; tum quia æquum est, ut non tantùm anima, sed etiam corpus et lingua, quæ aliquando habebunt partem in gloria, habeant etiam partem in confessione fidei.

Addunt tamen iidem, quòd non appareat morale periculum prævaricandi hanc obligationem; eò quòd Christiani frequenter diversis Religionis actibus fidem suam profiteantur; ut in Sacramentorum frequentatione, assistendo Missæ

Sacrificio, aliisque similibus, quæ ad fidei manifestationem pertinent.

An et quomodo tenetur quis confiteri fidem, dum de fide, vel religione interrogatur?

V. R. 1°. Si ille à personis privatis interrogetur, quamvis non liceat fidem negare coram illis, tamen fidem confiteri non tenetur (nisi aliunde Dei honor vel utilitas proximi id exigeret) sed interrogationem vel tacendo vel repellendo contemnere licet.

VI. 2°. Dum quis à potestate publica v. g. à Principe, Magistratu hæretico, etiam observato juris ordine, interrogatur de fide vel religione: an sit Catholicus, an talem vel talem articulum teneat, non est licitum tacere, vel verbis ambiguis uti, sed candidè et apertè oportet Fidem confiteri, quamvis ex confessione ista mors certa immineret: talis est constans Ecclesiæ sensus et unanimis SS. Martyrum praxis: unde meritò reprobata fuit ab Innocent. XI. hæc propositio 18. "Si à potestate publica quis interrogetur, "fidem confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere "ut peccaminosum per se non damno."

Ratio conclusionis est, quòd in talibus circumstantiis honor Dei id maximè exigat; nam honor Dei in hac parte conjunctus est fidei, cujus ipse est author: jam autem honor fidei tunc maximè exigit confessionem, cùm tunc fidem confiteri sit maximum ei honorem deferre, utpotè pro cujus veritate non dubitat subire mortis periculum: tacere autem in talibus circumstantiis sit fidem erubescere; nunquam enim magis censeri quis potest erubescere fidem, quàm tacendo, dum de fide à potestate publica interrogatur; unde et tunc maximè verificantur verba Christi, Luc. c. 9. V. 26. "Qui "me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis eru-"bescet."

Obj. Si coram privatis non teneatur confiteri fidem: ergo nec coram personis in publica potestate constitutis.

Probatur: quia illæ personæ publicæ et infideles non habent jus interrogandi de fide, sicut illud non habent personæ privatæ.

R. Neg. conseq. Et ad probationem dicendum, quòd licèt publicæ personæ non habeant jus præcipiendi confessionem fidei, interrogatio tamen eorum ponat nos in illis circumstantiis, in quibus obligat præceptum divinum fidem confitendi.

Nec obstat, quòd personæ publicæ in hoc negotio plus juris non habeant quàm privatæ; quia privatæ nec verum, nec apparentem habent interrogandi potestatem, ubi autho-

ritas publica, saltem ex communi existimatione, eam habere censetur: unde tacendo coram privatis, non ita infertur damnum Religioni, nec ita honor fidei periclitatur, sicut tacendo coram publicis.

Quid, si quis interrogetur: an sit Sacerdos, Religiosus, Episcopus, &c. an tenetur confiteri?

VII. Responsio communis contra Pauwels est negativa, quia tales tituli sunt quædam accidentia religionis; adeoque illa tacendo non censetur aliquid essentiale fidei tacere. Propterea, qui se negaret v. g. sacerdotem, cùm talis sit, tantùm mendacium officiosum committeret.

VIII. Aliud foret, si se papistam negaret iis in locis, v. g. in Hollandia, ubi communi usu per papistam intelligunt Romano-Catholicum.

An videns ab infidelibus vel hæreticis conculcari Eucharistiam, sacras imagines, reliquias, &c. tenetur contradicere et fidem suam confiteri?

R. Affirm. quia aliàs subtraheretur honor Deo debitus; si tamen oppositionem tuam non credas profuturam juxta Henricum à S. Ignatio, Billuart et Collet, tolerari posset quod impediri nequit.

Quid si Princeps vel Magistratus hæreticus præciperet, ut, qui Catholici sunt, ferant vestes, quibus à cæteris distinguantur; an Catholici obedire tenentur?

Respondent Daelman et Billuart negativè; quia istud præceptum foret nimis vagum: neque præceptum divinum confitendi fidem obligare censetur, nisi dum quis personaliter interrogatur: aliàs enim non ita periclitatur honor fidei aut utilitas proximi.

N. 44. DE OBLIGATIONE PRÆCEPTI NEGATIVI.

I. *Præceptum negativum prohibet tria.* II. *Fidem negare, falsam profiteri aut simulare.*

QUÆNAM præcepto negativo quantùm ad actum externum fidei prohibentur?

I. R. Hæc tria, fidem negare, falsam religionem profiteri, falsam religionem simulare: ita ut semper sit illicitum quodvis horum quocumque modo agere sive verbo, sive facto, quocumque etiam periculi vel necessitatis casu occurrente.

Conclusio fide certa est contra Gnosticos et Priscillianistas, docentes, licitum esse negare exteriùs fidem, modò

cordè servetur: hinc teste S. Aug. commune erat Priscillianistarum dictum: "jura, perjura, secretum prodere noli."

Ratio conclusionis est, quod ista tria sint intrinsecè mala; quia vel talis exteriùs et interiùs veram fidem negat, adeoque est infidelis, quòd naturâ suâ malum est: vel tantum exteriùs negat èt falsam fidem simulat, et eo casu mendacium committit veræ religioni maximè injuriosum. Adeoque ista tria independenter à scandalo, &c. semper graviter sunt illicita.

II. Itaque non tantùm graviter illicitum est veram fidem in aliquo negare, aut religioni falsæ adhærere, sed etiam falsam simulare; ut si quis simulet se Calvinistam, vel se in aliquo religionis eorum puncto adhærere vel communicare, v. g. participando de eorum cœna, &c.

Hinc quando Petrus Christum negaverat, flevit amarè, quamvis fidem ejus retinuisset in corde; hinc etiam lib. 2. Machabæorùm cap. 6. Eleazarus senex rogatus ab amicis, ut non manducaret, sed ut simularet manducasse de Sacrificii carnibus, juxta mandatum Antiochi Regis, præelegit mori, quàm uti simulatione.

Unde tanquam reos negatæ fidei Patres habuerunt Libellaticos, qui à Magistratu vel Judicibus pecuniâ sibi emebant libellos, quibus fides fieret, eos edictis Imperatorum sacrificando paruisse, etsi à parte rei non sacrificassent. Non tamen culpandi erant per se illi Libellatici, qui ne humanâ fragilitate deficerent, datâ Magistratui pecuniâ, ab eo libellos obtinebant, quibus absque ulla Sacrificii facti testificatione prohibebantur satellites, ne latorem libelli Christianæ Religionis causâ comprehenderent: illi enim nil illiciti committebant; cùm liceat pecuniâ injustam vexam redimere, sicuti licitum est per fugam ab ea se elongare.

Obj. I. 4. Reg. cap. 10. Jehu palam protestatus est, se velle colere Baal plus quàm Achab; atqui simulationem hanc falsi cultûs laudavit Deus: ergo, &c.

Resp. S. Thom. 2. 2. quæst. 111. art. 1. ad 2. "Simu-"lationem Jehu non est necesse excusare à peccato vel "mendacio; quia malus fuit, utpote ab idololatria Jeroboam "non recedens; commendatur tamen et temporaliter re-"muneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal."

Obj. II. Paulus simulavit Judaïsmum; nam Actor. cap. purificavit se ritu Mosaico; et 1. ad Cor. cap. 9. V. 20. actus sum," inquit, "Judæis tanquam Judæus;" et 22. "Omnibus omnia factus sum:" ergo, &c.

R. Negando antec. nam quando ritus Mosaïcos observavit, Lex vetus nondum erat mortifera, sicque licitè observari poterat: "Unde est omnibus omnia factus," ait "venerabilis Beda, non mentientis astu, sed miserantis "affectu, non simulatione fallaciæ, sed compassione mise-"ricordiæ."

N. 45. AN LICEAT ALIQUANDO FIDEM OCCULTARE.

I. *Occultatio fidei aliquanda licita.* II. *Licet uti vestibus merè profanis infidelium.* III. *Non iis, quibus specialiter significatur falsa fidei professio.*

I. QUOD aliquando liceat fidem occultare ex dictis compertum est: sic interrogatus à privatis, responsum potest declinare, ut dictum est N. 43.

Quandonam licitum est occultare fidem?

R. Quando præceptum confessionis fidei affirmativum non obligat.

Quomodo occultare fidem est licitum?

R. Prænotandum cum Wiggers, quòd signa sive actiones, quibus contingit fidem occultari, sint in triplici differentia.

1°. Quædam sunt talia, ut vel ex natura sua, vel ex hominum institutione nullum habeant usum humanum, nisi religiosum et cæremonialem; ut coram idolo genu flectere, thus adolere, item vestes sacræ tantùm ad sacrificandum aut alios actus religiosos destinatæ.

2°. Quædam sunt talia, ut habeant etiam alium usum et principalem, quamvis etiam ex hominum consuetudine ad declarandam Religionem videantur ordinata; ut sunt v. g. vestes Religiosorum.

3°. Quædam non sunt ullo modo instituta aut ordinata ad Religionem significandam, sed tantùm sunt propria infidelibus et hæreticis ad usum humanum. His præmissis,

II. R. 1°. Per se non est illicitum, præsertim periculi declinandi causâ, fidem occultare utendo talibus signis seu rebus, quæ sunt solummodo signum distinctivum nationis aut hujusmodi, v. g. in Turcia, utendo idiomate turcico, vel veste turcica. Hinc de vestibus dicit Steyaert: "Vix "ullum earum genus est, quo ad celandum in periculo "fidem suam cuilibet uti non liceat, etsi etiam talis sit, unde "communiter colligatur Religio; ratio est, quia vestis per "se nihil habet Religioni veræ contrarium: et, licèt ac

"significandam falsam religionem ab aliis assumatur, ego "tamen assumere possum ad alium finem, nempe naturalem, "ad me tegendum, ornandum, &c."

III. 2°. Non licet in occultanda fide uti talibus signis, actionibus vel vestibus, quorum usu, sive ex natura rei, sive ex hominum institutione specialiter designatur professio falsæ religionis aut sectæ, vel distinctio religionis falsæ, aut cum ea communicatio: ratio est, quòd, cùm illa specialiter ordinentur ad professionem falsæ fidei, eorum usus meritò censeatur falsæ fidei professio.

COROLLARIA.

I. *An liceat interesse concioni hæreticorum.* II. *An edere carnes diebus vetitis.* III. *Fugere tempore persecutionis.* IV. *Aliquando præceptum.* V. *Aliquando prohibitum.* VI. *Et aliquando liberum.*

UNDE illicitum est genu flectere, thus adolere idolo, de cœna Calvinistica participare, assistere eorum officiis cantando, organa pulsando, &c. vel cum eis in Sacris communicando: hinc, inquit Steyaertius, ne Græcorum quidem Schismaticorum Eucharistiam, etsi veram, sumere licet, etiam in necessitate, imò nec eam palam cum ipsis adorare. Idem est de Eucharistia Jansenistarum in Hollandia, ubi distinctam communitatem constituunt.

Hinc ulteriùs, ut ait Steyaert, in praxi circa vestes hoc planè servandum videtur; si ad distinguendum à cæteris infidelium Sacrificulum aut Ministrum institutæ sint aut usurpentur, indui eis nemo potest, ut videatur esse istius conditionis: imò si vel solùm usurpentur ad significandam falsam Religionem, v. g. in Italia pileus supernè rubeus vel flavus ad indicandum Judaïsmum; quia earum vestium modus et gestatio est usûs determinati adinstar signi cultûs et publicæ professionis Religionis falsæ.

Obj. 4. Reg. cap. 5. Eliseus permisit Naaman Syro ut adorante Domino suo Rege in Templo Remmon, et illo innitente super manum suam, etiam adoraret ipse; atqui nihil illiciti ipsi permisit: ergo, &c.

R. Eliseus ipsi non permisit exhibere cultum idolo, vel illud adorare, sed tantùm indulsit, ut Regi in Templo adoranti posset exhibere Ministerium civile, nimirum ut genu flecteret Regi suo (cujus manum sustinere solebat) adoranti et genu flectenti in templo Remmon.

Similiter secundùm se non est contra fidem, quòd Catholici in Hollandia concomitentur funera hæreticorum; quia in eo merum humanitatis obsequium præstant.

Pariter, secluso scandalo et perversionis periculo, non est illicitum famulis et ancillis, quòd heros Acatholicos ad templum concomitantes exhibeant ipsis servitia famulatûs, dummodo nihil agant, quàm servitium merè civile domi, et alibi heris exhiberi solitum: quamquam reverà, inquit Steyaertius, misera, atque adeo periculosa sit eorum conditio, ideòque non facilè amplectenda.

An licet interesse prædicationi hæreticorum?

R. Id. prohibitum est sequentibus casibus:

I. 1°. Si per hoc præsentes censeantur esse Religionis hæreticæ.

2°. Si quis per hoc exponatur periculo perversionis: ac propterea plebæi indocti non possunt sine peccato hæreticorum conciones audire.

3°. Si quis frequentando præberet scandalum.

4°. Si quis accessu suo honorem et authoritatem ministro præberet.

5°. Si omnes cogerentur ad hæreticorum conciones venire. Patet ex declaratione Pauli V. qui consultus à Catholicis Angliæ, an tali Regis sui edicto parere possent, respondit: "Non licet vobis hæc facere sine detrimento "Dei cultûs et vestræ salutis."

Ubi ergo, ait Steyaert, libertas est et mos Catholicis et aliis ad prædicationem vel psalmodiam istorum ire, absque eo, quòd ideo censeantur Religioni tali obtemperare, tunc expendendum, an et quale periculum adeat quisque, vel scandalum præbeat ista accedendo; item qualis sit accedendi ratio.

Licetne esus carnium diebus vetitis coram Acatholicis?

II. R. 1°. Id non licet ob leve incommodum, vel despectum aliquem hæreticorum, ob quæ utique Leges Ecclesiæ non cessant.

2°. Nunquam talis esus licitus est, ne quidem metu mortis, si in contemptum Religionis præcipiatur.

3°. Nec licet, ubi talis esus habetur tanquam signum seu indicium professionis Acatholicismi.

Si autem Acatholicismi signum non contineat, nec Religionis contemptum, tunc esus ille per se ad mortem vel aliud grave malum vitandum, licitus est, ut dictum est Num. 45. "de Legibus;" quia præcepta Ecclesiæ ordinariè cum tanto incommodo non obligant, et dicitur Ecclesia in simi-

teria propter primam veritatem, si ea clarè non viderent: atque hoc sensu explicanda sunt verba antiquorum, qui dicunt in beatis fidem perseverare.

An fides manet in damnatis?

IV. R. Nec quoad actum, nec quoad habitum manet in illis: ratio est, quòd fides sit donum Dei ad beatitudinem supernaturalem ordinatum: hujusmodi autem donum in ipsis Deus non conservat. Deinde nec manet in ipsis pius voluntatis affectus erga primam veritatem.

Obj. I. Dicitur Jacobi cap. 2. V. 19. "Dæmones "credunt et contremiscunt:" ergo datur in ipsis actus fidei.

R. Negando conseq. dicuntur enim dæmones et homines damnati credere, non propriè fide theologicâ, et assensu supernaturali, sed impropriè cognitione naturali, quatenùs ex evidentia signoram intellectus convincitur, et quasi compellitur ad credendum; persentiunt enim Dei potentiam in vindicandis eorum peccatis, aliaque indicia manifestè percipiunt, ex quibus non tantum omnipotentiam agnoscunt, sed etiam ut habet S. Thom. cognoscunt doctrinam Ecclesiæ à Deo esse, quamvis res ipsas, quas docet Ecclesia, ùt in se sunt, non videant: sic v. g. sciunt, Christum esse præsentem in Eucharistia, ob evidentissima miracula, quæ in confirmationem istius veritatis fieri vident,

In hominibus damnatis, si fuerint fideles, remanere fortè potest quædam fides naturalis acquisita, et memoria eorum, quæ crediderunt in vita.

Obj. II. S. Jacobus ibidem comparat fidem hominum impiorum (in quibus datur vera fides supernaturalis) cum fide Dæmonum: ergo, &c.

R. Comparatio in eo tantùm sita est, quòd, sicut dæmonibus, licèt firmiter assentiantur veritatibus fidei, hoc tamen ipsis non prodest ad salutem, ita Christiano fides non prosit ad salutem, si ei non jungat bona opera. Vid. Num. 10.

N. 47. AN FIDES SIT IN HÆRETICO.

S. Thom. 2. 2. quæst. 5. art. 3.

I. *Pertinaciter discredens unum articulum,* II. *Non habet fidem.* III. *Habitualem.* IV. *Nec actualem.*

I. QUÆSTIO non est de hæretico materiali; nam certum est talem non amittere fidem; sed de hæretico formali sive de eo, qui pertinaciter discredit unum fidei articulum, quem novit sufficienter ab Ecclesia propositum.

II. Ad hanc quæstionem Theologi cum S. Thom. communiter respondent, quòd quicumque cum pertinacia discredit unum fidei articulum, non habeat actum fidei nec habitum circa reliquos articulos.

III. Probatur: imprimis non potest in ipso manere habitus fidei: quia hic deperditur per peccatum hæresis fidei directè oppositum, ut docet Trid. Sess. 6. cap. 15. ubi dicit fidem per infidelitatem amitti; jam autem hæresis est infidelitas: ergo, &c.

IV. Neque etiam in tali dari potest actus fidei: quia rejicit objectum formale fidei, sine quo actus fidei exerceri nequit.

Quòd autem tale objectum formale fidei abjiciat, patet ex eo, quòd unica et indivisibilis ratio formalis credendi sit prima veritas, proùt manifestatur per Ecclesiam: atqui prima veritas æqualiter est applicata omnibus articulis, et æqualiter illi ab Ecclesia proponuntur: ergo qui pertinaciter discredit unum articulum, convincitur non assentire reliquis ob motivum formale fidei, sed ob proprii cerebri persuasionem, sicque nullum articulum credit fide divinâ: Hinc dicit S. Aug. "qui in Evangelio, quod vultis creditis, "quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio "creditis."

Obj. I. Calvinista discredit articulum de reali præsentia Christi in Eucharistia; atqui tamen credit Mysterium SS. Trinitatis fide divinâ: ergo, &c.

R. Negando minorem: acceptat quidem veritatem ipsam, sed non per assensum supernaturalem, sed per assensum humanum, v. g. per fidem humanam, vel per habitum acquisitum, vel ex pertinacia voluntatis, vel etiam ob evidentiam signorum, non autem ob motivum formale fidei, sive ob primam veritatem: si enim prima veritas ipsum moveret ad credendum unum articulum, crederet propter eandem omnes, cùm prima veritas ad credendum omnes æqualiter moveat.

Instabis: licèt prima veritas eodem modo se habeat à parte rei ad omnes fidei articulos, non tamen eodem modo omnibus apparet applicata: nam quidam articuli apertè continentur in Scriptura Sacra, non sic alii: ergo salvâ subjectione ad primam veritatem potest quis credere unum articulum non alium.

R. Negando assumptum: nam sicut prima veritas eodem modo se habet à parte rei ad omnes articulos, ita apparet ejus applicatio ad omnes eodem modo: medium enim ordinarium cognoscendi primam veritatem applicatam esse alicui

articulo est propositio Ecclesiæ, quæ uniformiter omnes articulos ut revelatos proponit: nil ergo refert, articulos quosdam clariùs et apertiùs in Scripturis inveniri; nam sicut mediante propositione Ecclesiæ cognoscimus, quinam libri sint Scriptura Sacra, ita eodem modo cognoscimus, illos articulos, qui minùs clarè in Scriptura Sacra exprimuntur, pariter esse à Deo revelatos: unde iisdem fundamentis, quibus ob testimonium Ecclesiæ recipimus Scripturas Sacras tanquam Verbum Dei, recipere debemus omnia reliqua, quæ ab Ecclesiâ tanquam Christi doctrina et Verbum Dei proponuntur.

Instabis 2°. potest quis alio modo pervenire ad fidem, quàm per propositionem Ecclesiæ: ergo, &c.

R. Quamvis extraordinariè id fieri possit, ut dictum est in fine Num. 20. nulla tamen est ratio dicendi, quòd hæreticus, de quo quæstio, fidem aliunde habeat; et si illam haberet, esset animo paratus ad credendum omnia, quæ ipsi ut revelata per Ecclesiam proponerentur, cujus infallibilitas etiàm de fide est.

Obj. II. Hæreticus rediens ad Ecclesiam, non corrigitur in articulis, quos cum Ecclesia tenebat, sed tantùm adigitur, ut credat alios, quos ante negabat: unde S. Aug. lib. "de "unico Baptismate" cap. 3. dicit de Judæo: "Tene fidem "Resurrectionis mortuorum, sicut ante tenebas; sed crede "jam Christum resurrexisse à mortuis, quod non crede"bas:" ergo, &c.

R. Negando cons. quia ea, quæ objiciuntur, intelliguntur de objecto materiali fidei, non de assensu fidei nimirum Judæus vel hæreticus transiens ad fidem Catholicam debet easdem veritates de Resurrectione mortuorum tenere, quas ante tenebat: sed eas jam tenere debet per assensum fidei divinæ, quas ante tantùm credebat fide humana.

QUÆSTIO V.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

N. 48. DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10.

I. *Variè peccatur contra fidem.* II. *Vitia opposita, infidelitas et blasphemia.* III. *Infidelitas.* IV. *Est triplex* V. *Purè negativa.* VI. *Privativa.* VII. *Et positiva*

QUÆNAM sunt peccata fidei opposita?

I. R. Variè peccari potest contra obligationem fidei: 1°. Per defectum fidei explicitæ respectu eorum, quæ ita creditu necessaria sunt necessitate medii vel præcepti: 2°. Contra præceptum actûs interni fidei: 3°. Contra præceptum actûs externi fidei.

Quænam sunt vitia fidei opposita?

II. R. Præsertim hæc duo, infidelitas, quæ opponitur fidei internæ; et blasphemia, quæ opponitur confessioni fidei, de qua postea.

Quid est infidelitas vitium fidei oppositum?

III. R. Est defectuosa carentia fidei: et ita infideles dicuntur, qui fide carent cum connotato alicujus defectûs: quapropter beati, etsi fidem non habeant, non possunt dici infideles, eò quòd absentia fidei in ipsis spectet ad perfectionem, non ad defectum: parvuli tamen non baptizati sunt infideles; carent enim fide habituali, quam habuissent, si in Adam non peccassent.

Adulti verò non baptizati, non semper sunt infideles: quia per contritionem perfectam possunt ante Baptismum justificari, adeoque habere fidem.

Notandum, quòd infidelis quandoque confundatur cum non baptizato, et non baptizatus cum infideli, prout dum agitur de impedimento Matrimonii, quod dicitur "Cultûs "disparitas."

Quotuplex est infidelitas?

IV. R. 1°. Est triplex, videlicet "purè negativa, privativa," et "positiva" seu "contraria." Prima infidelitas etiam dicitur "involuntaria," duæ reliquæ "voluntariæ."

2°. Dividitur infidelitas in "Paganismum, Judaïsmum" et "Hæresim," quæ vocantur tres infidelitatis species, de quibus infra.

Quid est infidelitas "purè negativa?"

V. R. Est carentia fidei in eo, qui nihil de fide audivit nec audire potuit, vel certè cui fides non est sufficienter proposita.

Quid est infidelitas "privativa?"

VI. R. Est carentia fidei in eo, cui fides est sufficienter proposita, vel qui notitiam fidei sibi comparare potuit et debuit, sed neglexit.

Quæ infidelitas dicitur "positiva" seu "contraria?"

VII. R. Carentia fidei cum voluntario errore in fide, per assensum falsi vel dissensum veri; sive est carentia fidei in eo, qui sufficienter de fide instructus errorem fidei contrarium tuetur.

N. 49. AN ET QUÆ INFIDELITAS EST PECCATUM?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1.

I. *Infidelitas privativa et contraria est peccatum.* II. *Non purè negativa.* III. *Non omnis actio infidelis est peccatum.*

I. RESP. 1°. Infidelitas tam privativa, quam positiva est peccatum; quia illa infidelitas est voluntaria, continens contemptum summæ veritatis Dei revelantis cum neglectu salutis: hinc dicitur Joan. cap. 15. V. 22. "Nunc autem "excusationem non habent de peccato suo," scilicet illi, qui Christi prædicationem audierunt, et non crediderunt.

II. R. 2°. Infidelitas purè negativa non est peccatum: quia hæc infidelitas est species ignorantiæ invincibilis, adeoque non voluntaria: hinc dicit Christus Joan. cap. 15. V. 22. "Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non "haberent," scilicet infidelitatis.

Probatur etiam ex condemnatione hujus propositionis 68. inter Bajanas: "Infidelitas purè negativa in his, quibus "Christus non est prædicatus, peccatum est."

Obj. I. Omnes infideles, etiam ii, qui laborant infidelitate purè negativâ damnabuntur; atqui nemo damnatur, nisi ob peccatum: ergo infidelitas purè negativa est peccatum.

R. Negando conseq. nimirum illi quidem certò damnabuntur; verùm non propter infidelitatem purè negativam, sed propter alia peccata, à quibus sine fide liberari non possunt: illi autem semper habebunt hoc peccatum, quòd non sint conversi ad Deum, eumque non amaverint super omnia, et communiter etiam originale peccatum: si autem supponatur, quòd per Dei gratiam fecerint, quod in se est, tunc non erunt ampliùs infideles; nam Deus illos illuminabit per Angelum, vel aliter; ut ante dictum est Num. 38. et "de Actibus humanis," Num. 172.

Obj. II. Omnes infideles adulti possunt et debent habere fidem: ergo eorum infidelitas semper est peccatum.

Probatur antec. omnes infideles recipiunt gratias sufficientes, quibus si cooperarentur, non manerent infideles; atqui iis uti possunt et debent: ergo infidelitas est ipsis voluntaria in causa, nempe in non usu gratiæ.

R. Negando conseq. quia, licèt illi peccent non cooperando gratiæ, tamen prævidere nec debent nec possunt,

quòd ex non usu gratiæ secutura sit infidelitas, cùm de fide nihil potuerint audire: jam autem ut effectus sit in causâ voluntarius non sufficit, quòd causa sit voluntaria vel peccaminosa; sed ulteriùs requiritur, ut prævidere potuerit et debuerit, effectum illum ex tali causa secuturum, ut diximus in Tract. "de Actibus humanis," Num. 24.

An infidelitas voluntaria est maximum peccatum?

R. Juxta S. Thom. art. 3. infidelitas ex genere suo est peccatum gravius omnibus peccatis, quæ fieri possunt contra virtutes morales; quia infidelitas est magis directè contra Deum, quàm peccata, quæ virtutibus moralibus opponuntur: deinde infidelitas etiam tollit fundamentum et radicem justificationis.

Odium Dei tamen, quod opponitur charitati, gravius est infidelitate, ut docet S. Th. q. 34. a. 2.

Nota 1°. cum S. Th. a. 3. quòd peccatum ex genere suo gravius, possit esse minus ex certis circumstantiis.

Nota 2°. Quòd homo fidelis committens v. g. adulterium, vel aliud peccatum, graviùs peccet cæteris paribus, quàm infidelis eadem committens, tum ob notitiam veritatis ex fide, tum ob Sacramenta, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit.

III. Docet S. Thom. art. 7. quòd non omnis actio hominis infidelis sit peccatum; quia operari potest quædam opera moraliter bona.

Patet etiam ex condemnatione hujus prop. 25. inter Bajanas: "omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia." Vide latiùs Num. 5. "de Gratia."

N. 50. DE SPECIEBUS INFIDELITATIS.

S. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 5.

I. *Tres infidelitatis species.* II. *Paganismus.* III. *Judaismus.* IV. *Et hæresis.* V. *An differant essentialiter.* VI. *Sunt in confessione explicandæ.* VII. *Quænam species sit pejor.* VIII. *Apostasia est triplex.* IX. *Quid apostasia à fide.*

QUOT sunt species infidelitatis?

I. R. In nova Lege sunt tres, scilicet Paganismus, Judaismus, et Hæresis. Ad unam harum alia quævis infidelitas reduci potest.

Quid est Paganismus?

II. R. Est incredulitas eorum, qui Christum neque in figura neque in veritatis manifestatione profitentur : sive qui non agnoscunt Messiam aliquem seu Christum venisse, neque venturum exspectant. Tales sunt Idololatræ, Athei. Deistæ, Mahometani, &c.

Quid est Judaïsmus ?

III. R. Est incredulitas eorum, qui Messiam seu Christum confitentur in figura tantùm : sive qui negant Christum venisse, sed adhuc venturum exspectant.

Quid est Hæresis ?

IV. R. Est incredulitas eorum, qui profitentur quidem Christum venisse ; sed doctrinam ejus ab Ecclesia propositam quoad partem aliquam abjiciunt : tales sunt Lutherani, Calvinistæ, &c.

An dictæ tres species infidelitatis distinguuntur essentialiter, seu specie propriè dictâ ?

V. R. Disputant Authores : videtur Wiggers, quòd tantùm distinguantur accidentaliter, scilicet penes majus et minus, eò quòd non appareat repugnantia diversæ rationis contra virtutem fidei, cùm unica sit et indivisibilis ratio credendi, æqualiter se habens ad omnes fidei veritates, scilicet prima veritas.

VI. Quidquid sit, consentiunt in praxi, quòd in confessione sint explicandæ ; imò et earum species subalternæ. Ratio est, quòd tantò gravior sit infidelitas, quantò plures fidei veritates pertinaciter rejiciuntur ; et sicut una blasphemia est gravior alterâ, sic etiam hæreses, quæ ratione materiæ particularem quamdam blasphemiam solent continere.

Quænam infidelitatis species est gravius peccatum ?

VII. R. Cum. S. Thom. quæst. 10. art. 6. distinguendo : si consideretur infidelitas objectivè, sive ex parte materiæ, sic Paganismus est gravior Judaïsmo, et Judaïsmus gravior Hæresi ; quia Paganus in pluribus errat quàm Judæus, et Judæus plus quam Hæreticus.

Si subjectivè, sive ex parte pertinaciæ voluntatis et renisûs contra fidem, sic pessima est Hæresis, et Judaïsmus communiter gravior Paganismo, quia Hæretici majorem de fidei veritatibus notitiam habere solent, quàm Judæi, et Judæi quàm Pagani ; atque adeo communiter Hæresis est culpæ gravioris.

Si tamen Paganis et Judæis æquè credibiliter veritates fidei essent propositæ, tunc Paganismus esset gravius peccatum quàm Judaïsmus, et Judaïsmùs quam Hæresis.

An Apostasia est propria infidelitatis species?

VII. R. Apostasia distinguitur triplex, scilicet Apostasia à fide Catholica, Apostasia ab ordine clericali, et Apostasia à religione approbata.

Apostasia à fide pertinet ad infidelitatem; verùm non importat determinatam infidelitatis speciem, sed quamdam ejus circùmstantiam aggravantem; quia v. g. ultra Paganismum denotat, veram fidem ab apostata agnitam et receptam fuisse.

Quid est Apostasia à fide?

VIII. R. Propriè et strictè dicta est recessus à vera fide ad Paganismum vel Judaïsmum: quandoque tamen etiam Apostasia dicitur recessus à fide Catholica ad Hæresim.

N. 51. AN INFIDELES SINT COMPELLENDI AD FIDEM?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8.

I. *Non baptizati nequeunt agi ad fidem.* II. *Possunt tamen compelli, ne fidem impediant.* III. *Infideles baptizati possunt compelli.*

I. RESPONDETUR, 1°. Infideles, qui nunquam baptizati sunt, non possunt compelli ad fidem suscipiendam: imprimis non ab Ecclesia; quia nullam habet jurisdictionem in non baptizatos, juxta illud 1. ad Cor. cap. 5. V. 12. "Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?" Neque etiam à principibus sæcularibus, licèt eorum Superioribus: quia tantùm habent potestatem politicam, quæ solùm respicit pacem et tranquillitatem publicam.

Idem probant exempla Christi, Ecclesiæ doctrina et praxis, ac forma Matth. 10. in prædicando Apostolis præscripta.

Notandum tamen, quòd infideles non baptizati, quamvis ad fidem compelli nequeant, à suis Principibus cogi possint, ut legem naturæ observent; adeoque ut abstineant à blasphemiis in Deum, idololatria, &c. ratio est, quòd rectus ordo politicus in legis naturæ observatione fundetur.

II. Infideles etiam non subditi Principi Christiano compelli possunt, ne fidei prædicationem in suis locis impediant: ratio est, quòd Ecclesia habeat jus et potestatem prædicandi Evangelium per universum orbem, quod illi concessit Christus Matth. cap. ult. V. 19. "Docete omnes gentes;"

Marc. cap. 16. V. 15. "Prædicate Evangelium omni creaturæ."

Si ergo Ecclesia in isto jure impediatur, possunt Principes Christiani tanquam Ecclesiæ defensores, bello vel aliis mediis compescere eos, qui fidei prædicationem impedire conantur.

Hoc pacto Alexander VI. Hispanis et Lusitanis Indiam divisit, dividendo nimirum inter illas directè curam et jus coërcendi armis fidei prædicationi obsistentes: has autem terras, existente justâ causâ belli, Principes illi sibi occupare potuerunt.

Juxta Suarez, Herincx, &c. potest Princeps Catholicus infideles sibi subjectos sub pœna exilii cogere, ut certis temporibus intersint prædicationi Evangelii; quia juxta Constitutionem Gregorii XIII. Judæi Romæ degentes coguntur singulis hebdomadibus semel interesse concioni de rebus Fidei Christianæ.

Obj. Dicitur Luc. c. 14. V. 23. "Exi in vias et sepes: "et compelle intrare;" ergo omnes infideles cogi possunt ad fidem suscipiendam.

R. Neg. conseq. verba enim parabolæ juxta S. Gregor. intelliguntur de compulsione impropriè dicta, quæ fit per prædicationem, persuasionem, ostensionem miraculorum, &c.

Si autem cum S. Augustino verba intelligas de compulsione propriè dicta, tum de Hæreticis et Schismaticis accipiuntur, qui fidem aliquando sunt professi, quique propriè compelli possunt.

III. R. 2°. Ad quæstionem: infideles baptizati, quales esse solent Hæretici et Apostatæ, item Schismatici baptizati cogi possunt, etiam pœnis corporalibus, ut revertantur ad Fidem Catholicam, et unitatem Ecclesiæ.

Ratio est, quòd isti per Baptismum subditi facti sint Ecclesiæ: adeoque Ecclesia in eos jurisdictionem habet et potestatem eos compellendi per media ordinata ad obedientiam, et ad implendas obligationes in Baptismo contractas.

Id etiam locum habet in his, qui baptizati sunt in infantia, aut metu vel necessitate quâdam compulsi Baptismum susceperunt, ut docet Concil. Trid. Sess. 7. can. 14. et Toletanum 4tum. can. 55.

Obj. Nemo credit, nisi volens; atqui voluntas cogi non potest: ergo nemo potest cogi ad fidem.

R. Negando conseq. non enim cogitur, ut nolens credat, sed ut ex nolente fiat volens.

Instabis: nemo potest cogi ad Baptismum: ergo, &c.

R. Cum. S. Thom. hìc ad 3. "Sicut vovere est voluntatis, "reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed acceptam tenere est necessitatis;" atque adeo hæretici compelli possunt, ut fidem teneant; interim non semper expedit, ut Ecclesia hoc jur hortatur, prout patebit ex infra dicendis.

N. 52. DE COMMUNICATIONE FIDELIUM CUM INFIDELIBUS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9.

I. *Non licet communicare cum infidelibus in religione.* II. *Nec ineundo cum ipsis matrimonium.* III. *Licet tamen in civilibus.* IV. *An liceat disputare de fide.*

AN licet infidelibus communicare?

R. Triplex potest distingui communicatio.

I. Prima est in illis, quæ spectant ad falsam eorum religionem, in quibus nunquam licet cum infidelibus communicare, opera religionis ipsorum faciendo: hoc enim esset eorum sectam profiteri; hinc nec licet ipsis Templa, Altaria, Vestes Sacerdotales, &c. conficere, quia hoc esset ipsis directè occasionem peccandi præbere. Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 119. a. 2. ad 4.

II. Secunda est in matrimonio: atque hæc communicatio ita fidelibus est interdicta, ut, si cum non baptizatis contrahere attentent, matrimonium sit irritum; si cum infideli baptizato validum quidem sit, sed de se illicitum.

III. Tertia est in illis, quæ spectant ad civilem et politicam conversationem, ut sunt emptio, venditio, convivia, &c. in quibus cum infidelibus licet communicare, nisi tales sint, qui ab Ecclesia nominatim sunt denuntiati ut vitandi. Et quamvis antiquitùs omnes hæretici et omnes excommunicati essent vitandi; hodie tamen, ex moderatione Concilii Constantiensis in cap. "ad evitanda" communiter docetur, nullos excommunicatos esse vitandos, nisi sint nominatim denuntiati, vel sint notorii Clericorum percussores; hinc hodie nulla est lex positiva, quæ Catholicis prohibet in civilibus communicare cum infidelibus.

Potest tamen ex jure naturali oriri obligatio vitandi Hæreticos vel excommunicatos, videlicet ob periculum perversionis, vel propter scandalum aliorum, vel quando conversatio cum ipsis obest conversioni eorum.

An licitum est disputare de fide cum infidelibus?

IV. R. 1°. Qui, fide semel susceptâ, disputat tanquam dubitans de veritate fidei, indubiè peccat, ut ait S. Thom quæst. 10. art. 7.

Aliud est de illo, qui nunquam fidem suscepit et incipi dubitare; licitè talis disputat ad inquirendam veritatem.

R. 2°. Licita est aliquibus disputatio cum infidelibus, s nempe disputantes docti sint et firmi in fide, et prudente judicetur disputatio profutura: unde cum pertinacibus disputatio ordinariè est illicita, nisi aliunde profutura speretur v. g. ex parte audientium.

Dictum est: "Licita est aliquibus," quia per cap. 2 "de hæreticis" in 6. sub pœna excommunicationis prohibitum est Laïcis de fide disputare: verba sunt: "Inhibemus "ne cuiquam Laïcæ personæ liceat publicè vel privatim de "Fide Catholica disputare; qui verò contra fecerit excom"municationis laqueo innodetur."

Verùm juxta Suarez, Coninck, &c. Lex illa per usum contrarium videtur abrogata, ubi est hæreticorum frequentia, ut in Belgio, Germania, &c. Intellige hoc tamen de disputatione privata; nam ut refert Henricus à S. Ignatio Sacra Congregatio de propaganda fide anno 1644. declaravit, nemini licitum esse ex condicto cum hæreticis disputare nisi ex speciali licentia Sedis Apostolicæ, vel nisi fidei status hoc exigeret, et periculum esset in mora.

N. 53. DE RITIBUS INFIDELIUM TOLERANDIS.

S. Thom. 2. 2. quæst. 10. *art.* 11.

I. *Ritus Judæorum possunt tolerari.* II. *Nec aliorum infidelium per se loquendo.*

AN ritus infidelium sunt tolerandi?

I. R. 1°. Ritus Judæorum, etsi peccent in illis exercendis, cum quadam moderatione tolerari possunt: quia inde magnum bonum Ecclesiæ provenit, scilicet quòd testimonium fidei nostræ habeamus ab hostibus, cùm per eorum ritus quasi in figura nobis repræsententur illa, quæ credimus.

Dictum est "cum quadam moderatione:" quia si periculum sit, ne Judæi per suos ritus scandalo sint Christianis Ecclesia potest ac debet eos moderari vel impedire, prout fuerit expediens: hinc statutum est lib. 5. Decret. tit. 6

cap. 3. et 7. ne Judæis liceat habere plures Synagogas in una civitate, nec novas in pluribus locis ædificare.

II. R. 2°. Ritus aliorum infidelium, nempe paganorum et hæreticorum, per se non sunt tolerandi: quia ita sunt mali, ut nihil veritatis aut utilitatis in bonum Ecclesiæ inde derivetur.

Excipe tamen, nisi aliunde majora mala sequerentur, vel majora bona impedirentur.

Obj. I. Apost. ad Rom. cap. 14. V. 5. dicit: "Unus-"quisque in suo sensu abundet:" ergo cuilibet relinquenda est libertas Religionis.

R. Negando cons. nam non agit Apost. de ritibus Religionis; sed de dierum et ciborum discrimine secundùm legem Moysis observando vel non observando, quod utrumque tunc temporis poterat bene fieri.

Obj. II. Dilemma Gamaliëlis Act. cap. 5. V. 38. et 39. ubi de illis, quæ faciebant Apostoli, dicit: "Sinite illos, "quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dis-"solvetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere "illud."

R. 1°. Dilemma istud non est Scripturæ Sacræ, sed Gamaliëlis, qui hoc argumento apparenti voluit Apostolos, quibus favebat, præsenti periculo eripere.

R. 2°. Dato, quòd Gamaliëlis argumentatio subsistat, disparitas est, quòd causa infidelium non sit Judicibus Ecclesiæ dubia, prout causa Apostolorum erat Judæis; sed constat, illam certò falsam esse et damnatam: unde tentanda non est vel probanda, sed extirpanda, nisi adsint rationes, quæ illam tolerandam esse suadeant.

N. 54. DE HÆRESI IN PARTICULARI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 11.

I. *Hæresis.* II. *Definitio.* III. *Explicatur.* IV. *Quando adsit pertinacia.* V. *Ignorantia stat cum hæresi.* VI. *Unde hæretici communiter non excusantur.* VII. *Multi tamen tantisper excusari possunt.* VIII. *Dubius in fide est hæreticus.* IX. *Si plenè deliberatè dubitet.*

I. HÆRESIS vox græca est quæ electionem significat; quia hæreticus proprio judicio eligit credendum, quod vult.

Sumitur quandoque objectivè pro propositione, errorem aliquem contra fidem continente; magis tamen propriè sumitur subjectivè pro assensu intellectûs circa talem pro

positionem, et intelligi solet hæresis formalis, de qua in sequentibus.

Quid est Hæresis?

II. R. Est hominis Christianismum profitentis error in fide pertinax.

Explica hanc definitionem.

III. Dicitur: "hominis Christianismum profitentis:" ut distinguatur à Judaïsmo et Paganismo.

"Error;" quia hæresis est in intellectu errante tanquam in subjecto proximo.

Additur, "in fide:" quia hæresis importat corruptionem fidei, estque error circa ea, quæ ad fidem pertinent; ad fidem autem aliquid pertinet dupliciter: uno modo "directè" et principaliter, sicuti articuli fidei; alio modo "indirectè" et secundariò, sicut sunt ea, quibus negatis, sequitur corruptio alicujus articuli: et circa utraque potest esse hæresis eo modo, quo et fides, inquit S. Th. art. 2. in "Corp." Vide Num. 14.

Error autem circa alias veritates vel disciplinas non vocatur hæresis.

Subjungitur, "pertinax;" quia hæresis importat electionem, seu quòd quis sciens et volens adhæreat errori contra fidem: unde sine pertinacia non est hæresis formalis prout dicit S. Augustinus epist. 16. "Sine pertinacia errare quidem potero; sed hæreticus non ero."

Et inde noscitur distinctio hæresis formalis et materialis; nam materialis est error in Fide sine pertinacia.

Quando censetur adesse pertinacia constitutiva hæresis formalis?

IV. R. Patet ex dictis, nimirum dum quis veritati fidei sufficienter propositæ sciens et volens renititur.

An is, qui ex ignorantia mortaliter mala, vel etiam affectata negat articulum fidei, est formalis hæreticus?

V. R. Distinguendo: si ignorantiam affectet ex animi alienatione à fide, quâ statuit non credere, quamvis sciret articulum ab Ecclesia ut credendum proponi, est hæreticus formalis; quia in voluntatis proposito pertinaciter renititur fidei, si non articulo, quem ignorat, saltem huic articulo sufficienter proposito, quòd credenda sint omnia, quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam credenda proponit.

Si verò ignorantiam affectet ex alio animi affectu, v. g. ex tædio addiscendi, vel ut liberiùs peccet, paratus credere, si articulus ei ut revelatus proponeretur, non est hæreticus formalis, licèt peccet per negligentiam vel intentionem malam, etiam contra fidem.

Similiter ignorans creditu necessaria, non ideo inter hæreticos numerandus est: pariter fieri potest, quòd aliquis sit tardus in credendo, et negligens in eliciendis fidei actibus, et tamen inde dici non debeat hæreticus; quia scilicet pertinaciter non reluctatur veritatibus fidei: quomodo Christus sæpe arguit Discipulos suos tanquam modicæ fidei et tardos ad credendum, non autem tanquam hæreticos: nam aliud est non credere, vel non satis alacriter credere; aliud est pertinaciter discredere seu fidei reniti, quod ad hæresim formalem requiritur.

Aliud iterum dicendum foret, si talis ignorantia vel tarditas, aut negligentia contineret animi alienationem à fide: ita ut de fide habenda vel exercenda omnis cura abjiciatur cum indifferentia animi circa credenda, vel statueret non credere.

Quomodò, si ad hæresim formalem requiratur pertinacia, Hæretici v. g. in Hollandia reputari possunt hæretici formales, cùm illi ex ignorantia sibi persuadeant, sectam suam esse veram Religionem?

VI. R. Tametsi multi inter illos laborent ignorantiâ, quâ putant sectam suam esse veram Religionem, ipsa tamen eorum ignorantia communiter est ex animi alienatione à fide, et cum pertinacia sufficientia ex hæresim; quia sufficienter in eorum notitiam devenit Ecclesia Romano-Catholica suis notis credibilitatis præfulgens, suæque sectæ incredibilitas; ex quibus satis dignoscere possunt, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, adeoque audiendam esse tanquam regulam infallibilem, secundùm quam prima veritas revelans nobis manifestatur: hanc autem Ecclesiam vel rejiciunt, vel negant esse solam Christi Ecclesiam.

Quæritur interim de multis, qui inter hæreticos vel schismaticos nati et educati sunt, quatenùs excusari possint ab hæresi formali?

VII. Respondet Steyaert, hac in re generatim satis certò pronuntiari posse multos tales, etiam postquam ad usum rationis tantisper pervenerunt, adhuc excusari; quia vel de fide Catholica nihil inaudiunt, vel non sic, ut ad discernenda illius fundamenta satis adhuc sint idonei. Postea subdit: speciatim verò aliquid determinare, valdè est difficile: nec oportet nimis in hac parte liberales esse, attentis maximè Patrum sententiis de eorum certo interitu, qui veram fidem et Ecclesiam non habent.

An dubius in fide est hæreticus?

VIII. R. Plenè deliberatè dubitans de aliquo fidei articulo sufficienter ab Ecclesia proposito est hæreticus; quia talis vel censet veritatem revelatam non esse certam, vel Ecclesiam non esse regulam infallibilem in proponendis veritatibus revelatis.

IX. Dicitur: "Plenè deliberatè dubitans," ut excludatur dubium scrupulosorum et timoratorum, quod non solet esse peccatum, vel saltem non grave defectu deliberationis.

Notandum insuper, quòd talis supponatur dubitare de aliquo fidei mysterio sufficienter proposito; si enim dubitatio oriatur ex ignorantia mysterii, vel ex eo, quòd dubitet, an illud sit revelatum, et ab Ecclesia ut credendum propositum, non ideo erit hæreticus.

Intellige tamen, nisi ille fidei articulus, de quo dubitat, ita manifestè proponatur, ut nullo prætextu, de Ecclesiæ propositione dubitari queat: quapropter ab hæresi formali non sunt excusandi Quesnellistæ, quamvis se profiteri hactenus dicant obedientiam erga Ecclesiam Romano-Catholicam et proposita per illam Ecclesiam esse credenda; sed interim acceptationi Bullæ "Unigenitus" reluctantur, ex hoc ficto affectatæ seu ignorantiæ, seu dubitationis prætextu; quasi non esset constitutio Ecclesiæ sufficienter proponentis.

N. 55. DE DIVISIONE HÆRESIS.

I. *Hæresis formalis dividitur.* II. *In internam et externam.* III. *Occultam.* IV. *Et manifestam.* V. *Propositionum censurabilium.* VI. *Varia qualificatio.* VII. *Propositio hæretica.* VIII. *Hæresi proxima.* IX. *Hæresim sapiens.* X. *Erronea.* XI. *Schismatica.* XII. *Blasphema.* XIII. *Temeraria.* XIV. *Male sonans.* XV. *Scandalosa.*

QUOMODO dividitur hæresis?

R. Dividitur 1°. in hæresim formalem et materialem quæ divisio explicata est Num. præc.

I. Hæresis formalis dividitur in internam et externam item in occultam et manifestam.

Quænam hæresis dicitur interna, quænam externa?

II. R. Interna est, quæ ita in mente latet, ut nullo signo exteriori prodatur.

Externa est, quæ se prodit per signa externa, ex quibus homines, si adessent, intelligere possent talem esse hæreti

cam; quamvis fortè nullus adsit, qui ista signa videt, v. g. conculcationem Scripturæ Sacræ, imaginum Christi et Sanctorum animo hæretico factam.

Quæ hæresis dicitur occulta, quæ manifesta?

III. R. Hæresis occulta est illius, qui nondum ut talis cognitus est à notabili parte communitatis.

IV. Manifesta dicitur illius, qui à notabili parte communitatis tanquam hæreticus cognoscitur.

V. Varia quoque est propositionum censurabilium qualificatio, seu ratio, sub qua certæ propositiones reprobantur propter oppositionem aliquam ad doctrinam fidei vel morum.

VI. Porro pro diversa illa oppositione contingit, quòd propositiones in Conciliis et in Bullis Pontificum sub diversa qualificatione damnari soleant; alia enim damnatur ut hæretica, alia ut hæresi proxima, erronea, &c.

VII. Propositio vocatur "hæretica," quæ manifestè continet errorem contra fidem, v. g. hæc: "Christus non "est Deus."

VIII. "Hæresi proxima" dicitur illa, quæ cum maxima probabilitate judicatur hæretica; vel ut alii dicunt, est ea, ex qua propinquè hæresis deduci potest.

IX. Propositio "de hæresi suspecta," vel hæresim sapiens, est ea, quæ quidem habet sensum verum; sic tamen proponitur, ut in obvio sensu habeat sensum hæreticum; qualis est hæc: "Pater est major Filio," in libris Arianorum: quamvis sit Catholica, prout in sacris Litteris et SS. Patrum scriptis reperitur.

X. "Erronea" est, quæ opponitur veritati, quæ certa est certitudine Theologicâ, sive quæ veritas evidenter sequitur ex una vel pluribus præmissis de fide.

XI. Propositio "schismatica" est, quæ fideles ab obedientia Summo Pontifici aliisque Superioribus Ecclesiasticis debita retrahit: talis est eorum, qui docent licitum esse à Bulla "Unigenitus" appellare ad futurum Concilium.

XII. "Blasphema" est, quæ Deo vel Sanctis est injuriosa: sic prima propositio Jansenii non solùm ut hæretica, sed etiam ut blasphema damnata est.

XIII. "Temeraria" est, quæ contra universalem sensum fidelium vel Theologorum asseritur; v. g. si quis diceret, B. Virginem non esse in cœlo, quoad corpus assumptam; vel quæ sinè sufficienti fundamento aliquid novi inducit in materia religionis.

XIV. Propositio "malè sonans," seu piarum aurium offensiva, est illa, quæ quidem non continet sensum fidei apertè adversum; sed tamen aliquid absonum, indece

vel indignum significat; v. g. si quis diceret, Romanum Pontificem non rectè vocari "Sanctissimum."

XV. Propositio "scandalosa" est, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, vel impedimentum fidei aut veritati; ut si quis diceret, ex confessione auriculari gravissima sequi incommoda: tales etiam sunt propositiones, quibus detrahitur statui religioso, veritati Reliquiarum, erga quas singularis observatur religio.

Simili modo explicari potest, quænam propositio dici possit "perniciosa, captiosa, seditiosa," &c. porro uni propositioni plures notæ seu censuræ convenire possunt.

N. 56. DE PŒNIS CRIMINIS HÆRESIS.

I. *Variæ pœnæ hæresis externæ.* II. *Hæretici rectè puniuntur morte.* III. *Revertentes sunt recipiendi.*

QUÆNAM sunt pœnæ criminis hæresis?

R. 1°. Hæresis merè interna in hoc sæculo pœnam non habet, neque constituit casum reservatum.

I. R. 2°. Hæresis externa 1°. annexam habet excommunicationem majorem sententiæ latæ, et reservatam Pontifici. Vide Tract. "de Casibus reservatis" Num. 119. et seq.

Secunda pœna est irregularitas, pro qua vide Tract. "de Censuris."

Tertia pœna est inhabilitas ad beneficium et officium publicum; ut habetur cap. QUICUMQUE "de hæreticis" in 6.

Quarta pœna est privatio beneficiorùm, et dignitatum; hæc tamen pœna videtur tantùm sententiæ ferendæ, ut deducitur ex cap. 12. UT COMMISSI "de hæreticis" in sexto.

Quinta est privatio jurisdictionis spiritualis tam in foro interno, quàm externo: hoc tamen intellige cum moderatione facta in Conc. Constantiensi, de qua Num. 52.: hinc quamdiu non sunt nominatim denuntiati, vel ipsi ab Ecclesia non recedunt, non amittunt jurisdictionem, adeoque validè absolvunt, dispensant, &c.

6ª. Hæretici notorii sunt infames ipso jure, et privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ.

7ª. Bona eorum temporalia sunt ipso jure confiscata; debet tamen ante executionem præcedere sententia super crimine declaratoria à Judice Ecclesiastico; quia cognitio de hæresi est fori Ecclesiastici.

Denique aliis pœnis etiam corporalibus, ut exilio, carcere, &c. meritò afficiuntur.

An hæretici rectè puniuntur morte?

II. Respondet S. Thomas. 2. 2. quæst. 11. art. 3. in "Corp." affirmativè: quia falsarii pecuniæ, vel alii Rempublicam turbantes, justè morte puniuntur: ergo etiam hæretici, qui sunt falsarii fidei, et, experientiâ teste, Rempublicam graviter perturbant.

Confirmatur ex eo quòd Deus in veteri Lege jusserit occidi falsos Prophetas, et Deut. cap. 17. V. 12. statuatur, ut, "qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio,"... moriatur. Vide etiam cap. 18.

Idem probatur ex condemnatione articuli 14. Joan. Hus in Concilio Constantiensi.

Observandum, quòd non baptizati prædictas pœnas, quæ ab Ecclesia constitutæ sunt, non incurrant, utpote Ecclesiæ non subjecti; eas tamen incurrunt apostatæ, id est, qui post Baptismum ad Judæos vel Paganos transeunt.

An revertentes ab hæresi sunt ab Ecclesia recipiendi?

III. R. Cum S. Thom. quæst. 11. art. 4. hæretici revertentes semper recipiendi sunt ad pœnitentiam, quamvis sæpius essent relapsi; tum quia per pœnitentiam reducuntur in viam salutis, tum quia Ecclesia nulli ad se redeunti claudit gremium: non semper tamen sunt restituendi in pristinos honores, dignitates vel officia, neque semper ab omni pœna liberandi, maximè dum in hæresim sunt relapsi.

Quæst. 12. agit S. Thom. de apostasia, pro qua consule Num. 208. "de Sacramento Pœnitentiæ."

N. 57. DE BLASPHEMIA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 13.

I. *Blasphemiæ definitio.* II. *Explicatur.* III. *Dividitur in cordis et oris.* IV. *In immediatam et mediatam.* V. *In enuntiativam.* VI. *Dehonestativam.* VII. *Et imprecativam.* VIII. *In hæreticalem et non hæreticalem.*

QUID est blasphemia?

I. R. Blasphemia prout à Patribus et Theologis accipitur, est locutio in Deum contumeliosa, seu quâ derogatur Dei honori et excellentiæ per modum convicii: unde facilè eam distingues à peccato infidelitatis, perjurii, &c.

II. Dicitur: "locutio" sive externa et oris, sive interna et cordis. "In Deum," vel "in se," vel "in creaturas," quatenùs Dei sunt, ac in èis elucet divina sanctitas, potentia, &c.

"Contumeliosa;" quia fit contra Deum, in quem, utpotè ubique præsentem, omnis maledictio est vera contumelia.

Observa, ad blasphemiam non requiri, ut procedat ex odio aut indignatione contra Deum, vel ut expressa aut formalis sit intentio Deum convitiandi; sed sufficere, quòd verba vel modus pronuntiandi secundùm se serviant ad convicium vel inhonorationem Dei.

Quomodo dividitur blasphemia?

III. R. 1°. Dividitur in blasphemiam "cordis" et "oris." Blasphemia cordis est interna sive mentalis: oris est externa, quæ per verba vel alia signa exteriùs prodit.

IV. 2°. Dividitur in "immediatam" et "mediatam."

Immediata dicitur, quæ continet convicium directè et proximè contra Deum: mediata est, quæ proximè tendit in Sanctos, vel alias res, quatenùs habent ordinem ad Deum; tunc etiam ista contumelia in Deum redundat: sicque omnis blasphemia est contra Deum immediatè et mediatè.

V. 3°. Dividitur in "enuntiativam, dehonestativam," et "imprecativam." Committitur blasphemia enuntiativa, vel affirmando aliquid de Deo, quod ei repugnat; vel negando, quod ei competit; vel ascribendo aliquid creaturis, quod soli Deo proprium est.

VI. Dehonestativa fit, affirmando quidem aliquid, quod Deo verè competit; vel negando, quod ei non competit; sed modo contumelioso, sive per contemptum aut irrisionem: v. g. si quis Christo improperet, quòd sit passus, mortuus, &c. vel probrosè nominet Sanguinem Christi, Membra ejus, Sacramenta, &c.

VII. Imprecativa est, dum quis Deo vel Sanctis optat, vel imprecatur malum: talis est execrabilis illa blasphemia gallica "Mort Dieu," quâ vitæ interminabili mortem exoptant.

VIII. 4°. Blasphemia dividitur in "hæreticalem" et "non hæreticalem:" hæreticalis est, quæ hæresim continet, ut hæc: "Je renie Dieu."

Tandem alia est blasphemia "in Patrem," alia "in Filium," alia "in Spiritum Sanctum;" inquantùm opponuntur appropriationi, quâ potentia Patri, sapientia Filio, et bonitas Spiritui Sancto specialiter attribuuntur: sic Matth. cap. 12. blasphemia in Spiritum Sanctum specialiter dici-

tur ea, quâ manifesta Spiritûs Sancti opera adscribuntur diabolo.

N. 58. DE PECCATO BLASPHEMIÆ.

S. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 1. 2. 3.

I. *Cui Virtuti repugnet blasphemia.* II. *Notatum practicum.* III. *Gravitas peccati blasphemiæ.* IV. *Probatur ex Scriptura S.* V. *Non fit veniale ex parvitate materiæ.* VI. *Nec si ex joco proferatur.* VII. *Nec ex consuetudine voluntaria.*

CUI virtuti repugnat blasphemia?

I. ℞. Omnis blasphemia repugnat virtuti religionis: quia est contra honorem et reverentiam Deo debitam.

Juxta S. Thom, art. 1. omnis blasphemia oris opponitur confessioni fidei: sed minùs proprie juxta Sylvium: certum est, quòd blasphemia hæreticalis externa opponatur confessioni fidei: quia per eam aliquid fidei repugnans asseritur: quòd si talis blasphemans interius cum pertinacia sentiat sicut expressit, erit hæreticus formalis.

An omnes blasphemiæ sunt ejusdem speciei peccata?

II. R. Quamvis in speculatione Scholastici dissentiant; in praxi tamen conveniunt, quòd in confessione exprimenda sit qualitas blasphemiæ, utrùm ex odio vel indignatione, aut animo contumelioso in Deum vel Sanctos; vel utrùm ex animo hæretico processerit: item an immediata, an mediata, an contra Deiparam, an contra alios Sanctos: ratio est, quòd una blasphemia, si non specie, saltem gravitate distinguatur ab altera.

Porro hæc omnia satis communiter innotescunt, inquirendo quæ verba et quo animo, aut quâ occasione fuerint dicta; quod eò magis in praxi est observandum, ob tantam æquivocationem hujus verbi "jurare" apud vulgum, ut nequidem species peccati satis exprimatur.

Deinde observa, quòd formulis jurandi quandoque utantur animo blasphemo, et formulis blasphemis animo jurandi.

Præterea sub verbo "jurare" vulgus quandoque comprehendit verba malè sonantia, aut maledictiones directas ad creaturas, quæ per se solùm continent veniale peccatum, licet aliunde peccari possit mortaliter ratione conscientiæ erroneæ, affectûs nocendi proximo, &c. Vide Num. 137. et sequentes "de virtute Religionis."

Observa etiam, quòd blasphematores et juratores, præsertim consuetudinarii, Parentes, Superiores, &c. communiter insuper rei sint gravis scandali.

Quantum peccatum est blasphemia?

III. R. Est peccatum ex genere suo mortale, gravius quàm sunt peccata contra alias virtutes morales, adeoque gravius homicidio, perjurio, &c.

Si autem blasphemia procedat ex odio vel detestatione Dei, erit peccatum omnino gravissimum: si procedat ex infidelitate, erit simplici infidelitate deterius.

IV. Enormitatem peccati blasphemiæ docemur multiplici Scripturæ Sacræ testimonio: sic Levit. cap. 24. V. 14. jussu Dei lapidatus est blasphemus, et V. 16. "Qui blasphemaverit "nomen Domini, morte moriatur;" 1. ad Timoth. cap. I, Apostolus Himenæum et Alexandrum tradidit Satanæ, ut discant non blasphemare: variaque alia exempla leguntur, quæ utiliter proponuntur ad extirpandum hoc execrandum vitium.

Ob hujus peccati gravitatem fit, quòd Scriptura Sacra "blasphemare" quandoque per antiphrasim exprimat, ut 3. Reg. cap. 21. V. 13. "Benedixit Naboth Deum et Re- "gem," id est blasphemavit; item Job. cap. 2. V. 9. dicit ei uxor: "Benedic Deo, et morere," id est, jacta in Deum blasphemiam, ut ea irritatus te percutiat.

Hujus delicti gravitatem etiam denotant rigidæ pœnæ per utramque potestatem Ecclesiasticam et civilem in blasphemos decretæ. Vide Num. 175. "de virtute Religionis."

An peccatum blasphemiæ potest esse veniale ex parvitate materiæ?

V. R. Negativè; quia quævis in Deum contumelia infinitæ ejus majestati graviter repugnat: unde tantùm ex imperfecta deliberatione potest esse veniale.

An blasphemia jocò prolata est peccatum mortale?

VI. R. Affirmativè; nimis enim magnus est Deus, nimis honorati sunt Sancti amici ejus, quàm ut joco aut risui nostro exponantur. Aliud tamen foret dicendum, inquit Sylvius, si jocus tolleret rationem blasphemiæ, ut si non ex animo significandi, sed per hyperbolen aliquis feminam vocet deam. Similiter qui ex joco vel levitate loqueretur de Sanctis, non quatenùs Sancti sunt, sed quatenùs fuerunt homines in terra, à gravi excusari posset, ait etiam Sylvius: ut si quis ex joco diceret, S. Crispinum fuisse sutorem, quia non committitur blasphemia propriè dicta; peccaret tamen; quia Sancti propter conjunctam Sanctitatem sunt plus honorandi, etiam in suis naturalibus.

Ex dictis patet, à gravi peccato non excusari illos qui dicunt, se formalibus blasphemiis uti sine animo Deum blasphemandi, sesque eas tantùm effutire per modum interjectionum, &c.

An blasphemia ex consuetudine prolata est peccatum mortale?

VII. R. Affirmativè, quamdiu consuetudo non est retractata: voluntaria enim consuetudo non excusat, sed aggravat ipsum peccatum, ut N. 38. "de actibus humanis" dictum est.

QUÆSTIO VI.

DE REGULIS FIDEI.

N. 59. DE REGULIS FIDEI.

I. *Regulæ fidei.* II. *Sunt quinque.* III. *Duæ inanimatæ.* IV. *Et tres animatæ.*

I. REGULA fidei hìc vocatur stabile quoddam et permanens principium, quod objectum fidei Catholicæ nobis applicat, seu quo prima veritas revelans, et divinitus revelata nobis manifestantur et infallibiliter innotescunt cum sufficienti credibilitate.

II. Sunt autem quinque hujusmodi regulæ, quarum duæ inanimatæ, et tres animatæ.

III. Regulæ fidei inanimatæ veritates fidei catholicæ adinstar depositi continent, suntque Scriptura Sacra, et Traditio divina.

IV. Regula fidei animata est, quæ nobis ea, quæ Deus revelavit declarat, sic ut ea sufficienter proponat tanquam fide divinâ credenda, estque triplex, scilicet Ecclesia, Concilium generale, et summus Pontifex ex cathedra definiens.

De his ordine, sed breviter agemus: fusè eadem tractant Bellarm. Sylvius in Tract. "de controversiis Fidei," aliique.

N. 60. DE SCRIPTURA SACRA.

I. *Scripturæ Sacræ varia nomina.* II. *Definitio.* III. *Dictata est quoad singula verba.* IV. *Idque est de essentia Script. S.*

I. SCRIPTURA Sacra solet variis nominibus insigniri: per excellentiam "Scriptura" simpliciter appellatur, item Biblia, Literæ Sacræ, et Testamentum Dei, item Verbum seu Eloquium Dei.

Quid est Scriptura Sacra?

II. R. Est verbum Dei scriptum, Deo inspirante et dictante.

Verbum Dei dividitur in scriptum, et non scriptum, sive in Scripturam Sacram, et Traditionem Divinam. De Traditione agetur postea.

An Scriptura Sacra à Deo dictata est, non tantùm quoad res et sententias, sed etiam quoad singula verba, Literas, Apices, &c.?

III. R. Affirmativè: et probatur ex 2. ad Timoth. cap. 3. V. 16. "Omnis Scriptura divinitùs inspirata;" item ex 2. Petri cap. 1. V. 21. "Non enim voluntate humanâ allata "est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, "locuti sunt Sancti Dei homines." Et Matth. cap. 5. V. 18. "Jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec "omnia fiant."

Id etiam conducit ad majorem Scripturæ dignitatem et authoritatem: nec aliter satis intelligimus, quomodo SS. Patres testentur, linguas et manus Hagiographorum, ac ipsos Scriptores fuisse Spiritus Sancti calamos et amanuenses; item singulos sermones, syllabas, apices in Scripturis esse plena sensibus.

An est de essentia Scripturæ Sacræ, quòd sit dictata à Deo quoad singula verba?

IV. R. Sententia affirmativa est communior; quia Scriptura Sacra est Verbum Dei; atqui quod à Deo dictatum non est, non est Verbum Dei: ergo si aliqua verba non sint à Deo dictata, illa non pertinent ad Scripturam Sacram.

Plura hac super re videre est in censuris et justificatione Doctorum Lovaniensium et Duacensium contra has tres assertiones Lesii, quarum prima est: ut aliquid sit Scriptura Sacra non est necessarium, singula ejus verba inspirata esse â Spiritu Sancto.

Secunda: non est necessarium, ut singulæ veritates et sententiæ sint immediatè à Spiritu S. ipsi scriptori inspiratæ.

Tertia: liber aliquis, qualis forte secundus Machabæorum humanâ industriâ, sine assistentia Spiritûs Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus testetur postea, ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.

Obj. I. Ergo nostra vulgata non est Scriptura Sacra: Probatur, quia illa non est dictata à Spiritu Sancto quoad singula verba.

R. Distinguendo probationem: vulgata nostra, id est, illa versio non est dictata quoad singula verba, concedo: non est dictata quoad singula verba in suo fonte, seu in originali, unde vulgata nostra translata est, et quâcum censetur eadem, nego.

Unde nota, quæstionem intelligi de originali, non de translationibus in alias linguas, nisi inquantùm cum ipso originali concordando, eædem cum ipso censentur quoad authoritatem, infallibilitatem, et æquipollentiam veritatis et doctrinæ: atque ita vulgata nostra vocatur, et est æquivalenter Scriptura S. quia Ecclesia in Conc. Trid. Sess. 4. declaravit, vulgatam nostram esse authenticam.

Obj. II. Diversitas amanuensium non facit diversitatem styli, si idem sit dictans; atqui stylus sacrorum librorum, qui à diversis conscripti sunt, est diversus: ergo non fuit idem dictans.

R. Neg. conseq. Quia Deus in dictando voluit se attemperare ingenio et conditioni scribentium, verba eis suggerens prout cuique erant familiaria, et ita eos dirigens, ac si de suo scripsissent.

Hinc solœcismi, aliique scriptionis defectus non Spiritui Sancto dictanti, sed scriptori imputandi sunt; simili ferè modo, ac si bonus scriptor calamo defectuoso uteretur, defectus scripturæ calamo, non scriptori imputaretur.

Obj. III. Author libri secundi Machabæorum cap. 15. veniam petit, si minùs dignè et convenienter historiam scripserit, et cap. 2. V. 24. se fatetur breviatorem Jasonis Cyrenæi; idem V. 27. dicit, se non facilem laborem, sed negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsisse; atqui hæc omnia dici non possunt ab eo, cui omnia et singula verba divinitùs inspirantur: ergo, &c.

R. Negando minorem: quantùm enim ad primum punctum ratio jam data est. Quantùm ad secundum, dicitur nihil obstare, quominus ex libris humanâ industriâ scriptis, Spiritus S. quædam seligat, eaque discribi curet per aliquem, cui singula dictet. Ad tertium respondetur, quòd inspiratio Spiritûs S. non excludat laborem et studium inquisitionis; sic enim scriptores in scribendo movebantur, ut etiam

seipsos moverent; imò eos latere potuit, se in hunc modum moveri à Deo, quemadmodum et Caïpham latuit, quòd, Deo authore, prophetaret. Joan. c. 11. V. 50.

Obj. IV. Una eademque vox Dei Patris in Christi Baptismo facta, à Matth. cap. 3. V. 17. et à Marco cap. 1. V. 11. refertur aliis atque aliis verbis; ergo, &c.

R. Neg. conseq. ratio est, quòd illa vox Patris non nisi in sensu relativo adferatur: qui autem alterius verba refert, solùm censetur eorum referre substantiam: verùm Scriptura Sacra est proprium et immediatum Verbum Dei in sensu assertivo, adeoque talis esse debet quoad singula verba.

N. 61. DE DIVISIONE SCRIPTURÆ SACRÆ.

I. *Scriptura dividitur in Nov. et Vet. Test.* II. *In libros legales, historicos, doctrinales et propheticos.* III. *Canon Scripturæ.* IV. *Judaïcus et Christianus.* V. *Libri proto-canonici, et deutero-canonici.* VI. *Sunt ejusdem authoritatis.* VII. *Libri apocryphi.* VIII. *Aliqui positivè, aliqui negativè tales.*

QUOMODO dividitur Scriptura Sacra?

I. R. 1°. In vetus et novum Testamentum.

II. Libri utriusque Testamenti dividuntur in legales, ut Genesis, Exodus, &c. et quatuor Evangelia: in historiales, quales sunt Josue, Judicum, &c. et Acta Apostolorum: in sapientiales seu doctrinales, ut Proverbia, Ecclesiastes, &c. et Epistolæ novi Testamenti: in propheticos, ut Isaïas, Jeremias, &c. et Apocalypsis.

III. Libri Scripturæ Sacræ dicuntur Canonici: quia ab Ecclesia relati sunt in Canonem seu catalogum librorum divinorum, ac etiam, quia continent normam seu regulam, quam in fide et moribus sequi debemus: hos recenset Concil. Trid. Sess. 4. scilicet veteris Testamenti 45. novi Testam. 27. adeoque universim 72. eosque jubet sub anathematis pœna haberi pro divinis.

IV. Canon librorum veteris Testamenti est duplex, unus Judaïcus, alter Christianus. Vide "Analogiam Becani," cap. 1. quæst. 1.

V. Inter libros sacros, quos ut tales cognoscit Ecclesia, aliqui dicuntur Proto-canonici, aliqui Deutero-canonici.

Priores sunt, de quibus inter fideles nunquam fuit dubitatum.

Posteriores sunt, de quibus, licèt modò in sacrorum librorum Canonem relati sint, antiquitùs tamen dubitabatur

ab aliquibus, utrùm essent Scriptura Sacra: ejusmodi ex veteri Testamento sunt liber Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Esther, Ecclesiastici, primus et secundus Machabæorum: ex novo Testamento Epistola Pauli ad Hebr. Epistola Jacobi, secunda Petri, prima et tertia Joannis.

VI. Porro tam Deutero-quàm Proto-canonici paris apud Catholicos sunt dignitatis et authoritatis.

VII. Libris Canonicis opponuntur libri apocryphi, qui ita vocantur, quia Ecclesia illos in canonem non recepit, eò quòd satis fundatam de illis traditionem non invenerit, quamvis de Divinitate illorum nonnulli Patres aliquando dubitaverint: tales sunt tertius et quartus liber Esdræ, tertius et quartus Machabæorum, Oratio Regis Manassis captivi, &c.

VIII. Inter apocryphos aliqui sunt positivè apocryphi, seu reprobati, quales sunt, quos damnat Gelasius Papa "Can. Sanctâ Rom." dist. 15.: alii sunt negativè apocryphi, id est, nec ab Ecclesia approbati, nec reprobati, tamquam divini.

An aliquis liber apocryphus potest fieri canonicus?

R. Liber positivè apocryphus non potest fieri canonicus: sed qui tantùm negativè est apocryphus, potest fieri canonicus; nihil enim vetat, aliquem librum esse sacrum, idque aliquo tempore in Ecclesia ignorari, postea verò sciri; ut contigit de libro Judith, Esther, &c.

An etiam liber canonicus potest fieri apocryphus?

R. Affirmativè, scilicet si vel pereat notitia ejus canonizationis, vel tantis permisceatur extraneis additamentis, ut divinum ab humano ampliùs nequeat discerni. Hæc facilè intelliguntur ex modo, quo aliqua possunt incipere vel desinere esse de fide; ut dictum est in fine Num. 12.

N. 62. DE SENSIBUS SCRIPTURÆ SACRÆ.

I. *Sensus Scripturæ Sacræ.* II. *Divisio.* III. *Sensus literalis.* IV. *Proprius.* V. *Et improprius.* VI. *Sensus mysticus.* VII. *Est triplex; nempe allegoricus.* VIII. *Anagogicus.* IX. *Et tropologicus.* X. *Omnis Scriptura habet sensum literalem.* XI. *Et quandoque plures.* XII. *Non omnis habet sensum mysticum.* XIII. *Quid sensus accommodatitius.* XIV. *Ejus usus,* XV. *Et abusus.*

QUID est sensus Scripturæ Sacræ?

I. R. Est illa significatio, quam verba Scripturæ immediatè vel mediatè significant ex intentione Spiritûs Sancti

Quotuplex distinguitur sensus Scripturæ Sacræ ?

II. R. 1°. Dividitur in sensum literalem et mysticum.

Literalis subdividitur in sensum literalem proprium, e improprium seu metaphoricum.

Mysticus subdividitur in allegoricum, anagogicum et tropologicum, seu moralem.

Quid est sensus literalis ?

III. R. Est ille, quem verba sive propriè sivè impropri accepta ex Spiritûs Sancti intentione "immediatè" significant: adeoque sensus literalis duplex est, proprius e improprius.

IV. Sensus literalis proprius est ille, quem verba in propria significatione accepta "immediatè" significant talis est sensus horum verborum: "Dominum Deum tuum "adorabis: non occides," &c. in quibus tropus vel metaphora non est quærenda.

V. Sensus literalis improprius seu metaphoricus est ille qui per verba impropriè seu figuratè accepta "immediatè" significatur, qualis est sensus in hac sententia Matth. cap. 18 V. 9. "Si oculus tuus scandalizat te, erue eum," &c ubi oculus non accipitur propriè pro organo corporis, sed figuratè pro re tam necessaria et grata, quàm sit oculus.

Idem est, dum Deo tribuitur brachium: nam per illud non intelligitur membrum aliquod corporale, sed metaphoricè virtus et potentia divina: item quando Christus dicitur agnus, vitis, &c. sumi hæc debent metaphoricè, et generatim tunc verba metaphoricè sunt intelligenda, quando ex illis propriè acceptis, sensus falsus, impius, aut absurdus sequeretur.

Quid est sensus mysticus?

VI. R. Est ille, quem verba ex intentione Spiritûs Sanc mediatè significant, mediantibus scilicet rebus per ver significatis, sive est ille, qui insuper per res verbis significat denotatur: sic hæc sententia: "Nec os illius confringetis Exod. cap. 12. literaliter dicta est de Agno Paschali, mysticè de Christo, ut patet ex Joan. cap. 19. V. 36.

VII. Porro sensus mysticus est triplex, scilicet prim est allegoricus, dum res per verba significatæ aliquid signi cant ad Ecclesiam militantem et fidei instructionem pertine Exemplum habetur ad Gal. cap. 4. in duobus Abrahæ fili Ismaële ex ancilla, et Isaac de libera natis, qui præfigur runt vetus et novum Testamentum.

VIII. Secundus Anagogicus est ille, dum res per ver significatæ important aliquid pertinens ad Ecclesiam triu phantem, et refertur ad spem: sic ingressus Israëlitarum

Palæstinam, post varias afflictiones et certamina, significavit per varias tribulationes ingrediendum esse in Regnum Cœlorum.

IX. Tertius Tropologicus sive moralis est, quando res gestæ sunt signa eorum, quæ nos agere debemus: ita ex præcepto Deuter. cap. 25. V. 4. "Non ligabis os bovis "terentis in area fruges tuas;" probat Apost. 1. ad Cor. cap. 9. deberi Prædicatoribus Evangelii alimoniam ab iis, quibus illud annuntiant.

Sensus prædictos explicant versus sequentes:

"Litera gesta, docet, quid credas allegoria,
"Moralis quid agas, quid speres anagogia."

Quatuor hos sensus complectitur unica hæc vox "Jeru-"salem:" in sensu quippe literali significat notissimam Palæstinæ Metropolim, allegoricè significat Ecclesiam militantem, tropologicè, seu moraliter, animam justi, et anagogicè Ecclesiam triumphantem.

An omnis Scriptura habet sensum literalem?

X. R. Affirmativè, proprium scilicet, vel improprium; nam prius est per verba aliquid significari, quàm per res verbis significatas; unde, ut dicit S. Thom. 1. p. q. 1. art. 10. in "Corp." "Sensus spiritualis seu mysticus super literalem "fundatur et eum supponit."

Non omnis tamen Scriptura habet sensum literalem proprium; ut v. g. hæc: "Petra erat Christus," cujus sensus literalis est improprius.

An textus aliquis Scripturæ S. potest habere plures sensus literales immediatè à Spiritu S. intentos?

XI. R. Affirmativè, hæcque sensuum multiplicitas excellentiam Scripturæ Sacræ plurimùm commendat: exemplum habetur in his verbis Psalmi secundi "Filius meus es tu, "ego hodie genui te," quæ triplicem habent sensum literalem; 1°. enim significant æternam Christi generationem ex Patre. 2°. temporalem ejus Nativitatem ex Virgine, et 3°. Apostolus Paulus Act. cap. 13. eadem interpretatur de Resurrectione Christi, eò quòd Resurrectio, quæ est nova animæ cum corpore unio, sit quædam regeneratio.

Dices: si unius Scripturæ sint plures sensus literales, non erit certa regula, nullumque firmum ex ea poterit deduci argumentum.

R. Negando antec. quia cùm unusquisque illorum sensuum sit intentus à Spiritu Sancto, est regula certa, et ex

unoquoque illorum firmum deduci potest argumentum, modò constet singulum esse genuinum.

An omnis Scriptura habet sensum Mysticum?

XII. R. Negativè, nam v. g. istud Matth. cap. 22. "Diliges Dominum Deum tuum," cæteraque juris naturæ præcepta, non habent nisi sensum literalem.

An ut ex literali, ita ex sensu mystico efficax potest deduci argumentum?

R. Affirmativè, modò constet sensum Mysticum à Spiritu S. esse intentum; id autem constat, si vel ipsa Scriptura id exprimat, prout citata verba Deut. cap. 25. "Non ligabis "os bovis," &c. exponit Apost. 1. ad Cor. cap. 9. vel si hoc doceat Ecclesia, aut unanimis Sanctorum Patrum consensus.

An præter jam dictos Scripturæ Sacræ sensus non datur alius, qui dicitur accommodatitius?

XIII. R. Sensus accommodatitius est, qui nec immediatè per verba significatur, nec mediatè per res verbis significatas, sed qui ad aliud quidpiam significandum applicatur seu accommodatur v. g. à concionatore: unde propriè non est sensus Scripturæ Sacræ, cùm non sit à Spiritu Sancto intentus.

XIV. Usum sensûs accommodatitii esse licitum probat mos Ecclesiæ, quæ B. Virgini plurima ex libro sapientiæ, variaque alia aliis Sanctis accomodat: imò et ipse Christus Matth. cap. 15. V. 8. Scribis et Pharisæis sui temporis applicat verba Isa. cap. 29. "Populus hic labiis me honorat:" dicta ad Judæos tempore Isaïæ.

Usus ille in rebus honestis ex bono fine licitus est etiam privatis; hinc tam frequens illius usus apud SS. Patres et pios concionatores: nec dubium, quin Spiritus S. similes sensus legentibus quandoque suggesserit, ut idcirco S. Aug. illos vocet sensus Scripturæ Sacræ.

XV. Observa tamen, plures sæpe abuti verbis aut sententiis Scripturæ Sacræ, cùm ea in communi sermone, vel aliter ad res profanas, facetias, &c. accommodant; hoc enim vetat Sanctitas et reverentia verbo Dei debita.

N. 63. DE OBSCURITATE SCRIPTURÆ SACRÆ.

I. *Scriptura in variis locis obscura.* II. *Probatur.* III. *Undenam id oriatur.*

AN Scriptura Sacra est obscura?

I. R. Scripturam Sacram variis in locis obscuram esse, certum est contra hæreticos.

II. Probatur ex Act. cap. 8. ubi ab Eunucho legente Isaïam petit Philippus V. 30. "Putasne intelligis quæ "legis?" qui ait V. 31. "Et quomodo possum, si non "aliquis ostenderit mihi?" item ex Epist. 2. Petri cap. 3. ubi loquens de Epistolis Paulinis dicit: In quibus sunt "quædam difficilia intellectu."

Probatur etiam ex unanimi SS. Patrum consensu; quin et ipsæ hæreticorum dissensiones id luculenter evincunt; cur enim, si Scriptura ubique clara est, ut aiunt, ipsimet inter se dissident, Synodos cogunt ad dirimendas controversias: cur aliter Lutherani, aliter Calvinistæ Scripturam intelligunt?

Quare sensus Scripturæ Sacræ sæpe est obscurus?

III. R. In primis obscuritas illa oritur partim ex Mysteriis, quæ ibi continentur, et humanum captum superant; partim ex phrasibus isti linguæ propriis, in qua libri sacri fuerunt conscripti; partim ex figuratis locutionibus; et partim ex sententiis in speciem contrariis.

Sed nec defuerunt rationes, ut modo obscuro proponeretur: 1°. quidem ad retundendam superbiam nostram, quatenùs ex hoc ignorantiam nostram confiteri, et sapientiam à Deo postulare cogimur.

2°. Ad Scripturæ S. majestatem et reverentiam; etenim facilè investigata plerumque vilescunt.

3°. "Ut studiosa mens et quæsitis exerceatur utiliùs, et "uberiùs lætetur inventis" ait S. Aug. quæ enim labore et longo tempore parta sunt, magis amantur et constantiùs permanent.

4°. Ut Mysteria ab infidelium irrisione abscondantur.

N. 64. DE LECTIONE SCRIPTURÆ SACRÆ.

I. *Lectio Scripturæ Sacræ non omnibus necessaria.* II. *Necessaria tamen est Sacerdotibus.* III. *Lectionem Scripturæ Sacræ non prohibet Ecclesia.* IV. *Sed in lingua vulgari sub certis tantùm conditionibus permittit.* V. *Probatur ex regula quarta indicis.* VI. *Quæ urgetur ab Episcopis Belgii Catholici.* VII. *Objectiones.*

AN Lectio Scripturæ S. est omnibus necessaria, vel præcepta?

I. R. Non omnibus necessariam vel præceptam esse patet ex praxi et doctrinâ universalis Ecclesiæ: quapropter in Bulla "Unigenitus," circa hanc rem damnata est propositio 79. "Utile et necessarium est omni tempore et lo-

"et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria S. Scripturæ:" huic junge propositiones 80, 81, 82, 83, 84 et 85. in eadem Bulla damnatas.

Probatur ulteriùs: aliorum in Ecclesia est docere, aliorum est scientiam et legem ex ore Sacerdotum requirere: simili ferè modo, quo in Republica civili non omnium est leges scrutari, controversias dijudicare, &c.

Confirmatur: quia S. Aug. lib. 1. "de Doctrina Christiana" cap. 39. tradit, quòd quædam Ecclesiæ, per duo et ampliùs sæcula, substiterint absque Scripturis: accedit, quòd multi fideles legere nesciant, quibus nec opportunum est, habere aliquem qui prælegat.

Deinde Scriptura Sacra non nisi Latinè, Hebraïcè vel Græcè legebatur in Ecclesia usque ad sæculum IV. et in Hispania non nisi Latinè usque ad sæculum VI. et in Anglia usque ad sæculum VII. ut testatur Beda; docetque Harney, quòd majores nostri Biblia in linguam vulgarem conversa primis octo sæculis post Christianismum hìc plantatum non habuerint.

Si autem Patres judicassent promiscuam Scripturæ Sacræ lectionem esse necessariam, prout Quesnellus cæterique hæretici clamitant, indubiè eam in linguam vulgarem transtulissent.

II. Sacerdotibus tamen et Præpositis Ecclesiæ, quibus incumbit onus docendi et arguendi, studium Scripturæ Sacræ ratione statûs et officii est necessarium, secundùm quod dicitur Malachiæ cap. 2. V. 7. "Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus;" ut proinde meritò statuerit Excellentissimus Dominus Archi-Epis. Mechl. in Decreto suo de 12. Martii 1762. neminem à se ad Sacros Ordines admissum iri, nisi præcipuos Scripturæ Sacræ libros diligenter pervolverit.

An lectio Scripturæ Sacræ est omnibus licita?

III. R. 1°. Ecclesia lectionem Scripturæ Sacræ in lingua Hebraïca, Græca vel Latina nullo decreto, ne ipsis quidem Laïcis, prohibet. Ex lege tamen naturæ ab illa abstinendum est, si lectio illa defectu idoneitatis, vel dispositionis animi, foret pravi usûs, ut erat respectu illorum, de quibus agit S. Petrus Epist. 2. cap. 3. V. 16. "Quæ indocti, et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem."

IV. 2°. Lectionem Scripturæ Sacræ in lingua vulgari laïcis aut cujuscumque conditionis hominibus Ecclesia absolutè non prohibet, sed eam non nisi cum magnis cautionibus permittit.

V. Hæc Ecclesiæ disciplina, quæ jam ante usu recepta erat in particularibus Ecclesiis, pro universali Ecclesia stabilita fuit per regulam quartam indicis ad calcem Concil. Trident. his verbis: "Cum experimento manifestum sit, si "S. Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittan- "tur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm "utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisi- "toris stetur, ut cum Consilio Parochi vel Confessarii, "Bibliorum, à Catholicis authoribus versorum, lectionem "in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint "ex ejusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis "augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis "habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu "habere præsumpserit, nisi priùs Bibliis Ordinario redditis, "peccatorum absolutionem percipere non possit...Regulares "verò non nisi facultate à Prælatis suis habitâ, ea legere "aut emere possint."

VI. Porrò, si quædam puncta excipias, ut sunt de venia in scriptis obtinenda, de Bibliorum redditione absolutioni præmittenda, et Ordinario facienda, legis istius observantia severè urgetur ab Episcopis Belgii Catholici, ut videre est apud Harney: et quantùm ad hanc Diœcesim vide Syn. Diœces. tit. 1. cap. 8. et priorem Epistolam Pastoralem Humberti à Præcipiano.

Imò juxta Steyaert recepta est Lex et hucusque servata (cum varietate quadam pro genio regionum) in parte orbis Catholici multò maxima, imò in orbe merè Catholico toto: solùm ubi inter hæreticos degendum fuit, plus indultum est.

Observa, quòd juxta dictam regulam potestas concedendi licentiam legendi Scripturam Sacram in lingua vulgari, competat Episcopo, vel Inquisitori, non Parocho, aut Confessariis, nisi hæc potestas ipsis sit concessa.

Prohibitio retinendi et legendi Biblia vernacula comprehendit etiam partes tam vet. quàm novi Testamenti, quas usus non excipit: excipiuntur autem usu Psalmi aliqui, Cantica, et Passio Domini in libris Precum inserta. Pariter usus in pluribus locis obtinet, quòd vernaculè legantur Epistolæ et Evangelia per annum in Missa cantari solita, item historia veteris et novi Testamenti.

Docet Sylvius in resolutionibus variis, verbo "Biblia," quòd Pastores, Concionatores et alii, qui ad Parochi aut Concionatoris munus præparantur, possint uti Scripturâ in lingua vulgari; quòdque hæc facultas sit ipsis concessa hoc ipso, quo ad tale munus deputantur; vel certè concessa

sit à Conc. Trid. Sess. 22. cap. 8, ubi mandat, ut Sacra Eloquia frequenter inter Missarum Solemnia, vel Divinorum Officiorum celebrationem vernaculâ linguâ explanentur. Hanc Sylvii resolutionem probat et confirmat usus communis.

Addit tamen non æqualiter constare de Sacerdotibus, qui neque ad Parochi neque ad Concionatoris munus præparantur, et multò minùs de Laïcis Latinum callentibus.

VII. Objiciunt Quesnellistæ: illa prohibitio est injusta; quia res per se bona et utilis non est materia prohibitionis; atqui Scriptura Sacra est res per se bona et utilis ad docendum, arguendum, &c. ut dicitur 2. ad Timoth. cap. 3. ergo, &c.

R. Distinguendo assumptum probationis: res per se bona et utilis non potest esse materia prohibitionis ratione suî, concedo assumptum: non potest esse materia prohibitionis per accidens, ratione circumstantiarum, personarum, effectuum, &c. nego assumptum: sic v. g. communio sub utraque specie, licèt per se sit optima, prohibetur tamen Laïcis: sic etiam cibi per se boni sapienter negantur illis, quibus ratione infirmitatis aut debilitatis forent nocivi aut periculosi.

Instabis: licèt quidam cibo vel potu v. g. vino abutantur, non ideò illorum usus potest prohiberi: ergo, &c.

R. 1°. Concedo antec. intellectum de lege univérsaliter prohibente; quia sunt usûs universaliter necessarii, aut simpliciter utilis: quamquam et in iis ad tollendum abusum interdum quædam usûs moderatio præscribi posset.

R. 2°. Nego conseq. disparitas est, quòd Scriptura Sacra non sit æqualiter ordinata, ut quisque per se eâ utatur, sicut cibus et potus; quandoquidem horum utilitas aliunde non suppleatur, prout magis utiliter et sine detrimenti discrimine suppletur Lectio Scripturæ Sacræ per instructionem Pastorum, &c. ex quorum ore populus Legem Dei requirere debet: unde observa, quòd Scriptura Sacra sit testamentum ad omnes quidem pertinens "quoad rem Testamenti," non sic quoad lectionem.

R. 3°. Jam supra dictum est, quòd Léctio Scripturæ Sacræ non simpliciter prohibeatur, sed tollendo abusum, illius usum Ecclesia moderetur, eum relinquendo discretioni Superiorum (quod in usu vini ita fieri non posset) qui judicent, quibus usus ille seu lectio bona sit et utilis.

Obj. II. S. Chrysostomus Homiliâ nonâ in Epist. ad Coloss. ita loquitur: "Audite, obsecro, sæculares: omnes "comparate vobis Biblia animæ pharmaca," et Homiliâ

tertiâ de Lazaro dicit lectionem Scripturæ Sacræ necessariam ad salutem : similiter S. Hieronymus hortatus est etiam fæminas, Paulam, Eustochium, &c. ad legèndam Scripturam: ergo Scriptura Sacra ab omnibus legenda est etiam in lingua vulgari.

R. I°. Negando conseq. in primis illi Patres non dicunt Scripturam Sacram legendam esse in lingua non sacra : feminæ autem illæ, quibus loquitur S. Hieron. callebant linguam latinam.

R. 2°. Dicendum, quòd in hoc puncto disciplina Ecclesiæ mutata sit, sicuti mutata est Communio sub utraque specie, et Communio quotidiana. Olim enim fideles Pastoribus submissiores, ab illis fideliter et humiliter hauriebant Scripturæ sensum sine perversarum translationum periculo : nunc vero hæreticorum exemplo exorta est libido dissentiendi à Pastoribus; et experimento manifestum est, ex promiscuâ Scripturæ Sacræ lectione, homines effici tumidiores, inquietiores, et universè magis sciolos.

Pro eo quod ex SS. Patribus objicitur, observa, quòd dum rem quamdam suo tempore congruam et utilem inculcare volebant, aliquando usi sint verbis, quibus non utilitas modò, sed et absoluta necessitas primâ fronte indicaretur : quòd autem non censuerint lectionem Scripturæ Sacræ esse omnibus necessariam, satis aliunde colligitur : et ita ipsemet S. Chrysostomus Hom. 21. in Genesim dicit, non omnibus scrutandas esse Scripturas; et S. Hieronymus scribens ad Paulinum conqueritur, quòd universi Scripturam Sacram legere et interpretari præsumant.

N. 65. QUÆSTIONES QUÆDAM DE SCRIPTURA SACRA.

I. *Aliqui libri sacri perierunt.* II. *Autographa non ampliùs extant.* III. *Authoritas nostræ vulgatæ.* IV. *Regulæ pro intelligentia Script. S.*

AN aliqui libri sacri perierunt?

I. R. Affirmativè : patet ex ipsis Bibliis, in quibus varii libri citantur nobis incogniti, ut sunt visio Addo videntis, 2°. Paralip. tria millia Parabolarum Salomonis 3. Reg. cap. 4. &c.

An adhuc extant autographa, seu primævi et originales Scripturæ Sacræ codices?

II. R. Negativè : neque hoc est necessarium. cum ejusdem authoritatis et utilitatis sint apographa seu transumpta ab

Ecclesia approbata, sine cujus approbatione ne ipsi quidei originales codices, illam quoad nos authoritatem haberei juxta illud S. Aug. "Evangelio non crederem, nisi me E "clesiæ moveret authoritas."

Inter varias Scripturæ Sacræ editiones tres sunt solen nes: una est è textu Hebraïco, quo libri veteris Testamen originaliter sunt conscripti: secunda est Græca translatio se versio 72. interpretum trecentis ferè annis ante Christui facta: tertia est versio vulgata latina, quæ partim consta ex translatione facta à S. Hieronymo, partim ex version antiqua, dicta à S. Aug. Itala, quam à mendis S. Hierony mus expurgavit.

Quanta est authoritas vulgatæ editionis latinæ?

III. R. Summa est et infallibilis: quia decreto Con Trid. Sess. 4. recepta est et approbata, ac declarata authen tica; ac adeò quòd sit certa et infallibilis fidei nostræ re gula, quòd in ea nihil contineatur fidei aut moribus adve sum, nec ulla sententia falsa vel erronea.

Cum eo tamen consistit, ait Bukentop et alii, vulgatan nostram non ita omnibus numeris esse absolutam, quii aliqua in ea potuissent significantiùs exprimi, quædam cla riùs transferri, quædam latiniùs verti, quædam rectio ordine collocari: utiliter proinde ad textum Hebraïcum ve Græcum (licet etiam hi mendis suis non careant) quandoqu recurri nemo inficiatur: attento maximè, quòd Patres Tri dentini vulgatam non contulerint cum ipsis Hebraïcis au Græcis codicibus, sed tantùm cum aliis versionibus latinis inter quas illam tanquam authenticam habendam esse, de claravêre: ita testatur Andreas Vega, Theologus in Conc Trid. testem appellans Marcellum Cardinalem Sanctæ Cru cis, Legatum Pauli III. in eodem Conc. idem Alphonsu Salmaron, qui etiam Tridentino interfuit, testatur.

IV. Tandem contra hæreticos, et ad Sacræ Scriptura intelligentiam, observa sequentia.

1°. Scriptura Sacra nobis authentica non est, nisi pe traditionem et doctrinam Ecclesiæ.

2°. Scriptura Sacra eo sensu accipienda est, quo ea accipit Ecclesia.

3°. Legitimus Scripturæ sensus nobis per traditione innotescit.

4°. Ex hac regula sequitur, quòd verus Scripturæ sensu à SS. Patrum doctrina sit mutuandus: quapropter observ decretum Conc. Trid. Sess. 4. quo statuit, ut nemo S. Scrip turam contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mate

Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat, signanter in rebus fidei, vel morum.

5°. Scriptura Sacra in obvio et proprio verborum sensu est intelligenda, nisi aliquid obstet in contrarium, quo alius legitimus Scripturæ S. sensus ostendatur.

Denique per clariora Scripturæ loca alia minùs clara debent elucidari. Contra quod peccant hæretici, quibus familiare est arripere loca quædam obscura, ad quæ omnia etiam clarissima detorquent.

N. 66. DE TRADITIONIBUS SECUNDUM SE EARUMQUE DIVISIONIBUS.

I. *Traditio generatim sumpta.* II. *Dividitur.* III. *In traditionem Divinam.* IV. *Apostolicam.* V. *Et Ecclesiasticam.* VI. *In dogmaticam.* VII. *Ritualem.* VIII. *Et moralem.* IX. *In perpetuam et temporalem.* X. *In universalem et particularem.* XI. *Traditionum authoritas.* XII. *Traditio divina est regula Fidei.*

QUID est traditio?

I. R. Generatim sumpta nihil est aliud, quàm doctrina non scripta : non quasi nullibi reperiretur scripta : sed quòd non sit scripta à suo authore, nec ab eo dictata, ut scriberetur.

Traditio itaque prout theologicè sumitur, definiri potest : Doctrina ad Religionem pertinens, quæ à suo authore vivà voce communicatur, et ad posteros transmittitur, sive postea ab aliquo scripta sit, sive non.

Quomodo dividitur Traditio?

II. R. 1°. Ratione originis seu authoris sui in traditionem Divinam, Apostolicam, et Ecclesiasticam.

2°. Ratione materiæ in traditionem dogmaticam, ritualem, et moralem.

3°. Ratione durationis in perpetuam et temporalem.

4°. Ratione loci in universalem et particularem.

Quæ Traditio dicitur Divina?

III. R. Est verbum Dei non scriptum, sive est veritas divinitùs Ecclesiæ revelata, et à majoribus ad posteros transfusa sine scripto authoris canonici : Exempla traditionis Divinæ sunt, esse septem Sacramenta nec plura nec pauciora, esse quatuor Evangelia ; Deiparam semper mansisse Virginem, infantes esee baptizandos, et varia quæ spectant ad Sacramentorum materias et formas.

IV. Traditio Apostolica est illa, quæ ab Apostolis, ut Ecclesiæ Pastoribus, est instituta: qualis est observatio diei Dominicæ, jejunium quadragesimale, et plures Missæ, Sacramentorumque ritus.

V. Traditio Ecclesiastica dicitur, quæ post Apostolorum tempora, ab Ecclesiæ Prælatis vel populo Christiano est introducta: ut sunt observatio Festorum, abstinentia ab ovis et lacticiniis certis diebus, &c.

Observa tamen, quòd hæc vocabula Traditio Divina, Apostolica, Ecclesiastica, quandoque ita confundantur, ut aliquid dicatur esse Traditionis Apostolicæ vel Ecclesiasticæ, quod est Traditionis Divinæ, et contrà.

Quænam Traditio dicitur dogmatica?

VI. R. Est illa, quæ versatur circa fidei dogmata, ut est hæc, quâ probatur existentia Scripturæ S., eam esse Verbum Dei, &c.

VII. Ritualis est circa ritus sacros: qualis est doctrina cæremoniarum, quæ servantur in Sacrificio Missæ, administratione Sacramentorum, &c.

VIII. Moralis pertinet ad mores: ut quòd certis diebus servanda sint jejunia, celebrandum Festum Paschæ, &c.

IX. Traditio perpetua est, quæ instituitur, ut semper servetur, quales sunt Traditiones Divinæ: temporalis est, quæ instituitur ad certum tempus, ut erat initio Ecclesiæ abstinentia à sanguine et suffocato.

X. Traditio universalis est, quæ toti Ecclesiæ proponitur observanda, ut observatio diei Dominicæ: particularis est, quæ pro una aut pluribus particularibus Ecclesiis est instituta: sic tempore sancti Augustini jejunium Sabbati observabatur Romæ, non Mediolani.

Quanta est Traditionum authoritas?

XI. R. Traditio Divina æqualem habet authoritatem cum Scriptura Sacra; utraque enim est verè Verbum Dei: hæc solummodo est differentia, quòd circa Scripturam Sacram propositio Ecclesiæ sit nobis magis manifestata, ex quo librorum Canonicorum Catalogum fixit, et editionem certam, ut authenticam approbavit: Traditionum autem Divinarum Catalogum non texuit Ecclesia, sed pro occasione nunc hanc, nunc illam proponit.

Traditio Apostolica eandem habet authoritatem, quam habent decreta institutionis Apostolicæ.

Traditio Ecclesiastica ejusdem est authoritatis ac Leges et Constitutiones Ecclesiasticæ: et proinde Pontifex tam Apostolicam quàm Ecclesiasticam potest immutare.

An et quæ Traditio est regula fidei?

XII. R. Traditio merè Apostolica vel Ecclesiastica non est regula fidei: quia neutra est divinitùs revelata, sed Traditio divina vere est regula fidei, cùm sit Verbum Dei, non minùs quàm Scriptura Sacra: hanc traditionem, cùm potissimùm hæretici impugnent, præcipuè stabiliemus.

N. 67. DE EXISTENTIA ET NECESSITATE TRADITIONUM.

I. *Existentia Traditionis divinæ.* II. *Probatur.* III. *Ex ipsa hæreticorum doctrina.* IV. *Et ex traditionis necessitate.*

AN præter Scripturam Sacram admitttendæ sunt Traditiones Divinæ?

I. R. Negant Hæretici nostri hoc præcipuè fundamento, quòd veritates omnes fidei in Scriptura Sacra contineantur: contra hunc errorem Fides Catholica docet, admittendas esse etiam in Nova Lege Traditiones Divinas, prout definivit Conc. Trid. Sess. 4.

II. Probatur earumdem existentia et necessitas 1°. Ex Epist. 2. ad Thess. cap. 2. V. 14. ubi dicit Apostolus: "Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, "sive per Epistolam," id est, sive verbo sive scripto.

Huc etiam spectat, quod scribit Apost. in 2. ad Timoth. cap. 1. V. 13. "Formam habe sanorum verborum, quæ "à me audisti." Et cap. 3. V. 14. "permane in iis, quæ "didicisti, et credita sunt tibi, sciens à quo didiceris." Item ad traditionem remittit Deus Deuter. cap. 32. V. 7. "Interroga Patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, "et dicent tibi." Deinde non omnia, quæ Christus docuit, scripta esse, dicit S. Joan. cap. 21. plurima etiam, quæ per 40 dies post Resurrectionem Apostolos docuit, per traditionem ad nos pervenerunt. Accedit unanimis SS. Patrum sensus.

III. Probatur 2°. hæretici nostri multa se credere asserunt, quæ nullibi in Scriptura reperiuntur, v. g. virginitatem Divæ Virginis etiam post partum, quatuor esse Evangelia, valere Baptismum parvulis collatum, &c.

IV. Probatur 3°. ex traditionum necessitate; etenim sine traditione divina cognosci non potest, quinam libri sint Scriptura Sacra, cur potiùs sit recipiendum Evangelium Matthæi quàm Bartholomæi, quisnam sit sensus Scripturæ, cùm non sit aliud remedium ea discernendi saltem ordinarium; licèt extraordinariè v. g. per miraculum Deus illa

manifestare possit: sed tunc miraculum vices traditioni suppleret.

Hinc observa, majorem esse necessitatem traditioni divinæ, quàm Scripturæ Sacræ, cùm hæc sine illa cognosci non possit.

Objiciunt hæretici: 1°. potest una traditio divina cognosci sine alia: ergo sine traditione divina potest cognosci Scriptura Sacra.

Probatur conseq. sicuti traditio est Verbum Dei traditum, sic Scriptura est Verbum Dei scriptum; atqui potest Verbum Dei traditum cognosci sine alia traditione divina: ergo etiam sic cognosci potest Verbum Dei scriptum. A pari.

R. Neg. conseq. et paritatem: disparitas est, quòd traditio divina sit testis vivus, adeoque manifestet seipsam; scriptura sit testis mortuus, quæ proinde seipsam non manifestat.

Pro quo observandum, traditionem divinam considerari secundùm suam originem: origo autem traditionis divinæ, ex eo est, quòd Deus veritatem aliquam revelaverit Ecclesiæ per modum locutionis; locutio autem manifestat seipsam non enim opus est, ut, quando quis loquitur, ulteriùs dicat se loqui; et sic Ecclesia nobis potest proponere unam traditionem divinam sine alia ulteriori; verùm Scripturam Sacram Ecclesia accipit, non per modum vivæ vocis et locutionis, sed per modum instrumenti scripti ab hagiographo qui etiam ignorare poterat, se scribere Verbum Dei: hinc Ecclesia non potuisset scire, Scripturam illam esse à Deo dictatam, nisi Deus ulteriùs per aliam revelationem manifestasset, Scripturam hanc esse à Deo dictatam; et illa ulterior revelatio vocatur traditio divina.

Instabis: atqui Ecclesia sine traditione potest definire quænam sit Scriptura S. Probatur subsumptum: Ecclesia est infallibilis: ergo, &c.

R. Neg. subsumptum: Ecclesia quidem in fidei morumque definitionibus infallibilis est; sed ut definiat, non cæco modo procedere, sed sufficiens suæ definitionis habere debet fundamentum: jam autem aliud sufficiens fundamentum quo Scripturam Sacram à non Sacra discernat, Eccle[sia] non habet, quàm divinam traditionem: ergo, &c.

Obj. II. Etsi aliquæ traditiones divinæ extiterint, il[læ] tamen non potuerunt hucusque puræ et integræ servar[i]. Probatur antec. quia quod de aure in aurem transit, faci[lè] alteratur ac deperditur; atqui traditio de aure in aure[m] transit: ergo, &c.

R. Distinguendo assump. probationis: quod de aure in aurem transit, facilè alteratur, si nullæ sint causæ ad illius conservationem adjuvantes, conc. assump. si sint tales causæ, nego assump. causæ autem istæ sunt divina providentia, quæ Ecclesiam regit et gubernat, veterum scripta, continuus fidelium usus: accedit, quòd singulis ferè ætatibus oriantur novæ hæreses, quibus Deus mirabiliter utitur ad conservandam Ecclesiæ doctrinam contra eas: semper etiam à Deo suscitantur viri docti, qui doctrinam Ecclesiæ, traditionesque antiquas investigant et posteritati commendant.

N. 68. DE PRÆCIPUIS TRADITIONUM REGULIS.

I. *Regulæ dignoscendi traditiones.*

SUNTNE aliquæ speciales regulæ ad cognoscendas traditiones?

I. R. Affirmativè, solentque assignari sequentes:

Prima: Si universa Ecclesia aliquid tanquam fidei vel morum dogma amplectitur, aliquid usu comprobavit, quod nemo potuit instituere nisi solus Deus, nec in Scripturis invenitur, traditionem esse divinam oportet: ita v. g. cognoscimus validum esse Baptisma parvulorum, Confirmationem et Ordinem non posse iterari, &c.

Secunda: si quæ veritas, non contenta in Scripturis, recepta sit in Ecclesia, et ei contraria doctrina tanquam hæretica damnata, divina traditio est: talis est perpetua Deiparæ Virginitas.

Tertia: quod unanimis SS. Patrum et Doctorum consensus testatur, Ecclesiam ab Apostolis accepisse, ab iis certò traditum est.

Quarta: "Quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis "nec alibi institutum esse reperitur, sed semper retentum "est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum esse, cer"tissimè creditur:" ait S. Augustinus lib. 4. contra Donatistas.

Observandum, ait Sylvius, ex tertia et quarta regula quidem haberi, quòd aliquid sit traditum ab Apostolis, sed non an traditio sit purè Apostolica, prout contra divinam distinguitur; tunc verò noscetur esse talis, si res ab humana potestate potuerit constitui, ut est v. g. jejunium quadragesimale.

Quinta: "Quod Ecclesia Romana tenet tanquam tradi"tionem, pro tali habendum est" ait S. Hieronymus lib. 3. cap. 3.

Sexta: pro traditione habendum, quidquid Ecclesiæ Catholica pro tali habet vel declarat.

N. 69. DE JUDICES CONTROVERSIARUM FIDEI.

I. *Præter regulam fidei inanimatam opus est animatâ.*

AN præter Scripturam Sacram et Traditionem Divinam alia fidei regula est admittenda?

I. R. Affirmativè: quia dum controversia oritur, quæ sit Scriptura Sacra aut Traditio: item quis sit earum sensus, controversiam hanc ipsa Scriptura aut Traditio dirimere non potest, adeoque opus est aliâ regulâ, nimirum animatâ, quæ controversias dirimat; nam omnis legislator, qui quamdam fundat societatem, post se relinquere debet, qui ejus authoritatem repræsentent ad legum authentiam, sensum, &c. stabilienda: quò ergo leges à captu hominum sunt remotiores (ut in Religionis credendis Mysteriis, morumque regulis) tantò magis necessaria est Vicaria legislatoris authoritas; quæ certè in materia religionis non qualiscumque, sed infallibilis sit oportet, ne omnia dubia et incerta maneant, sicque Religio ipsa inutilis evadat.

Nec obstat, Ecclesiam non esse supra Scripturam et Traditionem Divinam; nam Ecclesia de illis non judicat "Judicio potestatis," sive eas immutandó aut judicando, an verum vel falsum sit, quod Scriptura Sacra aut Traditio Divina docet; sed judicat de illis solùm "Judicio discre-"tionis," discernendo et declarando, quænam sit Scriptura Sacra aut Traditio Divina, quisnam sit earum sensus.

Aliud est de Traditionibus meré Apostolicis et Ecclesiasticis, in quas Ecclesia etiam judicium potestatis exercet, id est, cum potestate eas mutandi.

Observa, quòd, licet præter Scripturam S. et Traditiones admittenda sit regula animata, rectè tamen dicatur, fidem nostram solâ Scripturâ S. et Traditione Divinâ niti: quia nil Fide Divinâ creditur, nisi in Scriptura Sacra et Traditione Divina contineatur.

Quisnam est Judex controversiarum fidei et morum?

R. Ecclesia sive dispersa, sive congregata in Conc. Generali, et Ecclesiæ Caput Summ. Pont. ut constabit ex infra dicendis.

Lutherani et Calvinistæ judicem statuunt Scripturam Sacram vel solam, vel privato cujusque Spiritu intellectam: hæretici Angli hoc judicium Judicibus sæcularibus competere volunt.

APPENDIX

AD

TRACTATUM

DE FIDE.

N. 70. DE ECCLESIA.

I. *Ecclesia generatim sumpta.* II. *Dividitur.* III. *In triumphantem, patientem et militantem.* IV. *Militans vel est veteris Testamenti vel novi.*

QUID est Ecclesia?

I. R. Ecclesia generatim accepta pro omni statu, loco et tempore, definiri potest: "Congregatio fidelium in vero "Dei cultu adunatorum sub Christo capite;" quæ definitio comprehendit etiam fideles non tantùm eos, qui pertinebant ad Synagogam, sed etiam alios fideles extra Synagogam, ut Job, Melchisedech, item Beatos, etiam Angelos, et animas in Purgatorio detentas.

Quomodo dividitur Ecclesia sic generatim sumpta?

II. R. Dividitur in tria membra, nimirum in Ecclesiam triumphantem, patientem et militantem.

III. Ecclesia triumphans complectitur omnes in cœlo Beatos, tam Angelos, quàm homines: Ecclesia patiens est cœtus animarum in Purgatorio detentarum: militans est cœtus fidelium viatorum, seu in terra adhuc peregrinantium.

IV. Ecclesia militans subdividi potest in Ecclesiam V. T. ab Adamo scilicet usque ad Christum, quæ tum Judæos, tum Gentiles, veram fidem profitentes, comprehendebat, et in Ecclesiam N. T. de qua præcipuè in sequentibus.

Quid est Ecclesia novi Testamenti?

R. Ex Canisio definitur. "Omnium Christi fidem atc "Doctrinam profitentium Congregatio, quæ sub uno "summo post Christum Capite et Pastore in terris gub "natur."

N. 71. DE IIS, QUI SUNT IN ECCLESIA.

I. *Non baptizati non sunt in Ecclesia.* II. *Nec Catechumeni.* III. *Nec qui putantur baptizati.* IV. *Nec hæretici vel apostatæ manifesti.* V. *Nec manifesti schismatici.* VI. *Nec excommunicati.*

AN non baptizati sunt in Ecclesia?

I. R. Negativè: quia Baptismus est janua, per quam ingredimur in Ecclesiam, ut docet Trid. Sess. 14. cap. 2. unde etiam Actor. cap. 2. illi, qui baptizabantur, dicebantur "apponi," utique ad Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia: ergo ante non erant de Ecclesia.

An equidem Catechumeni dici non possunt esse de Ecclesia?

II. R. Negativè, propter eandem rationem, quòd necdum ingressi sint per Baptismum.

Obj. Juxta Conc. Lateran. IV. extra Ecclesiam nemo potest salvari; atqui Catechumenus potest salvari per contritionem perfectam: ergo est in Ecclesia.

R. Distinguendo consequens: ergo est in Ecclesia realiter, neg. conseq. ergo est in Ecclesia voto et desiderio, concedo totum: sufficit autem, quòd Catechumenus voto vel desiderio (quod in contritione perfecta involvitur) sit in Ecclesia, ut salvetur: proinde verba Concilii Lateranensis intelligi debent de iis, qui nec re nec voto sunt in Ecclesia.

An saltem illi non sunt in Ecclesia, qui putantur baptizati, et ita communicant in Sacramentorum participatione, et fidei confessione, quamvis à parte rei baptizati non sint?

III. R. Wiggers cum quibusdam affirmat; sed Bellarminus, Steyaert, Daelman, Danes, &c. negant, propter rationes jam dictas; tales interim, etsi non re, voto tamen sunt de Ecclesia, sicque possunt salvari.

An omnes baptizati sunt in Ecclesia?

IV. R. Negativè: et imprimis hæretici et apostatæ manifesti non sunt de Ecclesia: quia non profitentur eandem Fidem et Doctrinam cum iis, qui sunt in Ecclesia, quod tamen in definitione Ecclesiæ exprimitur.

Obj. Ecclesia judicat et punit hæreticos: atqui non judicat eos, qui foris sunt juxta Apost. 1. ad Cor. cap. 5. ergo sunt in Ecclesia.

R. Neg. cons. quamvis enim hæretici sint extra Ecclesiam; manent tamen ratione Baptismi Ecclesiæ subjecti: unde meritò illos sumit tanquam transfugas ex Ecclesiæ castris, adeoque redeundi obligationem habent: Apost.

verò agit de illis, qui nunquam intrârunt Ecclesiam, sive qui baptizati non sunt.

V. Similiter Schismatici manifesti in Ecclesia non sunt; nam ipsi se separârunt ab unitate Ecclesiæ: unde Ecclesia in Parasceve, sicuti orat pro hæreticis, ut ad Ecclesiam redeant, ita orat pro Schismaticis.

Utrùm hæretici occulti sint de Ecclesia? idem est de apostatis occultis?

R. Est dissensio inter Authores: si sint hæretici occulti "merè interni," videtur dicendum tales esse in Ecclesia; quia nec Ecclesia eos separavit, nec illi se separârunt ab unione visibili Ecclesiæ: unde dici potest, quòd adhuc sint membra Ecclesiæ, non quidem viva, sed mortua et arida, sicuti brachium aridum adhuc dicitur membrum corporis.

VI. Si verò sint hæretici occulti "externi," tunc non videntur esse in Ecclesia: quia sunt ipso facto excommunicati, seu ab Ecclesia rescissi.

Daelman tamen verisimile existimat, quòd excommunicati non vitandi, licèt interioribus influentiis et Communione Sanctorum priventur, sint in Ecclesia, non de jure, sed de facto, idque ex indulgentia Ecclesiæ: unde nec jurisdictione privantur, ut dictum est Num. 56. juxta Daelman; itaque probabile est, quòd soli illi excommunicati sint extra Ecclesiam, qui per sententiam particularem sunt nominatim denuntiati tales.

Ex dictis colligitur, quòd extra Ecclesiam sint quicumque vel non intrârunt in Ecclesiam, vel quos Ecclesia à se rejecit, vel qui se ultro ab Ecclesia separârunt.

N. 72. AN OMNES ET SOLI PRÆDESTINATI SINT IN ECCLESIA?

I. *Non omnes prædestinati.* II. *Nec soli prædestinati sunt in Ecclesia.* III. *In Ecclesia sunt boni et mali.* IV. *Quinam sint membra Ecclesiæ.*

RESP. Nec omnes, nec soli prædestinati sunt in Ecclesia: est contra Wiclef et Joan. Hus: partim etiam contra Lutherum et Calvinum, quorum prior solos justos, alter solos justos prædestinatos docuit esse in Ecclesia.

I. Probatur prior pars conclusionis: Sunt multi prædestinati, qui non nisi post plures ætatis annos baptizantur, et Ecclesiam ingrediuntur, qui proinde ante erant extra Ecclesiam, ut manifestum est in S. Paulo, qui indubiè Ecclesiam persequens erat extra illam, et tamen erat prædestinatus.

Obj. Christus Joan. cap. 10. tales vocat oves suas: erg sunt in Ecclesia.

R. Neg. conseq. vocat enim Christus eos oves suas secun dùm prædestinationem, quâ cognoscuntur aliquando i Ecclesia futuri; non verò secundùm præsentem statum cùm expressè adjungat: "Quæ non sunt ex hoc ovili, e "illas oportet me adducere."

II. Probatur secunda pars: in Ecclesiam intratur pe Fidem et Fidei Sacramentum, quod est Baptismus; atqu non soli prædestinati recipiunt Fidem et Baptismum, u patet in Juda proditore aliisque, qui circa fidem naufragium fecerunt.

Probatur ulteriùs ex variis parabolis Scripturæ Sacræ; si Matth. cap. 13. Ecclesia comparatur areæ habenti triticum et paleas comburendas igne inextinguibili.

Matth. cap. 13. comparatur sagenæ missæ in mare et e omni genere piscium congreganti, quorum boni in vasa mali autem foras mittuntur.

Matth. cap. 25. comparatur decem Virginibus, inter qua sunt quinque prudentes et quinque fatuæ; fatuæ autem a ingressu nuptiarum excluduntur.

Tandem si soli prædestinati essent in Ecclesia, non posse certò cognosci Christi Ecclesia, neque Pastor oves sua cognoscere, neque oves Pastorem, cùm sciri non possit quinam sint prædestinati.

Obj. Arca Noë fuit figura Ecclesiæ; atqui in ea fuerun soli salvandi ab aquis diluvii: ergo in Ecclesia sunt sol prædestinati.

R. Similitudines non in omnibus conveniunt, alioqui sequeretur, omnem baptizatum esse prædestinatum, cùm 1 Petr. cap. 3. Arca Noë comparetur Baptismo: Similitud ergo Arcæ cum Ecclesia in eo est, quòd, sicuti in Arc fuerunt animalia munda et immunda, ita in Ecclesia sin boni et mali, prædestinati et reprobi, et sicut nemo ab aqui diluvii salvari potuit extra Arcam Noë, ita nemo salvar potest extra Ecclesiam.

Obj. II. Canticorum cap. 4. Ecclesia dicitur "Hortu "conclusus:" ergo soli electi sunt in ea.

R. Neg. conseq. nam rectè Ecclesia dicitur "Hortu "conclusus," tum quia Dei et Angelorum custodiâ munitur tum quia inexpugnabilis est, adversùs quam portæ infer non prævalebunt: cum quo consistit, quòd in ea etiam sin reprobi, sicuti in horto concluso etiam sunt herbæ inu tiles.

Instabis : S. August. vocat Ecclesiam hortum conclusum propter electos lib. 5. "de Baptismo" cap. 27. ergo, &c.

R. Ecclesiam posse sic vocari ratione electorum; sed Ecclesia tunc non consideratur secundùm totum corpus, sed secundùm partem principaliorem: notum enim est, quòd de eodem corpore varia dici possint secundùm diversas considerationes.

An peccatores etiam manifesti sunt in Ecclesia?

III. R. Illos non esse in Ecclesia, docuerunt olim Novatiani et Donatistæ, item Pelagiani, qui solos perfectos Ecclesiæ adscribebant: hos errores secutus est Lutherus, ut constat ex supra dictis, et novissimè Quesnellus in damnatis propositionibus à 72. ad 78. Quòd autem peccatores etiam manifesti, (modò non sint ex iis, de quibus Num. præced.) sint in Ecclesia, probatur ex citatis supra comparationibus, de area, sagena, &c. Item ex Matth. cap. 18. ubi jubet Christus, ut peccatores, qui privatæ correptioni non attenderint, deferantur ad Ecclesiam, quam si non audierint, ex ea dejiciantur: supponit ergo Christus, tales esse in Ecclesia. Liquet etiam ex 1. ad Cor. cap. 5. in Ecclesiam Corinthiorum fuisse incestuosum, quem Apostolus ob criminis enormitatem ab Ecclesia abscindi jussit.

Obj. 1. Isaïæ cap. 35. V. 8. dicitur de Ecclesia: "Non "transibit per eam pollutus ;" V. 9. "Non erit ibi leo "et mala bestia non ascendet per eam :" ergo mali non sunt in Ecclesia.

R. 1°. Juxta S. Aug. indicatur status Ecclesiæ triumphantis ; 2°. cum Sylvio : illa non dicuntur de Ecclesia, sed de via ipsius Ecclesiæ, seu quâ itur ad Ecclesiam, et per quam illi, qui sunt in Ecclesia progredi debent: via autem illa vel est Christus, vel salutaris doctrina fidei et morum, quam præbet Ecclesia. Per hanc viam non ambulant polluti et immundi ; ex hoc enim immundi sunt, quòd isti viæ seu doctrinæ fidei et morum non inhæreant.

Obj. II. De Ecclesia dicitur Canticor. cap. 4. V. 7. "Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te :" item ad Ephes. cap. 5. V. 27. "Ut exhiberet ipse sibi "gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, "aut aliquid hujusmodi."

R. 1°. Uterque locus rectè exponi potest de Ecclesia triumphante.

2°. Si intelligatur de Ecclesia militante, potest Ecclesia dici sine macula et sine ruga ratione partis principalis seu animæ Ecclesiæ, quæ in Fide, Spe, Charitate cæterisque

virtutibus consistit; item ratione sanctitatis doctrinæ, fidei et morum.

Obj. III. Mali spectant ad regnum diaboli: ergo non ad Ecclesiam, quæ est regnum Christi.

R. Neg. conseq. nam mali ad utrumque regnum pertinere possunt sub diversis considerationibus.

IV. Ex dictis colliges, quinam sint membra Ecclesiæ militantis, videlicet omnes verè baptizati, fidem Catholicam exteriùs profitentes et Sacramentis Ecclesiæ communicantes, cum debita subjectione erga legitimos Ecclesiæ Pastores, præsertim Romanum Pontificem.

Observa, quòd hæreticorum doctrina, quâ asserunt Ecclesiam constare ex solis prædestinatis, vel solis justis, eò tendat, ut constituant Ecclesiam invisibilem: unde sit

N. 73. DE ECCLESIÆ VISIBILITATE.

I. *Ecclesia est visibilis.* II. *Visibilis est etiam per. sensus corporales.* III. *Idque ob suas notas.*

AN Ecclesia est visibilis?

I. R. Affirmativè; probatur ex Matth. cap. 5. V. 14, ubi de Ecclesia dicitur: "Non potest civitas abscondi "supra montem posita;" adeoque Ecclesia non tantùm est visibilis, sed evidenter conspicua, ut civitas supra montem posita, prout S. Aug. lib. 2. contra Cresconium cap. 36. dicit: "Extat Ecclesia cunctis clara atque conspicua, "quippe civitas, quæ abscondi non potest super montem "constituta."

Probatur 2°. ex Matth. cap. 18. ubi Christus jubet, ut fideles dicant Ecclesiæ, hoc est, Superioribus Ecclesiæ, dum fraterna correptio privata nihil prodest; et rursùs mandat ut, si frater correptus Ecclesiam non audierit, habeatur sicut Ethnicus et publicanus: jam autem non potest denuntiari Ecclesiæ, nec audire eam, si Ecclesia sit invisibilis: ergo, &c.

Probatur 3°. à ratione: Omnes venire debent ad Ecclesiam sub periculo æternæ damnationis: ergo debet posse videri seu agnosci.

Obj. I. Dicit Christus mulieri Samaritanæ Joan. cap. 4. V. 23. "Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores "adorabunt Patrem in Spiritu et veritate:" ergo, &c.

R. Negando conseq. nam illud "in Spiritu" non excludit cultum externum; sed cultui externo internum jungendum esse docet; unde opponitur cultui Judæorum et Samaritanorum, quorum plerique in solis externis hærebant; et illud

"in veritate" opponitur figuris veteris Legis, vel etiam cultui Samaritanorum, qui multis falsitatibus erat permixtus.

Obj. II. Lucæ cap 17. V. 20. dicit Christus: "Non "venit regnum Dei cum observatione:" ergo Ecclesia observari seu videri non potest.

R. Neg. conseq. nam ibi non agitur de Ecclesia, sed regnum Dei ponitur pro Messiæ adventu; unde sensus est: Messias non venit cum observatione, id est, cum pompa et regio appàratu, qualem expectabant Judæi.

Quomodo Ecclesia dicitur visibilis?

II. R. Ecclesia dicitur formaliter visibilis et cognoscibilis non solùm per fidem et intellectum, sed etíam per sensus corporales: quia Ecclesia non solùm est spiritualis ratione formæ interioris Fidei, Spei, Charitatis, &c. sed etiam est quoddam corpus materiale et sensibile, quia complectitur caput visibile, homines visibiles, externam fidei professionem, Sacramenta sensibilia, ordinem visibilis Hierarchiæ, &c.

Per quid sensibiliter videtur Ecclesia?

III. R. Per suas notas, quæ Ecclesiæ nostræ ita sunt propriæ, ut in nulla alia congregatione vel secta inveniantur: unde Ecclesia non solùm visibilis est fidelibus, sed etiam iis, qui fidem non habeant, ut Hæreticis, Judæis et Gentilibus.

N. 74. DE NOTIS ECCLESIÆ.

I. *Notæ Ecclesiæ.* II. *Sunt quatuor.*

QUID intelligitur per notam Ecclesiæ?

I. R. Quoddam signum et proprietas, per quam vera Ecclesia potest cognosci et discerni ab omnibus aliis cœtibus.

Quot sunt notæ Ecclesiæ?

II. R. Numerantur quatuor principales, expressè in Symbolo Constantinopolitano, nimirùm, quòd sit "Una, "Sancta, Catholica et Apostolica."

Has esse veræ Ecclesiæ notas, probant authoritas citati Symboli et Apostolorum ac Patrum consensus: has ratio suadet et Scriptura testatur.

Calvinus et Sectarii duas dumtaxat Ecclesiæ notas constituunt, nimirum, sinceram Verbi Dei prædicationem, et legitimum Sacramentorum usum.

Quæ duo, licèt in vera Christi Ecclesia reperiantur, ineptè tamen tanquam Ecclesiæ notæ statuuntur; nam notæ debent esse notiores re, quam notare debent: sed a

minus tam difficile est cognoscere, quænam sit sincera Verbi Dei prædicatio, quisnam legitimus Sacramentorum usus, quàm quæ vera sit Ecclesia.

Cæterùm, cùm quatuor præfatæ notæ soli conveniant Ecclesiæ Romano-Catholicæ, sequitur, eam esse solam Christi Ecclesiam: quod ut clariùs pateat, singulas expendemus.

N. 75. DE NOTA ECCLESIÆ, QUA DICITUR UNA.

I. *Ecclesia est Una.* II. *Unitate capitis,* III. *Unitate Fidei et doctrinæ,* IV. *Unitate animorum.*

PROBA, quòd unitas sit nota veræ Ecclesiæ.

I. R. Probatur ex variis Scripturæ Sacræ textibus, in quibus unitas attribuitur Ecclesiæ: ita dicitur Joan. cap. 10. V. 16. "Unum ovile et unus Pastor," et Joan. cap. 17. V. 21. Christus unitatem suis ovibus postulavit: "Ut "omnes unum sint;" item Apost. Epist. 1. ad Cor. c. 10. V. 17. dicit: "Unum corpus multi sùmus;" et ad Eph. cap. 4. V. 4. et 5. "Unum Corpus...una Fides, unum "Baptisma."

Hanc unitatem omnes retro Patres agnoverunt, atque ex ea hæreticos et schismaticos confutârunt, inter quos Sanctus Cyprianus librum de unitate Ecclesiæ conscripsit.

In quo consistit unitas Ecclesiæ?

R. In unitate capitis, in unitate fidei ac doctrinæ, in consensione animorum, in communione eorumdem Sacramentorum, aliorumque ad communionem Sanctorum pertinentium.

II. Unitas capitis invenitur in Ecclesia Romano-Catholica; quia in ea non est nisi unum sub Christo caput visibile, Pontifex Romanus, cui omnes Episc. et fideles subordinantur, et tanquam centro unitatis adunantur, et qui jurisdictionem ac regimen visibile exercet in totam Ecclesiam.

Hæc Ecclesiæ unitas manifestè in nulla secta reperitur, ne in ipsis quidem Græcis, qui diversis Patriarchis parent.

III. Unitas fidei et doctrinæ pariter elucet in Ecclesia Romano-Catholica, in qua omnes fideles, licèt per totum orbem dispersi, eadem credunt fidei dogmata, neque in ullis Ecclesiæ definitionibus fidem concernentibus probari potest repugnantia: verùm in hæreticis et schismaticis nulla est fidei concordia; sed tot sunt sensus, quot capita; tot fides, quot voluntates.

Dices: in Ecclesia Romana est etiam diversitas doctrinæ: quia doctrinæ Thomistarum, Scotistarum et Molinistarum, in multis invicem opponuntur: ergo, &c.

R. Neg. conseq. nam uti dictum est, unitas fidei et doctrinæ in eo est, quòd Catholici credant eadem fidei dogmatas: cui non obest, quòd sint diversæ opiniones scholæ, quas, salvâ fide, Ecclesia defendi permittit ad veritatis elucidationem, et exercitium scholarum, quæ paratæ sunt uni judici Romano Pontifici et Ecclesiæ opiniones suas submittere: at hæretici in rebus ad fidem pertinentibus dissentiunt, nec judicem, cui se submittant, agnoscunt.

IV. Est etiam in Ecclesia consensus seu unio animorum, per modum coadunationis ovium ejusdem ovilis, et per modum membrorum ejusdem corporis. Idem de communione Sacramentorum et communione Sanctorum facilè patet.

N. 76. DE NOTA ECCLESIÆ, QUA DICITUR SANCTA.

I. *Ecclesia est Sancta.* II. *Sanctitate capitis, membrorum, &c.*

I. SANCTITATEM esse Ecclesiæ notam, probatur ad Eph. cap. 5. V. 25. et 26. "Christus dilexit Ecclesiam, et se "ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret:" hinc fideles vocantur à S. Petro Epist. 1. cap. 2. V. 9. "Genus elec"tum, gens sancta." Accedit Symbolum Apostolorum, in quo dicitur: "Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam."

Quid importat nota Ecclesiæ "Sanctitas?"

II. R. Non tantùm importat Christum caput et auctorem Ecclesiæ esse sanctum, sed etiam sanctitatem hominum in Ecclesia existentium, sanctitatem Doctrinæ, Sacramentorum, Sacrificii, Legum, &c. miraculis confirmatam: quæ sanctitas iterum non nisi in Ecclesia nostra reperitur, quæ semper habuit homines Sanctitate conspicuos, quos ipsimet Protestantium antesignani ut sanctos agnoverunt, ut videre est in historia variationum Illustrissimi Bosuetii lib. 3. Num. 50.

Obj. I. Sanctitas latet in anima; ergo non pertinet ad notas Ecclesiæ, quæ debent esse visibiles.

R. Sanctitas non ita latet, quin se prodat exteriùs, atque visibilis secundùm suos effectus, sicuti mens in homine est invisibilis, et tamen se manifestat per opera: et quamvis sanctitas unius in particulari non ita certò cognoscitur, sanctitatem tamen Ecclesiæ videmus in communitate, cum cernimus alios austeram vitam agentes, alios officiis

pietatis se totos dedentes, &c. Adde, quòd Deus sæp per miracula sanctitatem particularium declaret, quod extr Ecclesiam nunquam fit.

Obj. II. In Ecclesia plures sunt mali quàm boni; erg non rectè vocatur Sancta.

R. Neg. conseq. nam Ecclesia non dicitur Sancta, qua omnes in ea existentes Sancti forent, sed quia omnes vocati one et professione Sancti sunt, quia multi in ea Sancti sunt qui sunt potior pars, et extra eam Sancti esse non possunt Deinde quòd in Ecclesia mali sint, non oritur ex doctrin et principiis, quæ Ecclesia proponit, sed illis adversatur; quòd autem hæretici sint mali, hoc ex doctrina et principii eorum profluit: nam Protestantium doctrina est, opera bon non esse ad salutem necessaria, solam fidem sufficere ad salu tem, leges humanas non obligare in conscientia, &c.

N. 77. DE NOTA ECCLESIÆ, QUA DICITUR *CATHOLICA.*

I. *Ecclesia est Catholica.*

QUID significatur per notam Ecclesiæ, quâ dicitu "Catholica?"

I. R. Significatur, quòd sit toto orbe diffusa, sive uni versalis loco, populo et tempore, juxta illud Apoc. cap. 5 V. 9. "Redemisti nos...ex omni tribu, et lingua, et populo "et natione;" est autem universalis à loco et populo quia per omnia loca et gentes est diffusa: est universalis tempore: quia à quo tempore cœpit Ecclesia nov. Test semper duratura est sinè ulla intermissione usque ad finem mundi.

Talem autem fore Ecclesiam, prædictum est Ps. 2. V. 8 "Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, e "possessionem tuam terminos terræ;" et Malach. c. 1. V 11. "Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum e "nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur e "offertur nomini meo oblatio munda;" et Matth. cap ultimo: "Euntes docete omnes gentes;" et Actor. cap. 1 "Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, e "Samaria, et usque ad ultimum terræ."

Hanc notam esse Ecclesiæ nostræ propriam, patet: qui in omni loco et omni natione reperiuntur Catholici, qu omnes, quantumvis dissiti, sub Romani Pontificis obedienti coadunantur: etiam omni tempore fuerunt et erunt Catho lici: ubi omnes aliæ sectæ in aliqua mundi parte concl

lantur, et tempus originis ipsarum facilè monstratur, quam ae nomine plerumque etiam produnt, dum alii dicuntur Lutherani, alii Calvinistæ, &c. à suis respectivè authoribus et inventoribus.

Textum S. Augustini huc pertinentem vide circa finem, Num. 18.

Obj. I. Religio Mahometana magis diffusa est quàm Christiana: ergo, &c.

R. Licét admitteretur, quòd Mahometana religio plus terræ occupet, quàm Romano-Catholica: quia equidem solo Imperio Ottomannico concluditur, nec in aliis mundi partibus invenitur, nequit dici universalis in omni loco et in omni populo. Deinde qui tantopere diffusam Mahometis religionem prædicant, eam considerant cum omnibus suis sectis: unde et contra eos ita considerare licet Religionem Christianorum: si autem Religio Christiana spectetur cum omnibus sectis, hæreticis et schismaticis, numerus eorum, qui Christiano nomine gloriantur, excedit numerum Judæorum, Mahometanorum et Idololatrarum simul.

Obj. II. Judæi sunt per totum orbem diffusi: ergo, &c.

R. Verum est, quòd Judæi ferè sint ubique, sed nationis suæ dispersione, non fidei propagatione: unde ubique miseri et contempti vindictam sanguinis Filii Dei circumferunt. Deinde ipsorum religio nec debebat in omni loco spargi, nec ab omni natione suscipi ut Religio Christiana.

N. 78. DE NOTA ECCLESIÆ, QUA DICITUR *APOSTOLICA*.

I. *Ecclesia est Apostolica.* II. *Ratione doctrinæ,* III. *Propagationis,* IV. *Successionis,* V. *Et constantis adhæsionis.*

QUARTA nota est, quòd vera Ecclesia sit Apostolica, de qua utique Christus dicit Matth. cap. 16. V. 18. "Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;" et Matth. cap. 28. V. ult. "Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:" item Apost. ad Ephes. cap. 2. V. 20. "Superædificati super fundamentum Apostolorum;" et cap. 4. V. 11. "Dedit quosdam quidem Apostolos...Pastores et Doctores;" ibid. V. 12. "Ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi."

Quâ ratione Ecclesia dicitur Apostolica?

II. R. Ratione Doctrinæ ab Apostolis acceptæ, quam eandem semper retinuit et retinebit Ecclesia nostra, sic ut ab Apostolorum tempore usque nunc ostendi non possit, qua in re, quando, ubi et à quo aliquid circa Doctrinam sit immutatum.

III. 2°. Dicitur Apostolica: quia ab Apostolis propagata fuit.

IV. 3°. Apostolica dicitur: quia habet successionem legitimam et non interruptam Episcoporum præsertim in ipsa Sede Petri, de qua S. August. dicit: "Tenet me in "Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves "suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episco-"patum successio Sacerdotum."

V. 4°. Vocatur Apostolica: quia Cathedræ Petri, sive Sedi Romanæ à Petro fundatæ indivulsè adhæret: unde et Papistica ab adversariis appellatur glorioso sane improperio.

Ex nota Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ licebit contra hæreticos uti argumento Tertulliani libro "de "Præscriptionibus" cap. 37. eosque alloqui ejus verbis: "Qui estis vos? quando et unde venistis? mea est pos-"sessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines "firmas ab ipsis authoribus;" et cap. 32. "Edant ori-"gines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcopo-"rum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem "ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apos-"tolicis Viris habuerit authorem."

Ex dictis colliges, quòd novitas in Ecclesia sit odiosa et antiquitas venerabilis; ac proinde, quòd antiquitas Ecclesiæ non sit signum debilitatis vel defectûs, sed roboris, firmitatis ac perfectionis.

N. 79. DE DURATIONE ECCLESIÆ.

I. *Initium Ecclesiæ.* II. *Ecclesia nunquam deficere potest*

QUANDONAM incepit Ecclesia?

I. R. Ecclesia generalissimè accepta incepit à creation Angelorum, cùm in sua creatione acceperint fidem et gratiam, ut dictum est in Tract. "de Deo."

Ecclesia in terris militans, quæ fundamentum habet i Christo redemptore, incepit à primis parentibus Adam e Eva pœnitentibus.

Ecclesia novi Testamenti initium sumpsit Christo incipiente prædicare in terris, quando etiam varii, ut constat e

Joan. cap. 4. per Baptismum Christo adscripti sunt.

An Ecclesia aliquando defecit, vel deficere potest?

II. R. Ecclesia nunquam defecit, nec deficere potest, sive generatim loquendo de Ecclesia Christi, sive peculiariter de Ecclesia militante novi Testamenti: quia ex quo cœpit Ecclesia, nunquam defuerunt, qui veram fidem haberent, eamque profiterentur, Deum tam externo quàm interno cultu prosequentes: et quod attinet ad indefectibilitatem Ecclesiæ nov. Test. hæc apertissimè promissa est à Christo Domino Matth. cap. 16. V. 18. "Portæ inferi "non prævalebunt adversùs eam;" et cap. 28. V. 20. "Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con-"summationem sæculi."

Obj. I. Tempore Moysis defecit Ecclesia V. T. quando Aaron et omnis populus ad idololatriam deflexerunt adorando vitulum aureum. Exodi c. 32.

R. Negando antec. imprimis Aaron tunc necdum erat Pontifex, neque omnis populus defecit; nam Moyses, qui erat caput populi, Josue et Levitæ ab idololatria fuerunt immunes: deinde Ecclesia tunc non constituebatur ex solis Judæis, sed etiam ex Gentilibus verum Deum colentibus.

Obj. II. Tempore Eliæ 3. Reg. cap. 19. videtur defecisse Ecclesia; dicit enim Elias V. 10. "Dereliquerunt "pactum tuum filii Israël...Derelictus sum ego solus:" ergo, &c.

R. Neg. conseq. nam Elias non loquitur de toto populo Israëlitico, sed tantùm de illa parte, quæ suberat Regi Samariæ: deinde nec illam populi partem defecisse patet ex eo, quòd Deus responderit V. 18. superesse 7 millia virorum Israël, quorum genua non erant incurvata ante Baal.

Obj. III. In passione Christi tota natio Judæorum à Christo defecit, et eodem tempore Apostoli fidem amiserunt: ergo, &c.

R. Quamvis Synagoga graviter erraverit, negando Christum, propterea non defecit Ecclesia, tum quia extra Synagogam erant, qui spectabant ad Christum, tum quia multi Judæi erant per orbem dispersi, qui nondum de adventu Messiæ sic erant instructi, ut culpa illis esset non credere Messiam advenisse; multi etiam erant in Judæa versantes, qui non consenserant Concilio et actibus Sacerdotum.

Ad secundum respondetur, Apostolos non amisisse fidem licèt in fide fuerint tardiores circa Christi resurrectione eò quòd non intelligerent verum sensum verborum Chi

juxta illud Lucæ cap. 18. V. 34. "Et ipsi nihil horum "intellexerunt."

Obj. IV. Tempore Anti-Christi deficiet Ecclesia: dicit enim Christus Lucæ cap. 18. V. 8: "Filius hominis veniens, "putas, inveniet fidem in terra?" ergo in fine mundi erit defectio generalis.

R. Neg. antec. nam Christus solùm significat, paucos futuros fideles tempore Anti-Christi, sic tamen, ut semper remansuri sint tam multi, ut Ecclesiam visibilem constituant, cùm Anti-Christus illam sit persecuturus.

N. 80. DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

I. *Ecclesia est infallibilis,* II. *Infallibilitate activâ,* III. *Et passivâ.*

AN Ecclesia est infallibilis?

I. R. Ecclesiam in rebus fidei et morum nullatenus errare posse, de fide est. Probatur ex locis Matth. Num. præc. relatis.

Observa contra hæreticos nostros, eos quidem admittere Ecclesiam esse indefectibilem; sed tum recurrunt ad invisibilem: verùm Ecclesiam esse visibilem, jam ante N. 73. demonstratum est; deinde 1. ad Tim. c. 3. V. 15. dicit Apostolus: "Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei "conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et fir- "mamentum veritatis;" ibi manifestè sermo est de Ecclesia visibili; non enim instruitur Timotheus, quomodo deberet conversari in Ecclesia, quam non videbat, sed quam videbat: jam autem illa Ecclesia est columna et firmamentum veritatis: ergo Ecclesia visibilis est indefectibilis.

Porro duplex considerari potest in Ecclesia infallibilitas: una activa et authoritativa, quæ dicitur infallibilitas in docendo et definiendo; altera passiva sive obedientialis, quæ dicitur infallibilitas in discendo et credendo.

II. Infallibilitas priori modo considerata competit Ecclesiæ ratione Capitis seu Summi Pontificis et Prælatorum Ecclesiæ, licèt hæc infallibilitas non competat ratione Laïcorum vel inferiorum Pastorum; sicut enim homo dicitur videre, etsi visus non competat ipsi ratione omnium membrorum, sed tantùm ratione oculorum: ita Ecclesia dicitur hoc modo infallibilis, licèt hæc infallibilitas tantùm ipsi competat ratione Prælatorum.

III. Si verò Ecclesia spectetur non ratione Capitis, sed ut complectitur fideles omnes etiam laïcos, sub obedientia Summi Pontificis; sic non debet propriè dici infallibilis in

docendo et definiendo, quia eatenus munus ejus non est docere, sed discere et credere: quapropter Ecclesia vel hoc modo considerata dicitur infallibilis "passivè" sive in discendo, credendo, practicando, &c.

Proinde fieri non potest, ut universa Ecclesia Pontifici obediens credat aliquid tanquam revelatum, vel aliquid practicet tanquam bonum, quod tale non est: unde dici solet, quòd sensus universalis Ecclesiæ sit semper verus, et praxis, sive usus semper bonus.

N. 81. DE AUTHORITATE ECCLESIÆ.

I. *Ecclesia est infallibilis controversiarum Fidei Judex, sive congregata, sive dispersa.* II. *Ecclesia judicat per suos Prælatos.* III. *Ad hoc sufficit, quòd major pars Episcoporum consentiat Papæ.*

AN Ecclesia est Judex controversiarum fidei?

I. R. Ecclesia sive congregata sive dispersa est controversiarum Fidei Judex infallibilis; patet ex Num. 69. et 80. Probatur ulteriùs: si falsum docere possent omnes simul sparsi per orbem Ecclesiæ Pastores, falsum quoque admittere et credere teneretur sparsus ubique populus Christianus; adeoque Pastorum omnium error esset error totius Ecclesiæ, et ita evanesceret hæc ipsius infallibilitas etiam passiva, quam vel ipsi adversarii agnoscunt.

Probatur etiam ex Ecclesiæ praxi, quæ, licèt dispersa, nullas hæreses damnavit sinè Conciliis, ut testatur Eusebius, ac docet S. Aug. lib. 4. ad Bonifacium cap. ultimo: "Quasi, inquit, nulla hæresis aliquando sinè Synodi "Congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inveni-"antur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; "multòque sint et incomparabiliter plures, quæ, ubi exti-"terunt, illic improbari, damnarique meruerunt."

Quibusnam authoritas judicii de fide controversiis in Ecclesia competit?

II. R. Ecclesiæ Prælatis, nimirùm Episcopis, et præ omnibus Summo Pontifici.

Hos intelligit Christus Matth. cap. 18. V. 17. "Dic "Ecclesiæ, si Ecclesiam autem non audierit," &c. Luc. cap. 10. V. 16. "Qui vos audit, me audit, et qui vos "spernit, me spernit;" his dicit Paulus Actor. cap. 20. V. 28. "Attendite vobis et universo gregi, in quo vos "Spiritus S. Episcopos posuit regere Ecclesiam Dei."

An hoc judicium in rebus fidei etiam non spectat ad Doctores Theologos, aliosve Ecclesiasticos?

R. Negativè; unde in Conc. generalibus votum decisivum non habent, sed in iis dumtaxat admittuntur ad examen materiarum et consultationem: multò igitur minùs Laïci in rebus fidei judices sunt.

Ex his observa, regimen Ecclesiæ quidem esse monarchicum ratione Capitis Summi Pontificis, sed simul Aristocratiâ temperatum: et quia simul ministrorum Ecclesiæ inter se est subordinatio, hinc etiam est hierarchicum.

Ex dictis patet, vanum esse Quesnellistarum effugium dicentium Bullam "Unigenitus" non esse acceptatam ab Episcopis uno in loco congregatis.

Item vanam esse eorumdem appellationem ad Concilium generale, cùm Ecclesia dispersa æque infallibilis sit ac in Concilio generali congregata, idemque sit Tribunal: unde ne quidem appellatio illa legitima est secundùm principia Gallorum, sustinentium Pontificem esse fallibilem, et Concilio generali inferiorem: quia à judicio infallibili quale est Ecclesiæ dispersæ, non datur appellatio.

An ad inconcussam et infallibilem definitionis authoritatem necessarium est, ut omnes planè totius orbis Episcopi sint unius et ejusdem sententiæ?

III. R. Negativè; sed sufficit unanimitas moralis Episcoporum, seu major eorum pars suo Capiti Summo Pontifici consentientium.

Probatur: communis et recepta est omnium Tribunalium lex, ut ex pluralitate suffragiorum sententia pronuncietur; atqui hìc habetur pluralitas suffragiorum cum suo Capite Romano Pontifice consentientium: ergo si ex his sententia definitiva pronuncietur hæc est sententia legitima Tribunalis totius Ecclesiæ.

Confirmatur: alioquin Ecclesia deficeret, et redderetur invisibilis; nesciretur enim, cui parti adhærendum esset: utrique autem parti adhærere non possemus, cum inter illas unitas Ecclesiæ non subsisteret, neque sciretur, quænam Ecclesia tunc foret columna et firmamentum veritatis.

Denique ille minor numerus Episcoporum suo Capiti dissentientium Ecclesiam constituere vel repræsentare non potest.

Hinc sequitur, quòd, ut universa Ecclesia censeatur acceptare aliquam Bullam Pontificiam, sufficiat, quòd maxima et præcipua pars illam acceptet: nullatenùs verò (ut Quesnellistæ volunt) necesse sit, ut omnes universi orbis Episcopi eam acceptent, ut Ecclesia censeatur, doctrinam ali-

quam tanquam Catholicam acceptare vel proponere, vel contrariam tanquam hæreticam condemnare.

Demonstratur: aliàs Ecclesia non posset hæresim condemnare, ubi aliquid Episcopi eâ forent infecti, ita v. g. impia dogmata Arii, Macedonii, Pelagii, &c. ab Ecclesia damnari non potuissent; quia illa à multis Episcopis defensa fuerunt; atqui tamen definitiones Ecclesiæ adversùs dictos hæreticos firmæ et inconcussæ manserunt, nec non ut tales habentur à Quesnellistis: ergo minimè obset condemnationi Quesnellistarum, quòd in Gallia aliqui Episcopi Bullæ "Unigenitus" refragati fuerint.

N. 82. QUALIS ESSE DEBEAT CONSENSUS EPISCOPORUM.

I. *Infallibilis est acceptatio sive ex consensu expresso sive tacito.* II. *Objectiones.* III. *Infallibilitas Ecclesiæ non pendet ab examine, motivis, &c.*

AN ad infallibilem latæ decisionis authoritatem seu universalis Ecclesiæ definitionem requiritur consensus expressus Episcoporum?

I. R. Negativè, sed sufficit consensus tacitus, in silentio et non reclamatione positus post definitionem latam, quæ sufficienter ad Episcoporum notitiam pervenit, nam tacere in hoc casu est consentire; error quippe, cui non resistitur, inquit Felix III. approbatur, et veritas, cùm non defendatur, opprimitur, et S. August. Epist. 109. dicit: Ecclesia Dei ea, quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat nec tacet.

Probatur 2°. ex sensu et praxi Ecclesiæ; nam multæ hæreses à solo Pontifice damnatæ fuerunt absque consensu expresso Episcoporum, quarum tamen damnatio habita est tanquam infallibilis Ecclesiæ definitio, ac ideo dissentientes habiti tanquam hæretici: sic v. g. damnatio errorum Joviniani, facta à Syricio Papa, item Bullæ Pii V. et Gregorii XIII. contra errores Bajanos habentur tanquam infallibilis regula sentiendi et loquendi, quamvis pauci Episcopi expresso et publico instrumento illas receperint.

Observa, independenter à quæstione de infallibilitate Pontificis certum esse, quòd, dum Summus Pontifex aliquid definit, et Episcoporum pluralitas non reclamat, fieri non possit definitionem illam errorem continere; et consequenter non suffragari Quesnellianis, etiamsi Bulla "Unigenitus" expresso Episcoporum consensu non fuisset acceptata:

quamquam interim nulla Bulla Pontificia tam expressè et solemniter quàm hæc fuerit acceptata in Ecclesia.

Dices: multæ Authorum opiniones circumferuntur, contra quas Episcopi non reclamant; atqui tamen non censentur illis assentiri vel easdem probare: ergo, &c.

R. Neg. conseq. disparitas est, quòd doctrina unius vel aliquorum Authorum non tradatur ut definitio, sed ut opinio: quæ etiam ab Episcopis quandoque ignoratur, nec fideles communiter in errorem inducere potest: aliud est de Constitutione Summi Pontificis ad fidem vel mores pertinente et ad omnes fideles tanquam norma et regula ad observandum directâ.

Obj. II. Variæ possunt esse rationes silentii Episcoporum, v. g. metus incurrendæ indignationis Romanæ, metus Tribunalis Inquisitionis, vel etiam opinio de Pontificis infallibilitate, &c. ergo silentium ipsorum non potest haberi pro consensu.

R. Quidquid sit de his vel similibus motivis silentii, negatur consequentia; nam hoc semper firmum est, Spiritum veritatis nunquam permissurum ut aliquem in fide vel moribus errorem Ecclesia quomodocumque approbet, ne Ecclesiæ taliter tacenti portæ inferi prævaleant.

III. Quapropter observa, quòd infallibilitas Ecclesiæ non dependeat à quæstionis examine, motivis dandi consensum, vel similibus; quia infallibilitas absolutè Ecclesiæ data est: non quasi Ecclesia cæco modo procedere posset in suis definitionibus, sed, dum Ecclesia definit, etiam prærequisita fuisse adhibita, tenendum est. Deinde alioquin omnes Ecclesiæ definitiones in dubium revocari possent.

Cæterum, quòd Quesnelliani dicant aut suspicentur Episcopos ex sinistris motivis, Bullam "Unigenitus" acceptasse, falsæ criminationes sunt, quas habent communes cum omnibus iis, qui causâ ceciderunt: ex quibus advertere est eorum animum calumniæ et temeritatis contra Ecclesiæ Prælatos, ac schismaticum, hæreticalemque eorum spiritum.

N. 83. DE CONSTITUTIONE *UNIGENITUS.*

I. *Bulla* Unigenitus *est regula Fidei.* II. *Quomodo dicatur regula Fidei.*

I. PRÆCLUSIS per jam dicta vanis Quesnellistarum effugiis, facilè colligitur, Constitutionem seu Bullam Clementis XI. cujus initium "Unigenitus Dei Filius," datam

die 8. Septem. anno, 1713. in qua damnantur centum et una propositiones desumptæ ex libro considerationum moralium Paschasii Quesnelli in nov. Testam. esse legem dogmaticam universalis Ecclesiæ, adeoque meritò vocari regulam fidei, eique dissentientes esse hæreticos.

Solemnissima Bullæ hujus ab universa Ecclesia acceptationem plures demonstrârunt: inter alios Cardinalis di Byssii in institutione Pastorali, item Illustriss. Dominus Languet, Episc. Suessionensis.

Obj. I. Ad validam Bullæ Dogmaticæ acceptationem requiritur uniformitas formalis, etiam quoad sensum; atqui fuit diversimodè acceptata ab Episcopis Italiæ, Galliæ, &c. ergo, &c.

R. Neg. minorem; quotquot enim Bullam acceptârunt Episcopi, inter se consenserunt quoad acceptationis substantiam; etenim unanimiter declarârunt, se in Bulla recognoscere doctrinam et traditionem Ecclesiæ, se illam cum reverentia acceptare, ac propositiones damnare cum eisdem qualificationibus, quibus a Summo Pontifice damnatæ sunt.

Obj. II. Regula fidei est regula certa, debetque proponere objectum determinatum; atqui Bulla "Unigenitus" nihil determinati proponit.

Probatur subsumptum: quia damnat in globo seu vago modo 101 propositiones respectivè ut falsas, erroneas, malè sonantes, hæreticas, &c. sic ut nulli propositioni applicetur determinata qualificatio; adeoque incertum relinquitur, quænam propositio sit erronea, quæ male sonans, &c.

R. Hoc certum et determinatum habetur, quòd singulæ propositiones aliquam saltem qualificationem ex assignatis mereantur, quòdque ex qualificationibus nulla sit, quin alicui propositioni competat: unde ex tali definitione habemus, omnes et singulas propositiones esse rejiciendas, cum ex ipsis aliquæ sint hæreticæ, aliquæ erroneæ, aliquæ malè sonantes, &c. Sic prudens et sufficiens foret hæc monitio patris data filio: ne frequentet tale consortium, quia ex illo aliqui sunt ebriosi, alii luxuriosi, alii detractores, &c. Si enim filius inquirat, quinam ex illis præcisè sint ebriosi, libidinosi, &c. meritò reponet pater: sufficiat tibi, quòd omnes sint mali et vitandi.

Nec usus talium censurarum quidquam habet novi: sic enim Concil. Constantiense damnavit propositiones Wiclef et Joan. Hus; hunc etiam censurandi modum adhibuerant Sixtus IV. contra Petrum de Osma, Leo X. contra Lutherum, Pius V. contra Bajum, Innocentius XI. contra

Molinos, et Innocentius XIII. contra librum, cui titulus: "Maximes des Saints."

Obj. III. Non potuerunt damnari propositiones ex S. Augustino, Leone, Prospero, &c. fideliter transumptæ; atqui tales multæ damnatur in Bulla "Unigenitus:" ergo, &c.

R. Neg. minorem: licèt enim similes quædam propositiones legantur in SS. PP. illæ ex antecedentibus et consequentibus restringuntur ad verum sensum: sed propositiones Quesnellianæ in obvio et Quesnelli sensu falsæ sunt, erroneæ et damnabiles; sic Calvinus dicit: "Totus meus "est Augustinus," ubi tamen hæc S. Augustini verba "crede et manducasti" in ore Augustini Catholica sunt, in ore Calvini hæretica.

Petes: an si Bulla "Unigenitus" sit regula fidei, et præter quinque fidei regulas N. 59. assignatas, numerari debeat sexta?

II. R. Bulla hæc tantùm dicitur regula fidei, sicque vocata est in Conc. Rom. sub Benedic. XIII. anno 1725. inquantùm continet Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, et Ecclesiæ dispersæ definitionem circa propositiones ad fidem et mores pertinentes, et ita non est regula distincta ab Ecclesia vel Pontifice: undé ipsæ propositiones non vocantur regula fidei vel morum; sed judicium Ecclesiæ docentis, ipsas omnes esse aliquâ censura dignas, est regula fidei, juxta quam fideles omnes sese dirigere debent et hinc qui pertinaciter defenderet aliquam propositionem, licèt tantùm malè sonantem, sustinens eam non esse ullo modo damnabilem, dici deberet hæreticus ex eo, quòd defendendo illam propositionem nullo modo esse damnabilem, neget infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis propositionibus malè sonantibus.

An prudenter quis dictam Bullam acceptat, qui eam non examinavit, neque librum Quesnelli legit?

R. Affirmativè, sicuti prudenter quis acceptat Concil. Tridentinum, et damnat hæreses ab eo damnatas, licèt illud nunquam legerit: quia sufficit ei scire Concilium esse verè Œcumenicum, adeoque infallibile: æquè autem facile unusquisque videre potest, Bullam hanc esse receptam ab universa Ecclesia dispersa, cui non minùs assistit Spiritus S. quàm congregatæ; est enim Spiritus Sanctus "omnibus "diebus" cum Ecclesia, quæ tamen non semper est congregata.

N. 84. DE AUTHORITATE ECCLESIÆ CIRCA QUÆSTIONES FACTI.

I. *Quæstio Juris et Facti.* II. *Factum triplex distinguitur.* III. *Sensus* quis *et* qualis. IV. *Ecclesia est infallibilis in sensu* qualis. V. *Probatur ex usu Ecclesiæ.* VI. *Ex illius authoritate circa sensum* qualis. VII. *Argumento ad hominem.* VIII. *Et ex inconvenientibus.* IX. *An hoc fide divinâ sit credendum.* X. *Conclusio.*

I. PRÆNOTANDUM 1°. aliam esse quæstionem juris, aliam facti: quæstio "Juris" seu Dogmatis ea est, quâ quæritur, qualis sit in se hæc vel illa Doctrina, an vera an falsa, Catholica an hæretica, &c. v. g. an Christus sit Patri consubstantialis. Quæstio "Facti" illa est, quâ quæritur, quænam sit Doctrina his propositionibus, vel libris vel authoribus expressa; v. g. an hæresis, quæ negat Verbum esse Patri consubstantiale, contineatur in scriptis Arii.

II. Prænotandum 2°. triplex distingui Factum: aliud enim est immediatè revelatum, v. g. Incarnatio Verbi. Aliud est factum merè historicum et personale, quod respicit rei gestæ veritatem, vel personæ alicujus statum, conditionem, internum animi sensum, crimen vel innocentiam. Aliud factum est dogmaticum, quod aliquod Fidei Dogma attribuit alicui libro vel personæ.

Ecclesiam in factis immediatè revelatis esse infallibilem, omnes agnoscunt.

Omnes admittunt, Ecclesiam errare posse in factis purè historicis et personalibus: unde infertur quòd dum quæritur, an judicium Ecclesiæ de propositionibus vel libris sit infallibile, quæstio non sit, an Ecclesia infallibiliter definiat, hunc librum esse hujus vel illius authoris, nam hoc facti genus supponit, non definit Ecclesia, quæ de libris judicat, prout sub nomine certi authoris circumferuntur.

Pariter quæstio non est, utrùm necesse sit credere, propositiones, quas Ecclesia in aliquo libro damnat, totidem syllabis in eo legi; non enim hoc est definitionis Ecclesiæ objectum; sed ipse propositionum vel libri sensus proprius, quatenùs ex verbis et toto libri contextu deprehendi potest.

Nec etiam quæstio est, an author, cujus error proscribitur, talem revera sensum in mente habuerit, qualem verba quæ se ferunt (quamquàm id meritò præsumi debeat) de

illa enim authoris mente, utpote occultâ et latente, Ecclesi non judicat, sed de ea, quæ verbis exprimitur.

Restat igitur inquirendum de Facto dogmatico, nemp quod includit Dogma, et illud alicui libro vel persona attribuit, ut dum dicitur: "Doctrina libri Jansenii quinqu "propositionibus expressa est hæretica;" Hæc propositi duo complectitur, scilicet 1°. "hæc doctrina est hæretica, quod ad "Jus" pertinet, et dicitur sensus "qualis;" et 2° "hæc doctrina est in libro Jansenii," quod ad "Factum spectat, et dicitur sensus "quis."

III. Itaque per sensum "quis" intelligitur sensus gram maticalis, naturalis et obvius propositionis vel libri: sensu autem "qualis" est qualitas sensûs "quis," nempe an si Catholicus, hæreticus, &c. His præmissis,

Quæritur: an Ecclesia habeat authoritatem Judicii infal libilis de sensu alicujus libri vel propositionis?

IV. R. Affirmativè, tam de sensu "quis," quàm d sensu "qualis."

Quantùm ad determinationem sensûs "qualis," seu a aliqua propositio sit Catholica, hæretica, &c. omnes, etian Jansenistæ, admittunt, Ecclesiam infallibilem; nam ut ben doceat et pascat, necesse est, ut doctrinam veram à fals discernere possit, ne proponendo verum ut falsum, aut con tra, fideles in errorem inducat.

Petitur autem: an eadem infallibilitas Ecclesiæ (iden esse de Pontifice postea ostendetur) competat circa sensun "quis," seu grammaticalem libri vel propositionis, hoc est an infallibiliter possit determinare, quid significetur pe propositionem vel librum, quem Hæreticum vel Catholicum &c. pronuntiat?

R. Negant Jansenistæ occasione formularis Alexandi VII. per quod sincero animo rejicere ac damnare jubentu sub juramento quinque propositiones ex Cornelii Janseni libro in sensu ab authore intento; admittunt scilicet, doc trinam in quinque propositionibus damnatam esse hæreticam sed eam falsò Jansenii libro attribui asserunt.

V. Verùm affirmativa responsio contra ipsos probatu in primis ex ipso formulari Alexandrii VII. cui conformi est constans Ecclesiæ usus, ut fusè ostendit Tournelly.

Sic v. g. in Concilio Ephesino dicunt Episcopi "Omne "Nestorii Epistolam et dogmata anathematizamus:" Con cilium ibidem comprehendit quæstionem Juris et Fact simul, id est, errorem damnat, non nudè et abstractè, se errorem Nestorii: ita etiam in Concilio Chalcedonensi acti the 8. Theodoretus à Patribus hæreticus appellatur, quò

non diceret anathema "Nestorio hæretico." Pariter Conc. Constantiense vult interrogari suspectos de fide, utrùm credant, libros et doctrinas Joan. Hus, Wiclef, et Hieronymi de Praga esse perversas et legitimè damnatas. Agitur ibidem de libris hæreticorum et eorum doctrina seu sensu, ideoque de sensu "quis."

VI. Probatur 2°. Ecclesia est infallibilis Judex sensûs 'qualis;" atqui rectè definiri nequit, qualis sit sensus propositionis, Catholicus an hæreticus, nisi priùs cognoscatur, quis sit ejusdem propositionis sensus.

VII. Probatur 3°. argumento ad hominem; admittunt Jansenistæ, quinque famosas propositiones rectè damnatas et hæreticas esse, ac Ecclesiam in illis damnandis esse infallibilem: atqui hoc est Factum dogmaticum, non secùs, quàm quòd textus libri Jansenii sit hæreticus; sicuti enim quæstio Facti est, an textus libri Jansenii contineat dogma hæreticum, sic quæstio Facti est, utrùm textus unius propositionis contineat idem vel simile dogma.

VIII. Probatur tandem ex inconvenientibus; sequeretur enim, quòd Ecclesia nunquam judicare potuerit certò et infallibiliter, quòd vulgata nostra sit conformis textui originali, si errare possit in sensu "quis:" sequeretur etiam, quòd nec de sensu Patrum, ac adeo nec de traditione, Ecclesia potuerit quidquam certò statuere.

Obj. I. Juxta prænotata Ecclesia falli potest in quæstionibus Facti personalis; atqui scire, quis sit sensus ab authore intentus, est quæstio Facti personalis: ergo, &c.

R. Disting. minorem: scire quis sit sensus in mente authoris delitescens, est quæstio Facti personalis, conc. minorem: Scire, quis sit sensus libri verbis expressus, neg. minorem: inauditum enim est apud Theologos et Jurisperitos, quòd quærere, quis sit sensus alicujus pacti, legis &c. sit quæstio meri facti: dicendum itaque juxta antedicta, quòd sit quæstio Facti dogmatici seu doctrinalis. Dum autem Alexander VII. dixit, quinque Jansenii propositiones esse damnatas in sensu ab authore intento, non loquitur de sensu in mente authoris latente, sed de sensu obvio, quem propositiones præ se ferunt, ut dicit Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii de die 6. Februarii anni 1694.

Obj. II. Non potest Ecclesia infallibiliter cognoscere, nisi quæ sunt divinitùs revelata; atqui sensus "quis" alicujus propositionis vel libri non est semper revelatus: ergo, &c.

R. Neg. majorem: Falsum namque est, Ecclesiam tantùm infallibilem in revelatis; assistentia enim Spiritûs S.

semper adest Ecclesiæ in iis, quæ ad Religionem pertinei vel reducuntur; sic Ecclesia infallibiliter judicat de injui titia contractuum, aliisque ad fidem vel mores pertinentibu licèt de iis nulla facta specialis revelatio.

Obj. III. Non est necessarium Ecclesiæ ad servandui depositum fidei, ut damnet propositiones in sensu ab authoi intento, modo hæreses et falsa dogmata ab omnibus dan nentur: ergo, &c.

R. Neg. assumptum: nam ad efficaciorem hæresis extii pationem id quandoque est necessarium, prout necessariui erat in casu Jansenii; quia multi damnando propositi ones, librum ejus defendebant ut orthodoxum.* Multùi sanè interest Ecclesiæ, quòd non tantùm falsa dogmat sed etiam libros, qui eadem inducunt, discernere et proscri bere possit: dum enim liber defenditur, ex quo proposi tiones damnatæ desumptæ sunt, natum est fieri, ut con demnatio propositionum falsis interpretationibus eludatur.

Quæritur, utrùm Fide Divinâ credendum sit, Ecclesiam esse infallibilem in definiendo quis sit sensus alicujus libi vel propositionis?

IX. R. Quidam dicunt, illud esse de fide secundùm se sed non de fide obligante: quia Ecclesia id nullibi defini visse legitur. Alii dicunt, id esse de fide etiam obligante non quidem immediatè, sed mediatè, quatenùs hoc negato sequitur Ecclesiam fallibilem esse in regendo et instruendo deinde quia, licèt Ecclesia expressis verbis rem hanc noi definierit, facto tamen et usu constanti definivisse censend est, dum tanquam hæreticos habet, qui decretis ejus circ Facta dogmatica resistunt.

Hoc ad minus certum est, quòd, etsi non requireretu Fides Divina ad tantam authoritatem et mandatum Ecclesiæ negari saltem non possit fides humana et Ecclesiastica, sive assensus mentis omninò firmus.

X. Ex quo sequitur, non sufficere, quòd quis condemne doctrinam in quinque Jansenii propositionibus expressam, sed etiam oportere, ut sincero mentis assensu et cum jura- mento, prout Ecclesia præcipit, agnoscat doctrinam istam in libro Jansenii, cui titulus "Augustinus," contineri, ac sensum, quem author expressit, hæreticum esse.

N. 85. DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ IN CANONIZATIONE SANCTORUM.

I. *Canonizatio Sanctorum,* II. *Et Beatificatio.* III. *Differunt tripliciter.* IV. *Ecclesia est infallibilis in Canonizatione Sanctorum.* V. *Quid de Beatificatione.*

QUID est Canonizatio Sanctorum?

I. Resp. Juxta hodiernum usum est solemne Pontificis judicium, assentiente Ecclesiâ, de sanctitate et fruitione cœlestis Gloriæ hominis defuncti, cum ordinatione, ut ab omnibus pro tali habeatur et debito cultu honoretur.

II. Beatificatio verò est permissio cultûs alicujus hominis in communione Ecclesiæ Catholicæ defuncti, facta tantùm quibusdam particularibus locis, aut Ordini Regulari, usquequo ad solemnem ejus Canonizationem deveniatur.

III. Unde differt Beatificatio à Canonizatione, 1°. quòd in Beatificatione regulariter cultus tantùm permittatur; in Canonizatione, per sententiam definitivam præcipiendo, cultus decernatur.

2°. Quòd cultus in Beatificatione permissus inter loca particularia, vel religiosam familiam ordinariè coarctetur: cultus Canonizati ad universam Ecclesiam extendatur.

3°. Et præcipuè Canonizatio est Summi Pontificis sententia ultimò definitiva de Sanctitate, non sic Beatificatio.

Quia autem species quædam Facti est Sanctorum Canonizatio, quæritur, an in ea infallibilis sit Ecclesia vel Pontifex?

IV. R. Communiter Doctores affirmant cum S. Th. quodlibeto 9. quæst. 7. art. 16. quia hæc quæstio non est merè Facti, sed Facti dogmatici; spectat enim ad mores totius Ecclesiæ, quæ utique sinè remedio tota involveretur cultui superstitioso, dum pro sancto invocaretur, qui damnatis sociatur in inferno.

Obj. I. Sanctitas hominis dependet ab eo facto, utrùm in gratia mortuus fuerit; atqui hoc scire non potest Pontifex vel Ecclesia. Probatur subs. nemo citra divinam revelationem id scire potest de homine vivente: ergo, &c.

R. Neg. conseq. id enim judicatur ex variis signis et miraculis, præsertim post obitum canonizandi, intercessione ejus factis, accedente Spiritûs Sancti assistentiâ, quæ in re adeo gravi et universam Ecclesiam spectante Pontificem ab errore servat immunem.

Ad probationem dicendum; ad Ecclesiæ regimen non spectare, ut ferat testimonium de homine adhuc vivo, qui etiam à Sanctitate continuò excidere potest.

Obj. II. Ut aliquis prudenter colatur tanquam Sanctus videtur sufficere certitudo moralis: ergò in hoc puncto necessaria non est Ecclesiæ infallibilitas.

Probatur antec. Talis certitudo sufficit, ut quis Hostiam consecratam adoret.

R. Disparitas est, quòd cultus Latriæ in adoratione Hostiæ exhibitus terminetur ad Christum, qui quamvis revera sub tali Hostia defectu validæ Consecrationis non foret præsens, verum tamen est adorationis objectum, adeoque non erit error objecti, sed loci: in cultu verò personæ quæ sancta non foret, esset error objecti.

An Fide Divinâ credendum Canonizatum esse Sanctum?

R. Id non liquet. Sylvio in suis controversiis lib. 4. quæst 2. art. 15. variisque aliis videtur res illa non esse fide certa; addunt tamen nihilominus, firmiter id esse tenendum, adeo ut dicere Pontificem in Sanctorum Canonizatione posse errare, sit scandalosum, temerarium et hæresim sapiens. Ita etiam censet Benedictus XIV. lib. 1. "de Canonizatione Sanctorum" cap. 45. num. 28.

An Ecclesia vel Pontifex infallibilis est in Beatificatione?

V. R. Cum Benedicto XIV. lib. cit. cap. 42. quòd, cùm judicium Papæ in Beatificatione non sit ultimatè definiens nec præcipiens, sed tantùm indulgens atque permittens, necessario non debeat esse infallible, sed sufficiat, ut sit certum eâ morali certitudine, quâ Pontifex prudenter ac sapienter agit, indulget atque permittit.

Qui plura disederat, adeat eximium omnigen âque doctrinâ refertum opus Bened. XIV. quod inscribitur "de Canonizationc Sanctorum."

N. 86. DE CONCILIIS ECCLESIASTICIS.

I. *Concilium Ecclesiasticum,* II. *Dividitur,* III. *In Diæcesanum,* IV. *Provinciale,* V. *Nationale,* VI. *Et Generale.* VII. *Concilio Generali varii variè intersunt.* VIII. *De jure soli Episcopi suffragium habent decisivum.* IX. *Quidam alii ex privilegio.*

QUID intelligitur per Concilium Ecclesiasticum?

I. R. Cœtus Præsulum seu Rectorum Ecclesiasticorum, legitimâ authoritate congregatus ad hoc, ut collatis in unum senténtiis de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, id est, de

fide, moribus aut disciplina, definiatur, quid sentiendum sit, vel agendum.

Quomodo dividuntur Concilia Ecclesiastica?

II. R. Communiter dividuntur in quatuor genera, scilicet in Diœcesana, Provincialia, Nationalia et Generalia.

III. Concil. Diœcesanum est, quod celebrat Episcopus cum Clero suæ Diœcesis.

IV. Provinciale est, quod celebratur ab Episcopis alicujus Provinciæ Ecclesiasticæ, præsidente eorum Archi-Episcopo seu Metropolitano.

V. Nationale dicitur, ad quod convocantur Archi-Episcopi et Episcopi unius regni vel nationis, præsidente ejusdem nationis Patriarchâ vel Primate.

VI. Concilium generale est, ad quod totius orbis Episcopi convocantur, et cui præsidet ipse Papa per se, vel per suos Legatos; vocatur etiam Universale, Œcumenicum, et aliquando Plenarium.

Apud veteres Concilium nationale quandoque plenarium et universale vocatur: quia tale est quoad regnum et nationem, quamvis absolutè tale non sit.

An igitur ad Concilium generale requiritur, ut omnes omnino Episcopi congregentur?

R. Negativè, cùm id nunquam factum sit, nec fieri possit; semper enim aliqui Episcopi ob certas causas adesse non possunt; imò contigit quandoque numerosiorem fuisse cœtum Concilii nationalis quàm generalis: sic generali Concilio Constantinopolitano primo non plures interfuere quàm 150 Episcopi, ubi nationalis Carthaginensis Synodus, cui interfuit S. Augustinus, constitit 217. Episcopis.

Sufficit itaque legitimè ex omni Christiano orbe convocatum esse, sic ut ex omnibus Christianis Provinciis, vel ex majoribus aliqui conveniant, qui absentium Ecclesias repræsentent; sicque censetur universalis Ecclesia congregata repræsentativè.

Quinam vocari debent ad Concil. generale?

VII. R. Variis de causis varii interesse solent: alii tanquam Concilii Defensores, ut Imperatores et Principes: alii ut Consultores ad controversias discutiendas et examinandas, ut Doctores Theologi; alii ut Ministri intersunt, quales sunt Notarii et Custodes.

VIII. De jure soli Episcopi vocari debent, et intersunt ex jure divino ut Judices ordinarii, qui ideo soli de jure suffragium decisivum habent. Probatur ex eo, quòd Christus Ecclesiæ regimen ipsis crediderit, juxta illud Actorum cap. 20. V. 28. "Attendite vobis et universo greg

"in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ec-
"clesiam Dei."

Episcopi ergo in Conciliis sunt ut Judices, et non tantùm ut Consiliarii Papæ, atque ideo uti solent his verbis: "De-"finimus, statuimus," &c. et tanquam definientes Concilia subscribunt: hinc etiam definita in Conciliis vocari non solent Decreta Pontificis, sed Concilii.

Observa tamen, Summum Pontificem non teneri sequi in ferenda sententia majorem Episcoporum partem; quamvis enim Episcopi sint veri Judices, supremum tamen Judicium à Christo commissum est ejus in terris Vicario, eique demandatum, ut confirmet et dirigat fratres suos: sic nec Rex majorem partem Judicum sequi tenetur.

IX. Nota, quòd ex privilegio Cardinales non Episcopi, et Abbates quidam, nec non Regularium Ordinum Generales, intersint Conciliis tanquam Judices, votumque habeant decisivum.

Obj. I. Dicitur Actor. cap. 15. V. 6. "Convenerunt "Apostoli et Seniores videre de verbo hoc:" ergo etiam laïci vocandi sunt ad Concilium.

R. Neg. conseq. nam phrasi Scripturæ N. T. per vocem "Seniores" non intelligitur ætas, sed dignitas Ecclesiastica; itaque per "Seniores" loco objecto intelliguntur Sacerdotes, qui illo tempore simul erànt Episcopi: vel si mavis intelligere simplices Sacerdotes, hi vocari potuerunt ut Consultores, sicut et quidam Laïci probabiliter interfuerunt, qui audiebant, applaudebant, &c. ut colligitur ex eo, quod subjungitur V. 22. "Placuit Apostolis et Senioribus cum "omni Ecclesia."

Obj. II. Concilium generale repræsentat universam Ecclesiam: ergo ad illud convocari debent omnia membra.

R. Neg. conseq. quia Concilium generale repræsentat universam Ecclesiam docentem, quæ constat ex corpore Episcoporum; proinde ad Concilium generale ea multitudo Episcoporum convenire debet, quæ in morali æstimatione sufficit ad repræsentandam Episcoporum universitatem.

N. 87. CUJUS SIT CONVOCARE CONCILIUM GENERALE?

I. *Papæ est convocare Concilium generale,* II. *Continuare et dissolvere,* III. *Item approbare.*

QUÆSTIO non est de Conciliis Diœcesanis, Provincialibus, vel Nationalibus: quia illa respectivè ab Episcopo,

Archi-Episcopo, Primate vel Patriarcha convocanda esse, apud omnes in confesso est; sed quæstio est de Concilio generali cum hæreticis, qui jus illud convocandi Imperatori adscribunt.

I. Contra quos Catholici docent, jus illud ad Summum Pontificem pertinere: quia est totius Ecclesiæ Caput; et hinc dicit S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 10. in "Corp." "Ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinet nova "editio Symboli, sicut et omnia alia, quæ pertinent ad "totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem et "alia hujusmodi."

II. Prout Summi Pontificis est Concilium generale congregare, ita ejusdem est illud continuare vel dissolvere.

Obj. Priora Concilia generalia convocata fuerunt ab Imperatoribus Catholicis: ergo, &c.

R. Id factum est rogante, vel consentiente, vel saltem convocationem ratam habente Summo Pontifice. Deinde illa convocatio quandoque adscribitur Imperatoribus, quia congregatio fiebat eorum sumptibus, vel in ipsorum civitatibus.

Cujus est præsidere Conciliis generalibus?

R. Summi Pontificis vel per se, vel per suos Legatos: quia est summus Rector et Caput Ecclesiæ; deinde illius est præsidere, cujus est convocare, ut patet in Conciliis Diœcesanis, Nationalibus, &c. atqui Pontificis est convocare: ergo, &c. Accedit perpetuus usus ac praxis Conciliorum generalium.

Obj. Imperatores leguntur aliquando præsedisse Conciliis Orientalibus: ergo, &c.

R. Id accipi non debet de præsidentia authoritativa, sed honoraria. Primo ergo loco sederunt honoris causâ, non tanquam authoritatem in causas Synodi habentes, sed tanquam fautores et defensores, testesque eorum, quæ gerebantur: unde quando subscripserunt Conciliis, id non fecerunt tanquam definientes, sed ut consentientes, testes ac obedientes.

III. Pariter ad Summum Pontificem spectat approbare Concilia generalia tanquam talia, dum illis personaliter non adest; ita ut sine ejus approbatione authoritatem Concilii generalis non habeant: atque ideo tam solicitè Concilia generalia, ipsumque Tridentinum à Sede Apostolica confirmationem petiisse leguntur.

Si Pontifex præsideat per Legatos, tunc, si Legati habeant instructiones à Pontifice circa definiendas quæstiones easque ad amussim sequantur in definiendo cum Concilio

tunc ante Pontificis confirmationem Concilium istud firmu ac infallibile esse videtur: interim confirmatione tunc ea nùs adhuc opus est, ut constet de Concilii legitimitate de consensu ac approbatione Summi Pontificis; si ve Legati vel instructionem non habeant, vel eam non sequa tur, tunc quidquid definit Concilium, non est infallibi authoritatis ante Pontificiam confirmationem.

Hinc oritur alia divisio Conciliorum, quâ alia dicunt approbata, alia reprobata seu rejecta, alia partim approba partim rejecta, alia nec approbata nec reprobata.

N. 88. DE CONCILIIS GENERALIBUS APPROBATIS.

I. 18. *Concilia generalia approbata.* II. *Nicænum.* III. *Constantinopolitanum* I. IV. *Ephesinum.* V. *Chalcedonense.* VI. *Constantinopolitanum II.* VII. *Constantinopolitanum III.* VIII. *Nicænum secundum.* IX. *Constantinopolitanum IV.* X. *Lateranense I.* XI. *Lateranense II.* XII. *Lateranense III.* XIII. *Lateranense IV.* XIV. *Lugdunense I.* XV. *Lugdunense II.* XVI. *Viennense.* XVII. *Constantiense.* XVIII. *Florentinum.* XIX. *Lateranense V.* XX. *Tridentinum.*

QUÆ et quot sunt Concilia generalia?

I. R. Concilia generalia approbata à tempore Apostolorum numerantur 18.

II. Primum est Concilium Nicænum, celebratum anno 325. juxta Baronium, cui interfuerunt 318 Patres, in quo contra Arium ejusque sequaces, negantes Divinitatem Filii, definitum est, Filium in Divinis esse Patri consubstantialem: pariter definitum est contra Quarto-decimanos, Pascha celebrandum esse Dominicâ post lunam 14 mensis Martii.

III. Secundum est Constantinopolitanum I, anno 381, congregatum, cui interfuerunt 150 Episcopi. In eo Nicæna fides firmata fuit, Gregorius Nazianzenus Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus, partim præsedit, partim etiam Nectarius, Gregorii in Sede Constant. Successor, et hæresis Macedonii negantis Divinitatem Spiritûs Sancti damnata: unde Symbolo Nicæno addita sunt in hoc Concilio, quæ ad Divinitatem Spiritûs S. pertinent.

IV. Tertium est Ephesinum anno 431 habitum, in quo numerantur Episcopi plùs quàm 200, et damnatus est torius Episcopus Constantinopolitanus, asserens duas in

Christo Personas, divinam et humanam, et consequenter negans D. V. esse Matrem Dei.

V. Quartum est Chalcedonense 630. Episcoporum, et anno 451. collectum, in quo damnatus fuit Eutyches, docens, unam tantùm in Christo naturam, mixtam ex natura divina et humana.

VI. Quintum est Constantinopolitanum II. anno 553. à 255. Episcopis celebratum, in quo Nestoriana et Eutychiana hæreses iterum damnatæ sunt; cum tribus famosis capitulis, et errores Origenis rejecti.

VII. Sextum est Constantinopolitanum III, Episcoporum 299. inchoatum anno 680: in hoc damnata fuit hæresis Monothelitarum, unam tantùm in Christo voluntatem ac operationem profitentium, atque ita hæresim Eutychetis iterum instaurantium.

VIII. Septimum est Nicænum II. Episcoporum 350. anno 787. celebratum contra Iconomagos, seu Iconoclastas, id est Christi et Sanctorum imaginum impugnatores.

IX. Octavum est Constantinopolitanum IV, anno 869 habitum, ad quod convenerunt 383 Episcopi: in hoc imaginibus sacris suus honor et cultus redditus est, ac Photius, homo vaferrimus, et in Patriarchatum Constantinopolitanum intrusus, depositus est: cujus suasu et operâ Græci cœperunt oppugnare Primatum Summi Pontificis, et Latinos odio capitali prosequi, multa his crimini vertentes, ac præcipuè quòd docerent, Spiritum S. à Patre Filioque procedere, et Constantinopolitano Symbolo particulam "Filio-"que" addidissent: ac inde tetrum illud schisma Græcorum initium sumpsit.

Nulla Concilia generalia deinceps in Oriente sunt celebrata: cætera in Occidente celebrata sunt.

X. Nonum generale Concilium est Lateranense I, anno 1123. celebratum ad tollendum grave dissidium Pontifices inter et Imperatores circa jus "investituræ," quod concernebat institutiones Episcoporum, aliorumque Præsulum et Beneficiorum: hoc jus Imperatores sibi arrogabant: Pontifices verò id Ecclesiæ reservatum volebant; in eodem Concilio provisum fuit de ferendis suppetiis Terræ sanctæ et Hispaniæ contra Saracenos. Adfuerunt 300 et ampliùs Episcopi.

XI. Decimum est Lateranense II, anno 1139, habitum à 1000 circiter Episcopis, occasione schismatis Petri Leonis Anti-Papæ, item contra errores Petri de Bruès et Arnoldi de Brixia, atque ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam. Errârunt autem Petrus iste et Arnoldus

circa præsentiam realem Christi in Eucharistia, docuerunt que Templa et Cruces destruendas, defunctos non juvari precibus.

XII. Undecimum est Lateranense III. anno 1179 per 300 Episcopos celebratum contra Schismaticos, ordinatos à Victore IV. Anti-Papa, item contra Waldenses, docentes, non esse obediendum Summo Pontifici, illicitum esse juramentum, omnes esse Sacerdotes, fures occidi non posse, &c.

XIII. Duodecimum est Lateranense IV, celebratum anno 1215. contra Abbatem Joachim, Almaricum et Albigenses, errores Manichæorum renovantes. Adfuerunt Episcopi 412. Abbates et Priores ultra 800. absentium Procuratores plurimi et plurimorum Principum Legati, quapropter vocari solet magnum Concilium Lateranense.

XIV. Decimum tertium est Lugdunense I, Episcoporum 140, anno 1245, congregatum contra Fredericum Imperatorem tyrannicè imperantem, qui et depositus fuit: varia etiam circa morum reformationem constituta sunt.

XV. Decimum quartum est Lugdunense II. anno 1274, habitum pro recuperatione Terræ Sanctæ, et ut Græci ad fidem communionemque Ecclesiæ Romanæ revocarentur: inita est pax à Latinis cum Græcis; sed ab his non diu servata.

XVI. Decimum quintum est Viennesse in Gallia, anno 1311, Episcoporum circiter 300, contra errores Beguardorum, et Beguinarum, ac Fratricellorum, docentium hominem in hac vita posse pertingere ad summam perfectionem, ita ut fiat impeccabilis et ampliùs proficere non possit; ideoque tunc nec orare nec jejunare debeat, nec ullis legibus ampliùs subjiciatur. In eo etiam definitnm est, quòd anima rationalis seu intellectiva sit forma corporis humani per se et essentialiter: item ordo Templariorum extinctus fuit.

XVII. Secutum est Conc. Constantiense anno 1414. ad abolendum schisma, quod jamdiu Ecclesiam turbaverat, pluribus se pro Pontifice gerentibus: item contra errores Wiclef et Joannis Hus, docentium omnia fato evenire, Ecclesiam constare ex solis prædestinatis, nullum esse Dominum, Prælatum, aut Episcopum dum est in peccato mortali, &c. Galli hoc Concilium inter Œcumenica recensent, verùm alii illud tantùm admittunt, quoad ultimas sessiones, et quoad illa, quæ approbavit Martinus V. gesta contra errores Wiclef et aliorum.

XVIII. Decimum sextum est Florentinum, inchoatum Ferrariæ anno 1438, sed ob pestem translatum Florentiam, ibique anno 1439 absolutum: in eo Græci convenerunt cum Latinis de processione Spiritûs Sancti à Patre et Filio, de Purgatorio, de Primatu Romani Pontificis in universum orbem, de Eucharistia, quòd azymo æquè ac fermentato pane conficiatur, et de variis ritibus. Reconciliatam Græcorum cum Latinis pacem (sed quæ diu non stetit) subsecuta est Armenorum cum Ecclesia Romana unio, quia ab Eugenio IV. receperunt literas unionis compendio continentes doctrinam Catholicam.

XIX. Decimum septimum est Lateranense V. 114 Episcoporum, inchoatum anno 1512. adversùs Conciliabulum Pisanum, et ad mores reformandos: in eo definitum est, animam rationalem esse immortalem.

XX. Decimum octavum est Tridentinum, inchoatum 13. Decembris anno 1545. propter contagionem, urbem Tridentinam affligentem, Bononiam translatum, deinde Tridentum reductum, propter ingruentia bella iterùm interruptum, demum die 4. Decembris anno 1563. absolutum fuit: subscripsêre Patres 255. celebratum fuit hoc Concilium, præsertim contra Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque hæreticorum errores tunc grassantes.

N. 89. DE AUTHORITATE CONCILIORUM.

I. *Concilia particularia sunt errori obnoxia.* II. *Etiam generalia non approbata.* III. *Non tamen generalia approbata.*

AN Concilia Ecclesiastica errare possunt?

I. R. Concilia particularia, seu non generalia errare posse, omnes admittunt: rariùs tamen vel ipsa errârunt, si attendatur eorum multitudo, et agatur de Conciliis Episcoporum Catholicorum.

Si Concilium particulare, in quo damnantur hæreses, â Summo Pontifice approbetur pro tota Ecclesia, tunc obtinet authoritatem in fide infallibilem, fundatam nempe in ipsius Pontificis infallibilitate; et ita duo Concilia Provincialia Africana, Milevitanum et Carthaginense contra Pelagium et Cælestium Romana Sedes approbavit; atque inde rem contra Pelagianos omnino confectam esse judicavit S. Aug. Serm. 131. de verbis Apostoli dicens: "Româ rescripta "venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur "error."

Hodie, ait Benedictus XIV. de Synodo Diœces. In Conciliis particularibus fidei causæ tractari non solent, sed solùm conduntur decreta disciplinam spectantia: contingit tamen quandoque et hæc à Sede Apostolica approbari: unde dubitari posset, an ab illa confirmatione vires accipiant universam Ecclesiam obligandi? ad quod respondet idem Pontifex, confirmationem robur quidem adjicere istis decretis confirmatis, sed ea nequaquam extendere, nisi aliter Pontifex expresserit: hinc Syn. Prov. Mechliniensis de anno 1607. licèt à Paulo V. confirmata, Provinciæ limites non prætergreditur.

An Concilia generalia errare possunt?

II. R. Concilia Generalia absque Romani Pontificis confirmatione vel approbatione fallibilia sunt ac sæpius errârunt ut patet in Ariminensi, Ephesino II. &c. quia sic non repræsentant Ecclesiam, sed Corpus Acephalum, cui Christus infallibilitatem non promisit.

Si verò Pontificis assensus et confirmatio aliquibus tantùm Concilii decretis accedat, tunc illa dumtaxat plenariam authoritatem habebunt, prout factum est circa decreta Concilii Constantiensis.

Attamen promissiones Christi factæ Ecclesiæ, videntur omnino exigere, ut Concilium generale, habitum mortuo vel dubio Pontifice, habeat infallibilitatem passivam, sive custodiat fidem et mores, nec aliquid definiat contrarium.

III. Concilia generalia à Summo Pontifice approbata, in rebus fidei et morum definiendis errare non posse, fide certum est: unde statim tanquam hæretici manifesti habentur, qui à talibus Conciliis definita in dubium revocare præsumunt; hinc S. Gregor. lib. 1. Epist. 24. dicit: "Se, "sicut sancti Evangelii libros, sic quatuor priora Concilia "suscipere et venerari."

Probatur hæc infallibilitas ex N. 80. ex quo constat, Ecclesiam esse infallibilem in rebus fidei et morum; atqui Concilium generale repræsentat universam Ecclesiam: ergo, &c. Hinc Concilii generalis statuta dicuntur esse à Spiritu Sancto, juxta id Actor. cap. 15. V. 28. "Visum "est Spiritui Sancto et nobis."

Deinde si Concilium generale à Pontifice approbatum infallibilem authoritatem non haberet, sequeretur, non esse in Ecclesia judicium certum et indubitatum ad dirimendas controversias, quod est contra Num. 69.

Obj. S. Aug. lib. 2. "de Baptismo" contra Donatistas cap. 5. dicit: "Ipsa plenaria Concilia priora sæpe emen-

"dari posterioribus;" atqui quod emendari potest, non est infallibile: ergo, &c.

R. Plures hujus loci dari possunt responsiones: 1°. Augustinum loqui de Conciliis plenariis in communi, tam de non approbatis quàm approbatis; et sic fieri potest, quòd priora, quæ non erant approbata, et errores continebant, per posteriora approbata emendentur.

2°. S. Aug. non videtur loqui de Conciliis generalibus propriè, sed impropriè, secundùm quod Concilia nationalia dicuntur generalia, quomodo et Synodum Hyponensem vocat plenariam.

3°. Si de Conciliis verè Œcumenicis intelligatur, dicendum, quòd S. Aug. solùm velit, priora emendari posse per posteriora in puris factis, et in iis, quæ ad disciplinam, cæremonias, aliasque consuetudines Ecclesiasticas pertinent; unde subdit eodem loco: "Cum aliquo experimento rerum "aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur, quod late-"bat;" ea autem, quæ sunt fidei, non rerum experimento, sed verbo Dei scripto vel tradito noscuntur.

Tandem Concilia posteriora quædam, in prioribus nondum satis definita, clariùs definiunt; et ita priora Concilia posterioribus magis elucidantur.

N. 90. DE SUMMO PONTIFICE.

I. *Summus Pontifex* II. *Est Christi Vicarius et Caput Ecclesiæ visibile.*

QUID est Summus Pontifex?

I. R. Est Christi in terris Vicarius, et Ecclesiæ ejus Caput visibile.

Christus in terris instituit Ecclesiam Novi Testamenti, non sub ratione regiminis Aristocratici vel Democratici, sed sub ratione regiminis Monarchici, ex eo tamen, quod in Aristocratia optimum est, temperati, ut dictum est N. 81.

II. Cùm autem præsentiam suam visibilem Christus subtracturus esset per ascensum in cœlum, constituit Vicarium suum Caput Ecclesiæ visibile, ipso manente Capite supremo, essentiali et invisibili.

Quis et quare vocatur Pontifex Summus?

R. Pontifex Romanus: non tantùm quia supremum honorem et dignitatem obtinet in Ecclesia, sed præcipuè quia summam et universalem habet authoritatem, potestatem et jurisdictionem in omnes Episcopos et universam Ecclesiam.

Vocatur etiam Papa, quæ vox vel Patrem vel antonomasticè Patrum Patrem significat; item Sedis Apostolicæ Præsul, sicut Sedes Romana per excellentiam dicitur sine addito Sedes Apostolica.

N. 91. DE PRIMATU PETRI.

I. *Petrus accepit primatum à Christo.* II. *Primatus est Petro collatus Joan.* 21. III. *Quod etiam probatur ex variis prærogativis Petri.*

CUM hæretici non solùm superioritatem præsentium Pontificum, sed etiam ipsius Apostoli Petri Primatum negent, idcirco hic contra illos est asserendus.

I. Probatur autem Petrum à Christo Primatum accepisse supra alios Apostolos ex Matt. cap. 16. ubi Primatus promittitur, et Joan. cap. 21. ubi confertur.

Matth. cap. 16. dicit Christus: "Tu es Petrus, et super "hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam...et tibi dabo "claves Regni Cœlorum: et quodcumque ligaveris super "terram," &c. Hìc quamvis nomen Primatûs non exprimatur, manifestè tamen promittitur sub duabus metaphoris: prior metaphora desumitur à ratione fundamenti et ædificii: quod autem in ædificio fundamentum, hoc in communitate Superior, in regno Rex, &c.

Altera desumitur à traditione clavium: cui enim traduntur claves civitatis, is constituitur aut declaratur civitatis Rex aut Gubernator. His accedit interpretatio et authoritas SS. Patrum, ut videre est apud Bell. Sylvium, Tournelly, &c.

Objicit Calvinus: nomine Petræ, supra quam ædificanda dicitur Ecclesia, non intelligitur Petrus, sed Christus, et ideo Evangelista terminum mutat postquam dixit: "Tu es "Petrus" dicendo non "super hunc Petrum," sed "super "hanc Petram."

R. Negando antec. quàm inepta sit hæc Calvini observatio, patet ex Syriaco, quo idiomate usus est Christus, in quo non reperitur ista generis differentia, quæ est in Latino et Græco; unde uno eodemque nomine Christus dixit: "Tu es Cephas, et super hoc Cepha," quòd Latinè sic vertendum: "Tu es Petra et super hanc Petram:" sed interpres Latinus vertit: "Tu es Petrus" in masculino, quia de viro sermo erat, secutus codicem græcum, apud quos nomen "Petra" recipit terminationem masculinam et femininam, quam vox Latina "Petra" non recipit; igitur

dum Christus dicit: "Super hanc Petram," pronomen "hanc" manifestè respicit Petram, de qua proximè facta est mentio; atqui immediatè antè Christus non se, sed Petrum vocaverat Petram: ergo, &c. hinc patescit mysterium immutationis nominis Simonis in Petrum seu Petram Joan. cap. 1. V. 42. Deinde si hæc verba "Super hanc "Petram" referenda forent ad Christum, non ad Petrum, frustra Christus Petro dixisset: "Ego tibi dico, quia tu es "Petrus;" neque dicere debuisset: ædificabo, sed ædificavi vel ædifico.

Instabis: S. Aug. "Tract. ultimo in Joannem" per hanc Petram intelligit Christum. Confirmatur ex ejus ratione lib. 1. Retractationum cap. 21. ubi dicit: "Non enim dic-"tum est illi, tu es Petra, sed tu es Petrus: Petra autem "erat Christus."

R. S. Aug. hanc aliquando interpretationem proposuit agens contra Donatistas, qui vim et efficaciam Sacramentorum repetebant à Sanctitate Ministri: unde maluit istud fundamentum in Christo, quàm in Petro collocare, ne Donatistæ erroris sui confirmationem inde deduxissent: admisit tamen nostram interpretationem, quæ communis est; imò loco citato utramque referens subjicit: "Harum "duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector."

Hæc S. Augustini dubitatio orta est ex ignorantia linguæ Hebraïcæ seu Syriacæ, et Græcæ; quarum peritis notum est, illud "Tu es Cephas" idem esse ac "Tu es Petra."

Inst. Solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, juxta illud 1. ad Cor. 3. V. 11. "Fundamentum aliud nemo "potest ponere, præter id, quod positum est, quod est "Christus:" ergo per hanc Petram non intelligitur Petrus, sed Christus.

R. Neg. anteced. Solus Christus est quidem fundamentum essentiale et primarium, quod seipso consistit, et nulli alteri innititur, sed sustentans omnia, quæ ad ædificium Ecclesiæ pertinent, ac adeo et ipsum Petrum: cum eo tamen consistit, quòd Petrus sit fundamentum secundarium in Christo fundatum per virtutem et authoritatem ab ipso acceptam.

Objiciunt Lutherani: per Petram, super quam ædificanda dicitur Ecclesia, non intelligitur Petrus, sed fides aut confessio Petri. Confirmant ex SS. Chrysostomo, Ambrosio, Hilario, &c.

R. Neg. ant. patet enim ex dictis, deberi intelligi personam Petri, quod et verba sequentia: "tibi dabo claves "regni cœlorum," evidenter evincunt.

Ad confirmationem ex SS. PP. dicendum, eos quandoque ita loqui in sensu causali: quia scilicet Petrus confitens divinitatem Christi, ob fidei suæ meritum consecutus est, ut Ecclesiæ fundamentum esset.

2°. Sancti illi non volunt, super fidem in se spectatam sine relatione ad personam Petri Ecclesiam fundari, sed super fidem ejus personalem, quod idem est, ac super ipsam Petri personam fidem habentem, unde dum dicunt, Ecclesiam esse fundatam super fidem Petri, aut Petri fidem vel confessionem fidei esse fundamentum Ecclesiæ, intelligunt hoc sensu, quòd Petrus ratione fidei suæ indefectibilis, omnes in ea confirmet et indefectibiliter sustentet.

Contra argumentum à traditione clavium petitum objiciunt hæretici: claves sunt promissæ immediatè Ecclesiæ, non personæ Petri.

Probatur antec. ex S. Aug. Tract. 50. in Joan. ubi sic ait: "Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam "significavit:" ergo, &c.

R. Neg. antec. Evidens enim est, ut ex antedictis constat, sermonem dirigi ad personam Petri.

Ad S. Aug. aliosque Patres dicendum, illos solum velle, quòd Petrus non acceperit claves ut persona privata, sed sub ratione supremi Pastoris, et pro utilitate Ecclesiæ, à quo jure ordinario potestas clavium in alios Ecclesiæ Superiores, Episcopos et Pastores, erat derivanda.

Adde, quòd Patres Scripturam S. non semper citent in sensu literali, sed sæpe in sensu mystico, et interdum in sensu accommodatitio.

Obj. Idem, quod promittitur Petro Matth. cap. 16. "Tibi dabo claves," &c. promittitur cæteris Apostolis Matth. cap. 18. V. 18. "Quæcumque ligaveritis super "terram," &c.

R. Neg. antec. potestas enim clavium Matth. c. 16. Petro singulariter promissa et Joan. c. 21. data, quid majus et superius est potestate ligandi et solvendi, quæ tantùm est actus inadæquatus clavium.

Nota, tametsi alii Apostoli acceperint potestatem ubique prædicandi et Ecclesias fundandi, et ita quamdam jurisdictionem universalem universalitate loci, quòd hæc tamen, quatenùs talis, tantùm fuerit extraordinaria, et cum subjectione ad Petrum, ac cum ipsis extinguenda: hinc meritò damnata est ab Innoc. X. propositio tanquam hæretica, quæ ponebat SS. Petrum et Paulum, geminum Ecclesiæ verticem.

Proba primatum Petro collatum per illa verba Joan. cap. 21. "Pasce oves meas."

II. R. Quia his verbis sub metaphora deducta à Pastore ovium, Petro injungitur munus Pastoris et Rectoris Ecclesiæ universæ, ac proinde in totam Ecclesiam potestas conceditur.

Probatur: quia pascere non solùm significat docere, sed etiam præesse et regere; quemadmodùm Pastoris ovium est, non solùm pabula præbere; sed etiam ducere et reducere, tueri et coërcere.

Per "agnos meos...oves meas" significatur universalitas Christi fidelium; nam pronomen "meas" æquipollet signo universali, cùm indefinitè Christus loquatur, et omnes fideles sint oves Christi vel agni.

Objiciunt hæretici: non soli Petro dictum est: "Pasce "oves meas;" ergo, &c.

Probant antec. ex S. Aug. lib. "de agone Christiano" cap. 30. ubi dicit: "Cùm ei (Petro) dicitur, ad omnes "dicitur: amas me? Pasce oves meas."

R. Neg. antec. quia soli Petro dicta esse illa verba, circumstantiæ demonstrant; solum enim Petrum Christus alloquitur, eum compellans nomine proprio: "Simon "Joannis," ita ut quidem alii excludantur per hæc verba: "Diligis me plus his?"

Ad S. Aug. dicitur, quòd omnibus aliis Ecclesiæ Superioribus dicatur "Pasce oves meas" quoad eam nempe gregis partem, quæ illis commissa est: vel secundùm sensum accommodatitium inquantùm Petri formam in pascendo et regendo debent imitari.

III. Tertium argumentum ad probandum Petri Primatum ex Scriptura Sacra, desumi potest ex variis prærogativis, quibus præ cæteris Apostolis Petrus decoratus fuit.

Prima prærogativa est mutatio nominis;" "Tu vocaberis "Cephas" Joan. cap. 1.

Secunda, quòd in ordine enumerationis Apostolorum semper Petrus primo loco nominetur ab Evangelistis, non obstante mutatione ordinis aliorum. Sic expressè dicitur Matth. cap. 10. V. 2. "Primus, Simon, qui dicitur "Petrus."

Tertia, pro Christo et Petro tributum solvitur Matth. cap. 17. V. 26.

Quarta, Petrus solus cum Christo ambulat super aquas Matth. cap. 14.

Quinta, specialiter Petro dicit Christus Lucæ cap. ?

" Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando
" conversus confirma fratres tuos."

Sexta, Petrus Act. cap. 1. proponit et docet, eligendum esse novum Apostolum loco Judæ. Act. cap. 2. post acceptum Spiritum S. primus promulgat Evangelium. Act. cap. 3. primum facit miraculum in testimonium fidei. Act. cap. 10. primus incipit prædicare gentilibus. Act. cap. 12. pro Petro fiebat oratio sine intermissione ab Ecclesia. Act. cap. 15. tanquam præses Concilii Jerosolymitani primus loquitur, ejusque sententiam omnes sequuntur. Has aliasque prærogativas cum SS. PP. interpretationibus rectè deducit Bell. lib. 1. de Romano Pontifice.

Hisce iterùm objiciunt hæretici: Paulus ad Gal. cap. 2. V. 7. significat, se esse Apostolum Gentium, sicut Petrus Judæorum: ergo jurisdictio divisa erat inter ipsos.

R. Neg. conseq. divisio namque illa non erat jurisdictionis, sed nationum in ordine ad opus prædicationis, videlicet quòd, sicut Petrus principaliter destinatus erat ad prædicandum Judæis, sic Paulus à Christo specialiter destinatus esset ad prædicandum Gentibus.

Objiciunt II. Paulus ibidem V. 11. Petro in faciem restitit: ergo non erat illi subjectus.

R. Neg. conseq. quia Paulus non reprehendit Petrum per authoritatem, ut superior inferiorem, sed per correptionem fraternam, quod aliquando licet inferiori respectu superioris. Aliquì sustinent, Cepham illum, de quo ibi Paulus, non esse Petrum, sed alium discipulum. Videri potest Kerckherdere de Cepha reprehenso.

Objiciunt denique: si Petrus fuerit Ecclesiæ caput, debebat Ecclesia, moriente Petro, perire; nam moriente capite moritur corpus.

R. Neg. illatum; quòd enim corpus separatum à capite moriatur, verum est de illo capite, à quo membra sensum et motum habent; sed sic Petrus non fuit caput Ecclesiæ, sed Christus: non est autem verum de capite, à quo solus est externus influxus secundùm externam gubernationem, quale fuit Petrus, et sunt ejus Successors; nam moriente Pontifice, remanet Christus caput invisibile, à quo Ecclesia vitam sensumque habet et apta est ad recipiendum aliud caput visibile.

N. 92. DE SUCCESSORE PETRI IN PRIMATU.

I. *Petrus habet successorem in primatu Ecclesiæ.* II. *An Primatus jure divino annexus sit Episcopatui Romano.*

AN Petro successit aliquis in primatu Ecclesiæ?

I. R. Affirmativa de fide est, et probatur hâc ratione: Ecclesiam ita instituit Christus Dominus, ut usque ad consummationem sæculi esset duratura; ergo debuit in ea formam regiminis perpetuam instituere: adeoque, moriente Petro, debuit ex divina institutione succedere alius, qui esset caput visibile Ecclesiæ et Christi Vicarius.

Deinde Petrus constitutus est fundamentum Ecclesiæ perpetuò duraturæ: ergo fundamentum debet esse perpetuum; item claves et gubernatio durante regno debent continuari; Pastor et Rector ovibus est necessarius: ergo Primatus Petri, Ecclesiâ continuante, continuari debet.

Nec obstat, quòd S. Gregorius magnus lib. 5. Epist. 20. aliàs 32. reprehendat nomen Episcopi universalis, dicens, esse nomen blasphemum.

Nam S. Greg. hoc sensu intelligit esse blasphemum, quasi unus esset universæ Ecclesiæ Episcopus, et cæteri non essent veri Episcopi Ecclesiarum suarum; unde lib. 7. Epist. 79. sic loquitur: "Si unus universalis est, restat, "ut vos Episcopi non sitis." Aliàs si per Episcopum universalem intelligas supremum omnium etiam Episcoporum caput, rectè Successorem Petri Episcopum universalem appellaveris.

Observandum autem, quòd S. Gregorius præcipuè exaggeret istius nominis novitatem: quia Episcopus Constantinopolitanus nomen universalis Episcopi arroganter sibi usurpabat, cui certè nullo modo conveniebat.

Quid est iste Successor Petri?

R. De fide est, quòd sit Pontifex Romanus: probatur ex constanti Conciliorum generalium et Ecclesiæ definitione ac Sanctorum Patrum doctrina, ut propterea dicat sanctus Augustinus, quòd successio illa ab ipsa sede Petri continua ipsum retineat in Ecclesia Catholica.

Hæc successio usque hodie continuatur in serie 254 Pontificum.

An Primatus Ecclesiæ, sicut est juris divini, ita etiam jure divino annexus est Episcopatui Romano: ita ut Episcopatus particularis Romanus à Summo Pontificatu separa

nequeat, sed usque ad finem mundi successio Summorum Pontificum sit perseveratura in Episcopis Romanis?

II. R. Id controvertitur: quidam existimant primatum jure humano tantùm annexum esse Episcopatui Romano: scilicet dicunt, hoc tantùm à Christo ordinatum esse ut ille Episcopatus haberet Primatum, quem Ecclesia designasset; designavit autem Ecclesia Episcopatum Romanum; unde, inquiunt, fieri posset ex dispositione Ecclesiæ, quòd Primatus ab Episcopatu Romano auferretur.

Verùm communiùs sustinetur, quòd Primatus jure divino annexus sit Episcopatui Romano: quia licèt urgerent gravissimæ rationes, quales fuerunt Ethnicorum persecutiones, Romæ vastationes, &c. nunquam tamen de separando Pontificatu ab Episcopatu Romano cogitatum est: ergo existimavit Ecclesia Primatum jure divino Romano Episcopatui annexum esse.

Observa hanc quæstionem esse diversam et independentem ab his duobus fide certis, quòd Primatus Ecclesiæ sit juris divini, et ille Primatus perseveret in Romano Episcopo seu Pontifice.

N. 93. DE POTESTATE SUMMI PONTIFICIS.

I. *Papa habet potestatem immediatè à Christo,* II. *Et Episcopi immediatè à Papa.*

A QUO Summus Pontifex legitimè electus accipit potestatem suam et jurisdictionem?

I. R. Immediatè eam accipit à Christo tanquam ejus Vicarius, prout eam Petrus accepit.

Nec obstat Papam eligi à Cardinalibus; nam illorum electio est tantùm conditio "sine qua non," quâ positâ, potestatem et jurisdictionem immediatè accipit à Christo.

A quo Episcopi potestatem jurisdictionis accipiunt?

II. R. Galli volunt, quòd illam immediatè à Christo accipiant; sed dicendum videtur, quòd illam immediatè accipiant à Romano Pontifice: quia regimen Ecclesiæ est Monarchicum.

Hinc dicit S. Th. lib. 4. contra gentes cap. 76. "Christum "soli Petro promisisse, Tibi dabo claves regni Cœlorum, "ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivan- "da;" et S. Leo, "Si quid, inquit, cum eo commune "cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum "dedit quidquid aliis non negavit."

Observa hic non agi de jurisdictione curatorum Episcopis inferiorum, qui jurisdictionem immediatè accipere solent ab Episcopis; nec de potestate ordinis, quam tam Episcopi, quàm alii accipiunt immediatè à Deo vi Sacramenti; nec etiam quæstio est, an Pontifex immutare Episcoporum jurisdictionem possit, eam ampliando, restringendo vel etiam penitùs auferendo; hoc enim Pontificem posse omnes Catholici consentiunt: solùm itaque agitur de jurisdictione Episcoporum, quæ spectat ad Ecclesiæ gubernationem.

Obj. I. Act. c. 20. V. 28. dicitur: "Attendite vobis et 'universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos 'regere Ecclesiam Dei:" ergo Episcopi accipiunt suam jurisdictionem à Spiritu Sancto.

R. Dist. conseq. ergo accipiunt suam jurisdictionem à Spiritu Sancto immediatè, neg. conseq. mediatè, mediante nempe Summo Pontifice, concedo totum.

Obj. II. Episcopi succedunt Apostolis; atqui Apostoli accepèrunt jurisdictionem suam immediatè à Christo: ergo et Episcopi.

R. Neg. conseq. nam conveniebat, ut Christus visibiliter præsens per seipsum constitueret Ecclesiæ Ministros; aliter autem fieri oportebat, dum Christus, visibili suâ præsentiâ subtractâ, visibile Ecclesiæ Caput, et suum in terris Vicarium constituit.

N. 94. QUÆ ET QUANTA SIT SUMMI PONTIFICIS POTESTAS.

I. *Papa habet plenitudinem potestatis* II. *Super omnes, et quoad omnia Religionis.* III. *Potestas hæc etiam est coactiva.*

QUAM potestatem habet Romanus Pontifex?

I. R. cum S. Thom. 3. part. quæst. 72. art. 11. ad 1. "Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis;" adeo ut ejus potestas sese extendat ad omnes, qui sunt in Ecclesia, et ad omnia, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant.

Probatur ex antedictis: quia Pontifex Romanus est verus Christi Vicarius, totius Ecclesiæ Caput, Pastor ac Doctor: ergo, &c.

II. Hinc sequitur, quòd omnes fideles, etiam Episcopi et Patriarchæ Rom. Pontifici obedire teneantur, item quòd ei obediendum sit in omnibus, quæ Religionem Christianam concernunt, ac ideo in fide et moribus, ritibus, Ecclesiasticâ disciplinâ, &c.

Hinc ruit perversum Quesnellistarum commentum, scilicet Pontifici obediendum non esse nisi in iis, quæ præcipit conformiter ad Scripturam Sacram.

An Summus Pontifex habet potestatem non solùm directivam, sed etiam coactivam super omnes fideles?

III. R. Affirmativè: quia Matth. cap. 16. datur Petro ejusque Successoribus potestas ligandi, quæ ad potestatem coactivam pertinet. Id etiam perpetua consuetudo confirmat: hinc Summo Pontifici competit potestas suspendendi, excommunicandi, &c.

Obj. Dicit Christus Luc. cap. 22. V. 25. "Reges gen-"tium dominantur eorum...V. 26. Vos autem non sic;" ergo Ecclesiasticis non competit potestas coactiva.

R. Neg. conseq. nam tantùm prohibetur, ne dominentur more Regum gentilium; unde subdit: "Vos autem non sic," ne scilicet imperiosè et superbè regant, suam in regendo quærant utilitatem, gloriam, &c.

N. 95. AN PAPA SIT SUPERIOR CONCILIO GENERALI.

I. *Papæ est supra Concilium generale.*

PRÆNOTANDUM, quod hæc quæstio non intelligatur de infallibilitate Pontificis vel Concilii; sed de potestate jurisdictionis, nempe an Concilium generale possit Pontifici leges præscribere, eum judicare, &c.

Quæstio etiam non est de Concilio unà cum Pontifice congregato; sic enim Pontifex nequit esse supra Concilium, cùm tunc deberet esse seipso superior, sed est æqualis cum Concilio authoritatis.

Quæritur ergo, utrùm Concilium generale, seorsim sumptum sine Pontifice, sed tamen legitimè congregatum, sit supra Pontificem?

R. Affirmativam tuentur Galli: extra Galliam communiter sustinetur Pontificem esse Concilio generali superiorem, adeo ut possit illud transferre, dissolvere, &c.

I. Probatur: Petro non Concilio dixit Christus: "Tibi "dabo claves Regni Cœlorum, pasce oves meas," &c. Petrus ergo, ejusque Successores Caput sunt et Pastor, non solùm Ecclesiæ dispersæ sive singulorum fidelium; sed etiam Ecclesiæ in Concilio congregatæ: Caput enim non tantùm singulis membris seorsim, sed simul sumptis, superius est; Pastor non tantùm singulis ovibus seorsim, sed toti gregi præest et superior est: unde Concilium Chalcedo-

nense in Epistola ad Leonem Papam agnoscit eum Caput ac Patrem suum.

Probatur ulteriùs ex aliis Conciliis, ut Constantinopolitano I. in Epistola ad Damasum, et Constantinopolitano III. in Epistola ad Agathonem, &c. et Lateranense V. apertè dicit: solum Romanum Pontificem super omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus potestatemque habere. Confirmatur: ad minùs tantam habet Pontifex in universam Ecclesiam authoritatem, quantam habet Episcopus in suam Diœcesim; atqui Episcopus est superior Diœcesanis etiam collectivè sumptis: ergo, &c.

Obj. I. Papa contraire non potest rebus in Concilio generali de fide et moribus absolutè definitis: ergo non est Concilio superior.

R. Neg. conseq. quòd enim contraire nequeat, non est quasi subditus esset Concilio; sed quia subditus debet esse Deo et fidei.

Obj. II. Pontifex est Filius et membrum Ecclesiæ: ergo Concilium generale, quod Ecclesiam repræsentat, est supra Pontificem.

R. Neg. conseq. nam Romanus Pontifex, ut ait Pius II. est Filius propter regenerationem, sed propter dignitatem Pater habetur. Deinde Concilium, uti hìc consideratur, non repræsentat perfectè Ecclesiam, cùm supponatur sine Pontifice. Similiter ad id, quòd dicitur: Pontifex est membrum Ecclesiæ; atqui pars est minor toto.

R. Dist. minor: pars est minor toto, quantitate, sic conceditur: virtute et influxu, sic negatur: patet in corpore, in quo caput est minus reliquo corpore secundùm quantitatem molis, sed non secundùm quantitatem virtutis et influxûs.

Obj. III. Pontifex est Frater noster: ergo, si peccaverit, nec correptione fuerit emendatus, debet denuntiari Ecclesiæ ex præcepto Christi Matth. cap. 18.

R. Neg. conseq. quia præceptum Matth. c. 18. agit de fratre habente superiorem, cui fiat denuntiatio: nam per Ecclesiam ibi intelliguntur Prælati Ecclesiæ, non Societas fidelium aut Concilium generale: absurdum enim foret peccatum fratris inobedientis deferri coram multitudine fidelium aut ad id convocari debere Concilium generale.

Obj. IV. Concilium Constantiense Sess. 4. definivit, potestatem se immediatè à Christo habere, cui quilibet cujuscumque dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire

sentetur.' Idem dicit Sess. 5. ergo Concilium generale est supra Pontificem.

R. Ad hunc locum, quem maximè urgent adversarii, triplex est responsio.

Prima, quòd Sessio illa nunquam fuerit approbata à Pontifice: quia Martinus V. tantùm approbavit ea, quæ in materia Fidei conciliariter acta sunt; scilicet contra errores Wiclef et aliorum; cujusmodi non erant illa, quæ Sess. 4. et 5. gesta sunt.

Secunda est, quòd, quando habitæ sunt Sessiones 4. et 5. Concilium non fuerit verè Œcumenicum; quia tantum aderant Episcopi unius obedientiæ Joan. XXIII. aberant autem Episcopi Benedicti XIII. et Gregorii XII. qui non modicam Christianitatis partem constituebant: deinde Cardinales à communi deliberatione excludebantur, et ad Sessionem 4. venire recusârunt, nisi sub conditione, quòd spectantia ad authoritatem Papæ omitterentur, et contra decreta Sess. 5. protestati sunt.

Tertia, eaque communior responsio est: dato, Martinum V. omnia in Concilio isto gesta approbasse, decretum tamen illud Sess. 4. tantùm locum habet, non respectu Pontificis certi et indubitati, sed respectu Pontificis incerti et dubii: nempe illo tempore tres supra nominati Pontificatum gerere volebant, de quorum nullo constabat certò, quòd esset legitimus Pontifex, ac ideo, cùm Ecclesia jus habeat sibi providendi de Capite et Pontifice indubitato, Patres Constantienses, ut pax Ecclesiæ redderetur, deposuerunt omnes tres, et elegerunt Martinum V. decretum itaque Sessionis 4. tantùm respicit casum dubii Pontificis et schismatis.

Similiter ad Concilium Basiliense, quod objiciunt adversarii, dicendum, quòd Sessio 2. et sequentes circa potestatem Pontificis, non fuerint approbatæ ab Eugenio IV. nec ab ullo alio Pontifice: et Nicolaus V. ex omnibus decretis istius Concilii tantùm approbavit ea, quæ gesta sunt circa censuras et causas Beneficiales; unde a Leone X. Conciliabulum vocatur: et reipsa in Conciliabulum degeneravit.

N. 96. DE INFALLIBILITATE SUMMI PONTIFICIS.

I. *Pontifex ex Cathedra definiens est infallibilis.*

PRÆNOTANDUM, quòd Pontifex aliquando dicatur loqui vel definire ex Cathedra, aliquando verò non, sed ut

particularis Doctor, vel ut respondens ad casum vel dubium particularem.

Censetur loqui ex Cathedrâ, quando loquitur ex plenitudine potestatis, præscribens universali Ecclesiæ aliquid tanquam dogma fide credendum, vel in moribus observandum, aut acceptandum tanquam bonum vel Religiosum.

An judicium Summi Pontificis est infallibilis authoritatis?

R. 1°. Summus Pontifex, sicut et integrum Concilium generale, errare potest in meris factis, vel in rebus fidem aut mores non concernentibus: quia infallibilitas in talibus non est necessaria ad regimen Ecclesiæ, nec error nocet integritati Religionis.

R. 2°. Errare etiam potest, quando non loquitur ex Cathedra; et ita si à Summo Pontifice edatur opus Theologicum vel Juridicum, errores in eo esse possunt; quia non aliam præ se fert, quàm privati Doctoris authoritatem, prout de suis operibus protestatur Benedic. XIV. in Brevi ad Jacobum Facciolati, quod tomo I. præfixum voluit: imò in aliquibus decretis relatis in Jus Canonicum error reperiri potest: quia, licèt illa decreta in Jus Canonicum relata sint, ut Judices regulam quamdam haberent in judicando, attamen non omnia illa proponunt Pontifices tanquam fidei definitiones.

I. R. 3°. Summus Pontifex ex Cathedra definiens res ad fidem vel mores spectantes, est infallibilis, quæ infallibilitas provenit ex speciali assistentia Spiritûs Sancti.

Probatur 1°. ex Matth. cap. 16. "Tu es Petrus," &c. quæ verba dicta esse Petro ejusque Successoribus, probatum est Num. 91. et 92, jam autem dicitur ibidem Petrus fundamentum Ecclesiæ nunquam defecturæ; atqui nequit Ecclesia esse indefectibilis, nisi fundamentum sit etiam tale: ergo, &c.

Probatur 2°. ex Lucæ cap. 22. ubi Christus dicit Petro: "Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando "conversus confirma fratres tuos:" ubi promittit Christus Petro indefectibilitatem, ut confirmet fratres suos in fide: quod ad munus Pastoris et Capitis pertinet, adeoque etiam ad Petri Successores.

Probatur 3°. ex Joan. cap. 21. ubi præcipitur Petro, et consequenter ejus Successoribus, ut pascant et regant Ecclesiam universam: ergo tota Ecclesia audire et sequi tenetur Pontificis Doctrinam: unde, si ille erret, errabit tota Ecclesia, quod fieri nequit juxta Num. 80.

Probatur 4°. ex S. Thom. qui 2. 2. q. 1. art. 10. in "Corp." dicit: "Ad illius authoritatem pertinet editio

"Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determi-"nare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide "teneantur: hoc autem pertinet ad authoritatem Summi "Pontificis." Similia habet in 2. part. quæst. 11. art. 2. ad 3.

Hunc spectat, quod dicit S. Aug. postquam ab Innoc. I. damnata erat Hæresis Pelagiana: "Româ rescripta vene-"runt, causa finita est:" censuit ergo S. Aug. judicium Pontificis esse irreformabile.

Probatur 5°. à posteriori: plures hæreses per solam Pontificis authoritatem extinctæ sunt: ergo, &c.

Plura videri possunt apud Bellarminum, Sylvium, Billuart, &c.

Ex his patet meritò proscriptas esse ab Alexandro VII. has duas propositiones: "Futilis et toties convulsa est "assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcume-"nicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis "infallibilitate." Altera est: "Ubi quis invenerit doc-"trinam in S. Aug. clarè fundatam, illam absolutè potest "tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis "Bullam."

Obj. I. Pontifex in rebus fidei et morum errare potest, si non adhibeat necessariam diligentiam; atqui potest non adhibere necessariam diligentiam: ergo potest errare.

R. Idem argumentum formari potest contra infallibilitatem Concilii generalis, quod tamen, fatentibus adversariis, non concluderet: ergo nec concludit contra infallibilitatem Pontificis.

Dicimus itaque, Pontificem, sicut et Concilium generale, adhibere debere necessariam diligentiam, ut prudenter procedant, sed tamen nec Pontificis, nec Concilii infallibilitatem pendere ab illa conditione, "Si prudenter proces-"serint:" meritò interim supponitur, omnem in definiendo diligentiam adhibitam fuisse. Vide N. 82. circa finem.

Obj. II. Ergo inutilia sunt Concilia generalia: probatur conseq. quia Pontifex, cùm sit infallibilis, potest per seipsum omnes fidei et morum controversias irreformabili judicio definire.

R. Neg. sequelam: ad probationem dicendum, quòd, quamvis Pontifex sit infallibilis non tamen debeat negligere media humana et ordinaria, quibus in veritatis, de qua agitur, notitiam devenire potest: medium autem ordinarium est Concilium majus aut minus, prout rei gravitas postulat.

Accedit, quòd aliquando neque hæresis efficaciter refutari, neque fidei aut morum dogmata convenienter determi-

nari possunt, non ex defectu potestatis Pontificis; sed aliis de causis, puta ad hæreticorum pertinaciam faciliùs frangendam, dum sua dogmata à tot tantisque viris condemnari intelligunt, item ut acquiescant infallibilitatem Pontificiam negantes, &c.

Obj. III. S. Cyprianus restitit Stephano Papæ definienti, Baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos: ergo existimavit Pontificem errare posse.

R. Neg. antec. quia Stephanus quæstionem illam non definierat: ea enim tantùm post Cypriani obitum et ante Aug. nativitatem definitivè decisa est per Conc. plenarium, verisimiliter Nicæn. ut testatur S. August. contra Donatistas.

Observa igitur dissensionem Cyprianum inter et Stephanum non fuisse circa punctum à Pontifice definitum; sed solùm in eo, quòd Stephanus provisionaliter mandasset, ut circa baptizatos ab hæreticis consuetudo antiqua servaretur: "Nihil," inquit "innovetur, nisi quod traditum est," seu baptizati ab hæreticis non rebaptizentur; Cyprianus autem cum aliis contendebat, eos esse rebaptizandos. Sola consuetudo opponebatur à Stephano, quæ Cypriano non satis certa et fundata videbatur.

Instabis: atqui Pontifex verè ex Cathedrâ definierat: quia comminatus est excommunicationem in rebaptizantes.

R. Neg. subsumptum: potuit enim Stephanus sub pœna excommunicationis mandare, servandam esse praxim Romanæ Ecclesiæ, etsi de validitate Baptismi ab hæreticis collati nihil decretoriè determinasset, dum ob alias similes causas sæpe excommunicatio infligatur.

Instabis 2°. S. Aug. lib. 2. contra Donatistas c. 4. excusat Cyprianum ab hæresi: quia quæstio illa de valore Baptismi ab hæreticis collati nondum decisa fuerat per Concilium plenarium: ergo juxta S. Aug. judicium solius Concilii generalis est infallibile.

R. Neg. conseq. nam S. Aug. ità loquitur ab eventu: Quia nimirum solum Concilium generale quæstionem illam post mortem Cypriani definierat, non verò Pontifex: unde S. Aug. per hoc non exclusit infallibilitatem Pontificiam; sicuti si quis diceret: Non auderem asserere hanc propositionem esse de fide, nisi à Conc. Trident. esse definitam: malè inferretur, illum negare infallibilitatem Pontificis.

2°. Scribebat S. Aug. contra Donatistas, qui Pontificis authoritatem negligebant, et utitur argumento ad hominem adducebant quippe Donatistæ Cyprianum in Patrocinium sui erroris: dicit Sanctus Augustinus frustra illos hoc fac

cùm tempore Cypriani nulla Concilii generalis definitio extaret; ipsi autem post definitionem generalis Concilii errorem adhuc pertinaciter tuerentur.

Interim, quamvis Cyprianus à formali hæresi excusari possit, cum quæstio illa decisa non esst, ab omni tamen nævo immunis nòn fuit, sed, ut ait S. Aug. Epist. 48. ad Vincentium, errorem suum ante obitum correxit, culpamque martyrio eluit.

Objiciuntur varii Pontifices, qui in definitionibus fidei et morum erroris accusantur.

R. Pro solutione generaliter observandum, quòd error ille vel sit in puris factis, vel rebus ad fidem et mores non pertinentibus, vel in definitionibus, quæ non sunt ex Cathedra, ac proinde nihil officiunt conclusioni, sicuti etiam non obessent lapsus personales Pontificum.

Quæritur interim:

N. 97. AN PONTIFEX, SALTEM UT PRIVATA PERSONA, POSSIT ESSE HÆRETICUS?

I. *Papa nequidem ut privatus potest esse hæreticus.*

I. RESP. Etsi id præced. conclusioni non obesset, ut dictum est, videtur tamen sententia negativa probabilior, ta ut privilegium Petri, de quo Lucæ cap. 22. "Rogavi "pro te, ut non deficiat fides tua," etiam transeat ad Petri Successores: idque consentaneum est divinæ Providentiæ, ut qui doctor est fidei, ipse à fide non deficiat.

Probatur etiam ex eo, quòd de nullo Pontifice hactenus probari potuerit, fuisse formalem hæreticum: idque S. Aug. Epist. 165. de Pontificibus ad sua usque tempora testatur.

Obj. I. Marcellinus sub Diocletiano thus Idolis adolevit: ergo, &c.

R. S. Aug. et post ipsum Baronius, Bellarminus, Christianus Lupus, &c. dicunt, lapsum Marcellini esse figmentum, à Donatistis confictum: Binius, Schelstratius, aliique, qui lapsum admittunt, dicunt Marcellinum Idolis metu mortis thurificasse, ideoque contra fidei professionem peccasse, sed fidem ulteriùs non amisisse.

Obj. II. Liberius Papa subscripsit formulæ fidei Syrmiensi ab Arianis confectæ, ac condemnationi Athanasii, qui veram fidem tuebatur: ergo fuit hæreticus.

R. Neg. conseq. verum quidem est Liberium à Constan- ob fidem Catholicam in exilium missum, tandem calami-

tatibus et tædio victum, cum Arianis communicasse ac subscripsisse damnationi Athanasii non ob ejus fidem, sed propter crimina ab Arianis falsò objecta.

Deinde subscripsit formulæ Syrmiensi, quæ, quamvis in ea subticeretur vox "consubstantialis," nil contrarium fidei continebat, tametsi fidem haud sufficienter explicaret: ex quibus proinde probari nequit, Liberium fuisse hæreticum, quamvis in modo agendi à peccato non excusetur.

Obj. III. Honorius I. fuit Monothelita: ergo, &c.

Probatur antec. quia in Epistola ad Sergium docet, in Christo unam, non duas esse voluntates.

R. Neg. antec. ad probationem dicitur, quòd in istis Epistolis non negaverit, in Christo duas voluntates, divinam et humanam; sed tantùm negat duas humanas voluntates pugnantes, unam carnis, alteram spiritûs, quales in nobis experimur, quibus ex vitiata origine caro concupiscit adversùs spiritum: præcepitque, ut à vocabulis unius vel duarum voluntatum abstineretur, ne ex diverso verborum intellectu oriretur Schisma.

Instabis: Synodus 6. damnavit Honorium tanquam hæreticum: ergo, &c.

R. Sylvius cum quibusdam vult, acta istius Synodi esse corrupta, et nomen Honorii substitutum loco Theodori: sed hoc commentum doctè refutat Thomassinus dissertatione 20. in Syn. 6.

Alii dicunt, Synodum 6. condemnando Honorium errasse scilicèt errore facti merè personalis, non circa sensum literalem textuum dogmaticorum: nempe, aiunt, judicium Synodi fuit mere criminale, non dogmaticum; principaliter enim querebatur de persona Honorii: unde Epistolæ ejus primariò discussæ non sunt, ut inquireretur de dogmate, sed tantùm ut persona judicaretur; in quo judicio Ecclesiam errare posse admissum est Num. 81.

Alii dicunt, Honorium in Synodo 6. damnatum esse ut hæresis fautorem, non verò ut hæreticum: huic sententiæ favet, quòd Leo II. qui Syn. conformavit, variis locis solùm arguat Honorii negligentiam et impudentiam, "quâ immaculatam fidem maculari permisit:" item quòd Constantinus Pogonatus Imperator, qui isti Concilio interfuit, condemnet Honorium tanquam hæresis fautorem, concursorem et confirmatorem. Verum quidem est, quòd dicatur "Honorio Hæretico Anathema;" sed Patres inter hæreticos et fautores hæreseos non videntur distinxisse: saltem ipsa verba Patrum conniventiam Honorii potiùs quàm apertam hæresis professionem accusant.

Obj. IV. Dist. 40. Can. Si PAPA, dicitur Papa cunctos judicare, à nemine judicandus, nisi deprehendatur à fide devius : ergo potest esse hæreticus formalis.

R. Neg. conseq. tantùm enim dicitur, quid fieri posset, casu quo Pontifex à fide deficeret ; putamus autem casum hunc nunquam evenisse, nec eventurum.

N. 98. DE POTESTATE TEMPORALI SUMMI PONTIFICIS.

I. *Pontifex habet dominium directum in aliqua loca.*

AN etiam Summus Pontifex potestatem quamdam habet temporalem et civilem ?

I. R. Certum est, quòd potestatem etiam directam habeat in loca temporali dominio sibi subjecta ; nil enim repugnat, quòd idem sit Princeps Ecclesiasticus et politicus in temporalibus, ut patet in Melchisedech, Machabæis, &c.

An Pontifex etiam potestatem temporalem habet in omnia regna mundi ?

R. Fuerunt, teste Bellarmino, lib. 5. "de Romano "Pontifice" cap. 1. qui, ex jure divino, Pontifici plenissimam ac directam potestatem asserebant in universum terrarum orbem, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus : sed hæc sententia ab omnibus rejicitur.

Bellarminus, Sylvius, aliique dicunt Pontificem non habere jure divino potestatem directam in temporalia regna, sed indirectam ; hoc est, quando potestas spiritualis exerceri liberè non potest, nec suum finem assequi per media spiritualia, tunc ad temporalia recurrere possit, juxta S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 12. et q. 12. a. 2. qui docet Principes interdum privari posse dominatione et subditos à fidelitatis juramento liberari : et ita à Pontificibus non semel est practicatum.

Altera sententia docet, Reges et Principes in temporalibus nullatenùs subjacere Pontificiæ et Ecclesiasticæ potestati, neque illos authoritate clavium directè vel indirectè deponi, aut eorum subditos à fide et obedientia eximi, aut præstito fidelitatis juramento solvi posse. Ita habet declaratio Cleri Gallicani anno 1682. quam sequuntur plures exteri. Tractatum Bellarmini de potestate Summi Pontificis in temporalibus adversùs Barclaium, jam proscripserat Senatus Parisiensis anno 1610. ut videre est apud Tournelly.

TRACTATUS

DE

VIRTUTE SPEI.

N. 99. DE DEFINITIONE VIRTUTIS SPEI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 17.

Nota. Ordine generationis inter Virtutes Theologicas secunda est Spes.

I. *Definitio.* II. *Ejus objectum,* III. *Materiale,* IV. *Primarium,* V. *Et secundarium.*

QUID est Spes, virtus theologica?

I. R. Est virtus divinitùs infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis et æternæ vitæ bona expectantur.

Quotuplex est objectum spei?

II. R. Est duplex, materiale et formale.

III. Objectum materiale subdividitur in primarium et secundarium.

Quidnam est objectum materiale primarium?

IV. R. Objectum materiale primarium est Deus ut summum bonum nostrum à nobis possidendum, sive ut Scholastici loquuntur cum S. Thom. et in idem redit, est Beatitudo nostra objectiva, connotando tamen beatitudinem formalem tanquam medium et conditionem beatitudinis objectivæ possidendæ.

V. Objectum materiale secundarium spei constituunt omnia media ad salutem seu Deum possidendum conducentia, qualia sunt gratia, remissio peccatorum, etiam bona temporalia, quatenùs hæc, saltem remotè, ad Deum possidendum conducere possunt.

Observa, quòd multi authores objecta virtutum distinguant in "objectum materiale, objectum formale quod, et "objectum formale quo, vel sub quo;" per objectum "formale quod" idem intelligunt, quod nos per objectum materiale primarium, et per objectum "formale quo" vel "sub quo" idem, quod nos per objectum formale simpliciter; sicque ab ipsis non nisi penes terminos discrepamus.

N. 100. DE OBJECTO FORMALI SPEI.

I. *Objectum formale Spei* II. *Est bonitas Dei erga nos. ejus omnipotentia et fidelitas.* III. *Quomodo ad illud spectent merita Christi.* IV. *Spes directè respicit bonum proprium.*

QUODNAM est objectum formale spei?

I. R. Variant Authores: alii allegant bonitatem increatam Dei, alii omnipotentiam, alii aliud: recepta magis, fidelium instructioni aptior, ac verior sententia est, quæ dicit, quòd objectum formale spei, sit bonitas Dei erga nos, ejus omnipotentia, et fidelitas in promissis.

II. Probatur: quia hæc tria attributa Dei sunt nobis ratio sperandi, seu beatitudinem certa cum fiducia expectandi, excludendo omnem desperationis ac præsumptionis rationem; etenim quod nos movet ad desiderium Dei possidendi est bonitas Dei, ut nobis est bonus; sed quia spes simul involvit certam fiduciam nostræ salutis, non tantùm speramus, quia Deus est bonus erga nos, sed etiam quia potens est, ad præstandum, quod speramus, et quia fidelis est, ut adimpleat promissa sua.

Confirmatur ex textibus Scripturæ Sacræ, quæ nobis ista tria tanquam motiva sperandi proponit; nunc enim loquitur de Dei bonitate, nunc de omnipotentia, nunc de fidelitate in promissis.

Dictum est, quòd objectum formale spei sit bonitas Dei erga nos; ex quo patet, objectum formale spei distingui ab objecto formali charitatis, quod est bonitas Dei in se; similiter omnipotentia Dei hic consideranda non est secundùm se, sed ut auxilians nobis; fidelitas autem in promissis continet firmam ac paratam Dei voluntatem præstandi ea, quæ speramus.

III. Quia autem ea, quæ speramus, scilicet salus æterna, et media ad eam, effectus sunt meritorum Christi, eaque sperare debemus per merita Christi, sequitur, quòd spes nostra etiam innitatur meritis Christi; innititur enim spes nostra bonitati, omnipotentiæ et fidelitati in promissis, factis propter merita Christi Salvatoris nostri: et in Mysteriis Incarnationis et Redemptionis nostræ præfata Dei attributa maximè erga nos elucent: unde ait Henricus à S. Ignatio, merita Christi etiam pertinent ad objectum formale spei.

Art. 4. docet S. Th. quòd in solo Deo sperandum sit tanquam in primaria causa nostræ beatitudinis: addit tamen licitum esse in homine vel in alia creatura sperare tanquam

causa secundaria et instrumentali, per quam juvamur ad
ona consequenda ad beatitudinem ordinata: sic meritò
eramus ob merita et intercessiones Sanctorum ac præser-
m Deiparæ Virginis, quæ ideo ab Ecclesia spes nostra
catur: quin et in operibus ex gratia factis homo spem
iquam collocare potest; hinc Trid. Sess. 6. Can. 26. dicit
nathema iis, qui dixerint: "Justos non debere pro bonis
operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare et sperare
æternam retributionem à Deo:" ista tamen solùm spectant
l objectum spei secundarium, si objectum secundarium
ici possint; propriè enim nil aliud præstant quàm ut fir-
iùs speremus in Deo.

Obj. Dicitur Jerem. cap. 17. V. 5. "Maledictus qui confidit in homine:" ergo, &c.

R. Cum S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 1. ad 3. dicendum: Quòd vituperatur qui sperat in homine, sicut in principali authore salutis; non autem qui sperat in homine sicut in adjuvante ministerialiter sub Deo."

An quis potest alteri sperare salutem?

IV. R. Illam propriè quisque sibi sperat non alteri;
atenùs tamen alter per amorem nobis unitus est, sic etiam
lli bonum beatitudinis sperare possumus: quia inquantùm
mor illum nobis conjungit, sic ei sperando bonum, etiam
uodammodo nobis speramus: quia bonum ejus quodammodo
ostrum est: quatenùs tamen alteri simpliciter bonum
ptamus, quà ipsi bonum, sic propriè actus charitatis prox-
mi est.

N. 101. DE AMORE SPEI.

Amor spei est castæ concupiscentiæ. II. *Est rectus est bonus.* III. *Licitè operamur intuitu salutis.*

AN in spe semper aliquis amor requiritur?

R. Affirmativè, non quidem amor charitatis; cùm spes
ne charitate habituali et actuali esse possit; sed semper
quiritur aliquis amor imperfectus, ut dicit S. Thom. quæst.
. a. 8. atque hoc sensu dixit S. Aug. Enchiridii cap. 8.
òd spes sine amore esse non possit.

Qualis est iste amor proprius spei?

I. R. Vocatur amor castæ concupiscentiæ, eò quòd spes
rsetur circa Deum ut habentem rationem boni concupisci-
is: quia verò amor iste nihil nisi honestum et ordinatum
bet, idcirco concupiscentiæ castæ dicitur.

Obj. Inordinatum est Deum referri ad creaturam; atqui illo amore spei, utpote concupiscentiæ, Deus refertur ad nos: ergo actus spei, saltem informis, seu sine charitate, est inordinatus.

R. Distinguendo minorem; atqui illo amore spei Deus refertur ad nos tanquam ad finem, nego min. refertur ad nos tanquam ad subjectum, cui finis appetitur et tanquam perfectum ad perfectibile, con. min. sed in eo nil inordinati est, non plus, quàm quòd Filius Dei sit incarnatus propter nos et propter nostram salutem. Itaque tantùm abest, ut in spe referamus Deum ad nos tanquam ad finem, ut potiùs nos referamus in Deum, cùm ideo illum nobis concupiscamus, quia finis noster ultimus est, quo obtento, nil ampliùs desiderari potest.

II. Ex his patet, quomodo actus spei etiam informis, sit rectus et bonus, quòdque, ut satisfiat præcepto referendi omnia opera in Deum, non requiratur ulterior relatio, sed seipso referatur in Deum, cùm homo per illum se velit Deo ut fini ultimo.

III. Infertur, licitum et virtuosum esse operari intuitu mercedis æternæ, ut constat ex Psal. 118. V. 112. "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum "propter retributionem;" Item ex Trid. Sess. 6. can. 31 pronuntiante anathema in eos, qui dicunt bene operantem intuitu mercedis æternæ peccare; item ex condemnatione propositionum 10. et 13. per Alexand. VIII. quarum prior sic sonat: "Intentio quâ quis detestatur malum et prosequitur "bonum merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta "nec Deo placens." Altera: "Quisquis etiam æternæ "mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit "vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur."

N. 102. DE SUBJECTO SPEI.

I. *Subjectum Spei est duplex.* II. *Spes non est in beatis.* III. *Nec in damnatis.* IV. *Manet in Purgatorio.* V. *Spes amittitur per amissionem fidei.* VI. *Item per desperationem et præsumptionem.* VII. *Non tamen per quodcumque peccatum mortale.*

QUODNAM est subjectum Spei?

I. R. Subjectum spei est duplex, scilicet proximum, et illud est voluntas, cùm objectum spei sit bonum divinum; subjectum spei remotum sunt habentes virtutem spei.

An spes manet in Beatis?

II. R. cum S. Thom. art. 2. negativè: quia spes respicit bonum futurum: beatitudo autem, quæ nobis præcipuum spei objectum est, respectu Beatorum, non est futura, sed præsens.

Obj. Beati sperant continuationem beatitudinis et resurrectionem corporis: ergo, &c.

R. Negando antec. sed vident in Deo continuationem beatitudinis, et corporum resurrectionem aliquando futuram, quam cum tranquillitate expectant.

An spes manet in damnatis?

III. R. cum S. Thom. art. 3. negativè: quia cognoscunt beatitudinem sibi esse acquisitu impossibilem, spes autem est de bono possibili, hinc dicitur Proverb. cap. 11. V. 7. "Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes."

An spes est in iis, qui sunt in Purgatorio?

IV. R. Affirmativè: quia etsi de Beatitudine obtinenda certi sint, ea tamen adhuc absens est, et ardua obtentu. Idem erat ante descensum Christi ad inferos de Patribus in Limbo constitutis.

In quibus hominibus viatoribus habetur spes?

R. Patebit solutio considerando, quomodo virtus seu habitus spei in hac vita amittatur.

V. 1°. Amittitur per amissionem fidei: quia spes præsupponit fidem tanquam fundamentum; proinde omnes illi, qui fide carent, etiam spem non habent, et eo ipso, quo amittitur fides, consequenter etiam amittitur spes.

In hæreticis proinde non est spes, cùm fide careant: spes igitur, quæ in ipsis esse videtur, non est vera et supernaturalis, sed naturalis quædam acquisita, inanis et falsa, orta ex persuasione seu fide humana.

VI. 2°. Spes amittitur per peccatum spei oppositum, quod removet objectum formale spei, scilicet per desperationem, et sæpe per præsumptionem, de quibus infra.

3°. Juxta Steyaert spes deperdi potest lethali non usu, quando præceptum eliciendi actum spei quempiam obligat sub mortali, et illud negligit; sed id non videtur subsistere, nisi restringatur ad crassam diuturnamque negligentiam, quæ involvat motivi formalis spei abjectionem.

An spes amittitur per quodcumque peccatum mortale?

VII. R. Negativa certa est contra Quesnellum: quia per quodcumque peccatum mortale non amittitur motivum formale spei, neque spes est virtus annexa charitati, nec eam præsupponit.

Obj. Temerarium est sperare salutem sine meritis et cum peccato mortali; atqui talis est spes peccatoris: ergo, &c.

R. Negando min. peccator enim, cùm non habeat merita præsentia, etiam non sperat se perventurum ad salutem in tali statu, in quo est; sed sperat remissionem peccatorum obtinere et merita acquirere, sicque ad salutem pervenire, quæ spes non est temeraria, sed ordinata.

N. 103. DE CERTITUDINE SPEI.

I. *Spes habet certitudinem,* II. *Non absolutam,* III. *Sed expectationis fiducialis.* IV. *Undenam illa oriatur.*

AN spes viatorum habet certitudinem?

I. R. Affirmativè, et ita habet definitio spei his verbis: "Certa cum fiducia."

Idem docet Scriptura Sacra, ut Psalm. 30. "In te, Domine, speravi, non confundar in æternum:" item ad Rom. cap. 5. V. 5. "Spes non confundit;" et ad Hebr. cap. 6. V. 18. "Confugimus ad tenendam propositam spem;" V. 19. "Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam."

Qualis est illa certitudo?

II. R. Non est certitudo fidei, quâ unusquisque infallibiliter sibi persuadere debet, se esse justum, et de numero prædestinatorum, ut hæretici volunt, de quibus vide Num. 30. "de Justificatione."

III. Est igitur hæc spei certitudo quædam certitudo voluntatis, quæ vocari potest confidentia vel fiducia certa, excludens diffidentiam et hæsitationem, sed simul stans cum timore; quare dicit Apost. ad Philip. 2. V. 12. "Cum metu et tremore vestram salutem operamini," et 1. ad Cor. cap. 10. V. 12. "Qui se existimat stare, videat ne cadat."

Undenam oritur præfata certitudo spei?

IV. R. Partim ex certitudine objecti seu boni sperati, quod est Deus; partim ex fidelitate Dei in promissis, ex certitudine potentiæ et misericordiæ divinæ, præsertim quia Deus Pater Unigenitum suum pro nobis tradidit.

Ex parte autem hominis sperantis invenitur quædam certitudo conditionata, quâ certus est, se assecutarum vitam æternam, si media salutis adhibuerit, et usque in finem perseveraverit.

Obj. I. Spes stat simul cum dubio de salute consequenda atqui dubium excludit certitudinem: ergo spes non habet certitudinem.

R. Dist. maj. spes stat cum dubio, quod vocatur diffidentia et hæsitatio, neg. maj. spes stat cum dubio de eventu

an scilicet sperans moriturus sit in justitia, conc. maj. nam ut dictum est, cum spe stat simul timor, quem homo meritò concipit considerando fragilitatem et instabilitatem suam.

Obj. II. Multi, qui spem habent, damnatur postea: ergo spes non habet certitudinem.

R. Cum. S. Thom. hic art. 4. ad 3. neg. conseq. quia id contingit ex defectu liberi arbitrii, non ex defectu divinæ misericordiæ, vel aliorum, quibus spes innititur.

Obj. III. Secundùm Trid. Sees. 6. cap. 13. in auxilio Dei firmissimam spem collocare et reponere debemus: ergo spes omnino certa est.

R. Spes omnino certa est quantùm ad objectum, et quantùm ad ea, quibus spes innititur: adjunctum tamen habet timorem, quantùm ad eventum, et ea, quæ requiruntur ex parte nostra.

N. 104. DE DONO TIMORIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 19.

I. *Deus potest timeri* II. *Ob malum pœnæ et culpæ.* III. *Timor dividitur* IV. *In mundanum, servilem, filialem et initialem.* V. *Mundamus quandoque est distinctum peccatum.* VI. *Timor filialis.* VII. *Servilis.* VIII. *Initialis.* IX. *Filialis Specie differt à servili.* X. *Non tamen ab initiali.* XI. *Cum charitate augetur.* XII. *Secundùm actum principalem.*

AN Deus potest timeri?

I. R. Cum. S. Thom. art. 1. affirmativè, non quidem tanquam aliquod malum, sed tanquam à quo malum imminet.

II. Porrò hoc malum duplex est, malum culpæ scilicet et malum pœnæ. Posterius ab ipso Deo ut authore provenit, estque solum malum secundùm quid, inquantùm privat aut tollit aliquod particulare bonum; sed est bonum simpliciter, inquit S. Thom. ac de eo dicitur Amos cap. 3. V. 6. "si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit." Alterum non est ab ipso, ut culpa est, sed quatenùs aliquid à culpa diversum, eâque posterius (et vocatur separatio à Deo, offensa illius et ira) sic ab ipso quoque, tametsi impropriè infligi consideratur: Deus itaque timeri potest, quatenùs vel timetur pœna ab ipso offenso infligenda, vel quatenùs ipsa timetur offensa divina, quam culpa infert.

Insuper timeri dicitur Deus timore reverentiali, qui in genere consideratus pro objecto habet majestatem et eminentiam illius qui timetur.

Quomodo dividitur timor, prout ordinem dicit ad Deum secundùm conversionem vel aversionem ab ipso?

III. R. S. Thom. art. 2. illum dividit in timorem mundanum, seu humanum, servilem, initialem et filialem.

IV. Convenientiam hujus divisionis probat S. Th. ex eo, quòd vel homo à Deo propter malum, quod timet, recedat: et tunc timor mundanus appellatur: vel ad Deum convertatur timore pœnæ sibi infligendæ, et est timor servilis: vel ad Deum convertatur timore culpæ seu offensæ, et vocatur timor filialis: quòd si ob utrumque malum culpæ et pœnæ ad Deum accedat, timor initialis nuncupatur.

Quis igitur timor dicitur mundanus?

R. Is, quo malum aliquod ita timetur, ut homo ad illud effugiendum paratus sit Deum offendere: unde timor mundanus, sicut et amor mundanus, ejus origo, semper est malus. Ab illo timore dehortatur nos Christus dicens Matth. c. 10. "Nolite timere eos, qui occidunt corpus."

An timor mundanus est peccatum distinctum ab eo peccato, quod ex eo timore committitur?

V. R. Est aliquando distinctum peccatum, aliquando non.

1°. Si quis sic timeat amissionem boni temporalis, ut actu vel virtute paratus sit potiùs quodcumque peccatum mortale committere, quàm boni illius jacturam pati; timor ille est peccatum distinctum ab eo, quod ex isto timore fit; et ita si quis ex isto timore, v. g. pejeret, timor est peccatum distinctum à perjurio: quia illa prior voluntas est pejor, quàm perjurium, quod ex illa committitur: unde in confessione exprimere debet pœnitens, quòd similem timorem habuerit, et ex eo commiserit perjurium.

2°. Quando timor est de amissione rei illicitæ, tunc timor ille etiam est peccatum distinctum ab illo, quod ex isto timore committitur: ita si quis timens ne possit adulterari, pejeret, distincta erunt peccata timor, et perjurium.

3°. Quando timor est de amissione rei indifferentis, si quis ex tali timore aliquod peccatum committat, timor ille non est peccatum distinctum à peccato, quod ex isto timore committitur: ratio est, quòd timor ille non sit vitiosus ex alio capite, quàm quia tali transgressioni conjungitur; ita si quis timens honoris sui jacturam, pejeret, unicum committit peccatum, scilicet perjurium; aliud esse posset, si ante proposuisset ex tali timore peccare.

Quis timor vocatur filialis?

VI. R. Ille, quo timetur offensa Dei: dicitur filialis, quia probi filii solent mandatorum patris transgressionem timere, ne eum offendant, et ei displiceant.

VII. Timor dicitur servilis, quo timetur pœna à Deo infligenda, eo modo, quo servi solent præcipuè timere pœnas sibi à Domino infligendas.

VIII. Timor initialis, inter servilem et filialem medius, ille est, quo timetur utrumque, offensa et pœna, offensa primariò, pœna secundariò: vocatur initialis, quasi initialiter filialis, proveniens ex affectu filiali, sed nondùm ita forti, quin adhuc fulciri debeat consideratione pœnarum, et deinde quia reperiri solet in hominibus initio suæ conversionis.

Qualis est timor pœnæ damni?

R. Distinguendo: si pœna illa timeatur solùm ut malum nostrum, timor ille pertinet ad servilem: si verò pœna illa timeatur tanquam separatio ab amico, spectat ad timorem filialem.

An timor servilis et filialis specie differunt?

IX. R. cum S. Thom. art. 5. affirmativè: quia habent objecta formalia specie distincta: objectum enim timoris servilis est malum pœnæ, quod est malum nostrum, et timoris filialis est malum culpæ, quod timetur ut malum quodammodo Dei, quia illi injuriosum.

An etiam timor initialis specie differt à filiali?

X. R. cum. S. Thom. art. 8. negativè: quia habet idem objectum primarium, scilicet offensam Dei, adeo ut solùm differant penes perfectum et imperfectum.

An crescente charitate minuitur timor?

XI. R. cum S. Thom. art. 10. minuitur timor servilis, sed augetur timor filialis: quia quantò magis quis diligit aliquem amore amicitiæ, tantò magis timet ei displicere, et tantò minus timet pœnas.

An timor manet in Cœlo?

R. cum. S. Thom. art. 11. nullo modo in Cœlo remanet timor servilis; quia ibi nulla pœna timenda propter securitatem beatitudinis. Timor tamen filialis in Cœlo perseverat et perficitur juxta illud Psalmi 18. V. 10. "Timor "Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi."

XII. Pro quo observa ex S. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 4. quòd timor filialis habeat duos actus, scilicet: 1°. timere separationem à Deo: et quantùm ad hunc actum non manet in Cœlo: et 2°. revereri Deum, et quantùm ad hunc actum manet: nam Beati considerantes celsitudinem Dei et suam

tenuitatem, summâ animi submissione Deum venerantur, cum quâdam etiam fugâ curiosæ investigationis tantæ Majestatis; unde hic timor communiter vocatur reverentialis.

Quo sensu dicitur 1. Joannis cap. 4. V. 18. "Timor "non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit "timorem?"

R. Intelligi potest de timore sumpto pro anxietate opposita fiduciæ, aut bonæ conscientiæ, vel de timore servili, quatenùs charitas expellit servilitatem, et timorem ipsum quoad substantiam diminuit.

N. 105. DE TIMORE SERVILI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 4.

I. *Timor servilis bonus secundùm substantiam.* II. *Timor serviliter servilis malus est.* III. *Timor servilis pertinet ad spem.*

AN timor servilis est bonus?

I. Respondet S. Thom. quòd timor servilis secundùm suam substantiam bonus sit, sed quòd servilitas ejus sit mala.

Quòd timor servilis secundùm substantiam bonus sit, ex eo probatur: quia nihil aliud secundùm substantiam est quàm timor pœnæ; pœna autem v. g. gehennæ meritò timetur: ergo, &c.

Idem probatur ex Matth. cap. 10. V. 28. ubi dicit Christus: "Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere "in gehennam."

Item ex Conc. Trident. Sess. 6. can. 8. "Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei "de peccatis dolendo, confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit." Et Sess. 14. cap. 4. docet, timorem gehennæ si voluntatem peccandi excludat, esse donum Dei, et Spiritûs Sancti impulsum, ac hominem disponere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.

Probatur etiam ex condemnatione propositionum Quesnelli in Bulla "Unigenitus," à 60. usque ad 64. item ex 14. et 15. proscriptis ab Alexandro VIII.

Tandem timor ille potest ordinari in Deum, sicut in finem quod contingit in habente charitatem, ut docet S. Thom hìc art. 4.

In quo consistit istius timoris servilitas, quam dicit S. Thom. esse malam ?

R. In eo, quòd ille, qui sic timet, non magis adhuc timeat offensam, et hoc sensu negativo pœna timeatur, tanquam principale malum: deinde quòd timor ille non referatur ad Deum ut finem ultimum; quo sensu intelligi potest illud S. Augustini Enchiridii cap. 12. "Qui timore "pœnæ aliquid facit, etsi bonum sit, quod facit, non tamen "benefacit."

Ex his itaque patet, quomodo timor ille maneat in substantia bonus : quia istæ omissiones, seu illa servilitas non est de substantia talis timoris, et tantùm afficit ipsum timentem, non timorem, cui extrinseca est, simili modo, quo informitas non est de substantia fidei informis, sed ei extrinseca.

II. Observa tamen, esse timorem quemdam servilem, qui servilitatem ipsam includit, sive ad cujus substantiam ipsa servilitas pertinet : et hic ab aliquibus vocatur timor serviliter servilis, vel positivè servilis, vel etiam servilis ex parte objecti et subjecti, scilicet dum pœna æque aut plus timetur, quàm justus timet aut timere debet offensam Dei, vel dum pœna comparatur cum offensa, et comparativè plus aut æquè timetur pœna, quàm offensa : talis timor essentialiter malus est : quia finis ultimus constituitur in creatura, pro quo vide Num. 5. "de Actibus Humanis."

Similiter dicitur quis timorem serviliter servilem habere, dum ita timet pœnam, ut actualiter vel virtualiter paratus sit peccare, si pœna non esset : et hic timor reperiri potest in consuetudinariis, in occasione proxima constitutis, &c. de hoc timore intelligendus est S. Aug. sermone 15. "de "verbis Apostoli" dicens : "Qui timore pœnæ non con-"cupiscit, puto quia concupiscit."

Objicies contra ante dicta : Servilitas est de substantia timoris purè servilis, cùm timor ille ut talis non possit esse sine illa servilitate : ergo timor servilis malus est etiam secundùm suam substantiam.

R. Neg. antecedens : quia timor ille tantummodo connotat servilitatem tanquam connexam, prout informitatem seu absentiam charitatis connotat fides informis.

Deinde etiam servilitas potest abesse ab illo timore, ut patet in habente charitatem.

Obj. II. Inordinatum est, minus malum plus timere quàm majus ; atqui timor servilis plus timet pœnam quàm culpam : ergo est inordinatus.

R. Dist. maj. inordinatum est plus timere minus malum, comparando illud ad majus malum, conc. maj. inordinatum est minus malum plus timere, si illud "plus" accipiatur negativè, et sinè comparatione ad majus malum, neg. maj. unde timor servilis negativè tantùm dicitur plus timere pœnam quàm culpam, sicuti quis negativè plus diligit fratrem quàm patrem, dum diligendo fratrem non cogitat de patre.

Petes, ad quam virtutem pertineat timor servilis ?

III. R. Pertinere ad virtutem spei : quia sicuti per spem desidero Dei possessionem ; ita per eandem detestor peccata ac pœnas gehennæ inde promeritas, quatenùs sunt exclusiva possessionis summi boni.

N. 106. AN TIMOR SERVILIS POSSIT EXCLUDERE VOLUNTATEM PECCANDI ?

I. *Timor servilis potest excludere voluntatem peccandi absolutam,* II. *Non tamen antecedentem.*

LUTHERUS docuit timorem servilem non tantùm esse malum, sed etiam facere hominem hypocritam, ac magis peccatorem : quem errorem proscripsit Leo X. et Concil. Trident. Sess. 6. can. 8. Doctrina hæc à Quesnello renovata iterum proscripta fuit in Bulla "Unigenitus."

I. Dicendum igitur, quòd timor servilis excludere possit voluntatem peccandi absolutam et consequentem ; prout supponit Trid. Sess. 14. cap. 4. dum de attritione orta ex timore dicit. "Si voluntatem peccandi excludat."

Sed gravis est controversia, an timor servilis se solo possit excludere omnem voluntatem peccandi etiam antecedentem, non quidem importantem affectum actualem vel virtualem peccati, qui utique peccatum actuale foret, sed tantùm voluntatem antecedentem et dispositionis habitualis contractæ ex peccato commisso, et habitualiter manentis, donec retractetur ?

II. R. Ad hanc quæstionem Augustiniani et plerique Lovanienses respondent negativè : quia juxta principium S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. timor per se non excludit omne involuntarium secundùm quid ; et hinc 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2. expressè dicit : "Qui timore pœnæ ab aliquo "peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato "recedit ; sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ "abstinet à peccato."

Ratio est, quòd timor servilis versetur circa peccatum ut pœnæ inductivum; atqui affectus vitans peccatum ut pœnæ inductivum, non est contrarius affectui peccati secundùm se: ergo timor servilis se solo illum non penitus retractat nec excludit: nam ut dicit S. Aug. lib. 2. "contra adversa- 'rium legis." cap. 7. "Desiderium peccandi non extin- 'guitur, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides 'per dilectionem operatur."

Obj. Timor potest tollere omne illud, quod est causativum timoris; atqui ille affectus peccati non penitus retractatus est causativus timoris: ergo timor se ipso solo potest illum tollere.

R. Disting. maj. timor potest tollere omne illud, quod est causativum timoris, imperando et impetrando alios actus, concedo maj. timor potest tollere omne illud, quod est causativum timoris, se solo, neg. maj. patet, quia aliàs timor se solo deberet posse tollere defectum actûs spei et charitatis, in casu, quo aliquis obligatus elicere istos actus, timeret propter eorumdem omissionem incurrere gehennam: sicuti ergo in hoc casu timor non potest tollere defectum spei et charitatis, nisi introductis istarum virtutum actibus, ita in alio casu timor non potest tollere affectum peccati secundùm se, nisi introductâ sufficienti displicentiâ peccati secundùm se, seu contrario desiderio rectè faciendi, ut loquitur S. August.

Obj. II. Timor juxta antedicta potest excludere voluntatem peccandi absolutam: ergo etiam voluntatem antecedentem, quod minus est.

R. Neg. conseq. ratio disparitatis est, quòd ad excludendam voluntatem absolutam, sufficiat absoluta voluntas omittendi peccatum, ex quocumque motivo procedat; sed ut excludatur voluntas antecedens debet peccatum displicere secundùm se, seu potiùs non placere: unde plus requiritur ad excludendam voluntatem antecedentem quàm absolutam.

Obj. III. Doctrina quæ negat per timorem excludi omnem peccandi voluntatem videtur damnata in hac 64. propositione Quesnelli: "Timor non nisi manum cohibet: "cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore "justitiæ non ducitur."

R. Sensus prioris partis propositionis est, quòd timor tantùm cohibeat manum seu opus externum peccati, sicque internè adhuc peccetur: juxta nos autem timor non tantùm cohibet actum externum, sed etiam internum correspondentem, item internum completum, ut iræ, superbiæ, &c. etiam

actum internum inefficacem seu conditionatum circa actum externum, v. g. peccarem si non esset infernus.

In secunda parte "cor autem," &c. intelligitur affectus actualis vel virtualis peccati, ut patet ex propositione 62, in qua dicitur, quòd ille, qui solo timore pœnæ abstinet à peccato, illud in corde committat. Verùm voluntas antecedens nullum importat actuale peccatum, cùm supponatur habitualis.

N. 107. DE DESPERATIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 20.

I. *Vitia spei opposita.* II. *Desperatio,* III. *Potest esse sinè infidelitate.* IV. *Desperationis gravitas.* V. *Ejus origo.* VI. *Remedia contra desperationem.*

QUÆNAM sunt vitia spei opposita?

I. R. Principaliter et directè hæc duo, desperatio et præsumptio: prior opponitur per defectum, altera per excessum.

Quid est desperatio?

II. R. Est diffidentia assequendi beatitudinem vel media ad illam: igitur desperatio non consistit in omissione actûs spei, aut in mera non expectatione: sed in quodam positivo recessu à beatitudine vel à mediis tanquam quæ sunt obtentu impossibilia, vel nimis difficilia, vel non futura.

Collige, quòd, sicut spes, ita desperatio opposita resideat in ipsa voluntate; adeo ut sit quædam nolitio prosecutionis beatitudinis. Hinc judicium, quo quis putat, se à beatitudine excludendum, non est propriè desperatio, etsi sit quid prævium et inducens ad desperationem. Imò, ut observat Herincx, cum tali judicio, saltem non plane firmo, sed formidoloso, potest consistere actus spei, quo quis nihilominus velit ad beatitudinem contendere, si fortè sit misericordiæ locus.

An desperans semper amittit fidem, cùm, dicere beatitudinem esse impossibilem, hæreticum sit?

III. R. Cum. S. Thom. art. 2. negativè: quia potest quis judicio universali speculativè judicare in Ecclesia esse remissionem peccatorum ac beatitudinem æternam, quod ad fidem pertinet, etsi erret judicio particulari practico, quo apprehendit, quòd Deus non sit ipsum salvaturus: ac ideo non sit ipsi sperandum. Sicut, ut dicit S. Thom. eligens fornicationem errat in judicio particulari practico, cùm

tamen retineat universalem æstimationem veram secundùm fidem, scilicet fornicationem esse peccatum mortale.

Error autem ille provenire potest ex eo, quòd quis ex aliquibus conjecturis putet, se non esse prædestinatum, sive sibi non esse dandam gratiam, quâ pœniteat, vel quòd videat, se ita intricatum peccatis, ut reputet quasi impossibile, sese extricare, et ideo animum despondeat.

Quantum peccatum est desperatio?

IV. R. Cum S. Thom. art. 3. est peccatum gravius, quàm quod opponitur virtutibus moralibus: quia spes est virtus dignior; est tamen peccatum ex specie sua minus, quàm odium Dei, vel infidelitas; quia hæc sunt contra Deum secundùm quod est in se: desperatio autem est contra Deum, secundùm quod ejus bonum à nobis participatur.

Insuper notat S. Thom. in "Corp." quòd, licèt hoc peccatum non sit omnium gravissimum, sit tamen præ cæteris periculosius: quia per spem revocamur à malis, et ad bona adducimur, ac ideo sublatâ spe, homines irrefrænatè ruunt in vitia juxta illud Jeremiæ c. 18. V. 12. "Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus."

Hæc intellige de desperatione plenè deliberatâ; aliud namque est de desperationis motibus non plenè deliberatis, ortis sæpe ex tentatione diaboli, vacuitate cerebri, complexione malancholicâ, &c.

Undenam oritur desperatio?

V. R. Proximè oritur ex apprehensione, quâ quis judicat, se à beatitudine excludendum.

Remotè oritur ex acedia, tristitia et dejectione animi, quâ quis reputat nimis difficile esse bene vivere; atque ita refugit labores bonorum operum, et beatitudini quodammodo renuntiat.

Nonnunquam etiam oritur ex luxuria: quia per eam homo ita carnalis efficitur, ut spiritualia fastidiat, vel quia istæ delectationes ita sunt adhæsivæ, ut facilè quis apprehendat, se animum ab illis nunquam aversurum: et hoc modo etiam ex aliis peccandi affectibus oriri potest desperatio.

Quænam sunt remedia contra desperationem?

VI. R. Alia sunt remedia specialia contra causam remotam, ut contra acediam, quæ breviter habes Num. 147. "de peccatis," et contra luxuriam, vide Num. 298. "de speciebus luxuriæ." Generatim remedia esse possunt firma fides de misericordia Dei erga peccatores, consideratio amoris Christi, qui in crucem actus Patrem pro suis

crucifixoribus oravit, ut nos doceret, tametsi illum proprii manibus crucifixissemus, nihilominus hanc noxam se nobi condonaturum lubentissimè.

Proponi etiam utiliter poterunt exempla peccatorum, qu magni evaserunt Sancti, ut David, Magdalena, Augustinus &c. vide plura apud Du Jardin.

In promptu habeat Confessarius loca ad spem provocantia qualia multa sunt magnæ energiæ in Scriptura Sacra.

Denique desperantes benignè debent suscipi à Confessario et haberi tanquam tales, qui sunt in gravi vel extrema ne cessitate ob periculosissimam eorum dispositionem.

N. 108. DE PRÆSUMPTIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 21.

I. *Pelagiana*, II. *Calviniana*. III. *Præsumptio per s levior est quàm desperatio*. IV. *An tollat habitum spei* V. *Ejus origo*. VI. *Remedia*.

QUID est præsumptio, vitium spei oppositum?

R. Est temeraria expectatio beatitudinis vel mediorum ad illam.

Quotupliciter peccatum hoc committi potest?

I. R. Tripliciter, sive triplex est quasi præsumptionis species: prima est, quâ beatitudo expectatur, non propriè ex bonitate aut gratia Dei, sed sine speciali auxilio Dei, ex propria virtute, seu propriis viribus, quomodo Pelagiani præsumebant; et hinc præsumptio hæc Pelagiana vocatur.

II. Secunda est, quæ innititur inordinatè bonitati Dei, quomodo scilicèt salus expectatur à sola Dei misericordia et liberalitate, Christique meritis absque propria pœnitentia et coöperatione per bona opera: talis est nostrorum sectariorum præsumptio, qui per solam fidem in Christum sine bonis operibus beatitudinem expectant. Hæc species, ait S. Thom. art. 1. ad. 1. gravior est, quàm præcedens.

Tertia species præcedentibus levior, quâque non raró laborant ipsi Catholici, illa est, quâ quis quidem confidit in auxilio divino, ac mediis, quibus Deus salutem dare decrevit; sed excedit in eo, quòd temerariè sibi hæc media polliceatur in vita vel in fine vitæ, v. g. per intercessionem Divæ Virginis, cui quidam satis esse credunt, si quidpiam in ejus honorem facere soleant, quamquam interim de emendatione vitæ non curent.

Utrum peccatum est majus, præsumptio an desperatio?

III. R. cum. S. Thom. art. 2. gravior est desperatio: quia magis proprium est Deo misereri et parcere, quàm punire, propter infinitam ejus bonitatem; illud enim convenit Deo secundùm se, hoc autem secundùm nostra peccata.

An peccare sub spe veniæ, peccatum auget vel minuit?

R. Cum S. Thom. a. 2. ad 3. "Peccare cum proposito "perseverandi in peccato sub spe veniæ, ad præsumptionem "pertinet, et hoc non minuit, sed auget peccatum: peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum "proposito abstinendi à peccato et pœnitendi (non tamen "in fine vitæ tantùm) de peccato, hoc non est præsumptionis; sed peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minùs firmatam ad peccandum."

Infert Peringuè:

1°. In confessione exprimendum esse, quòd quis peccaverit ex motivo se in fine vitæ convertendi: quia præter peccatum ex hoc motivo commissum, præsumptionis vitium incurrit.

2°. In confessione exprimendum esse, si quis hodie peccet mortaliter, quia equidem cras aliud peccatum mortale debet confiteri, hoc prætextu, quòd utrumque eâdem confessione sit remittendum: quia talis præsumit tam facilem esse plurium quàm unius veniam.

An per præsumptionem amittitur habitus spei?

IV. R. Amittitur per præsumptionem primæ et secundæ speciei: tertia verò non videtur tollere habitum spei: quia rationem et fundamentum ejus non destruit.

Ex quo fonte oritur præsumptio?

V. R. cum S. Thom. art. 4. quòd, si propriæ virtuti innitatur, procedat ex vana gloria: si autem inordinatè innitatur divinæ misericordiæ vel potentiæ, oriatur directè ex superbia: quia talis tanti se æstimat, ut se non putet ob peccata à beatitudine excludendum.

Quænam sunt remedia contra præsumptionem?

VI. R. De remediis præsertim contra vanos præsumptionis tertiæ speciei prætextus, consule Du Jardin "de Officio "Sacerdotis:" eis adjunge opera humilitatis, aliaque quæ corrigunt superbiam.

Nota, cùm frequentius peccetur per præsumptionem, quàm per desperationem, in publico contra illam magis, quàm contra hanc, agendum est.

N. 109. DE PRÆCEPTO SPEI.

S. Thom. 2. 2. quæst. 2. 2. a. 1.

I. *Præceptum spei negativum,* II. *Et affirmativum.* III. *Quod obligat per se,* IV. *Et per accidens.* V. *Casus, quo alicui revelaretur sua damnatio.* VI. *Status amoris indifferentiæ est fictitius.*

AN datur aliquod præceptum spei?

I. R. Affirmativè: nec tantùm datur præceptum spei negativum, quo vetatur desperatio, præsumptio, pusillanimitas, incuria salutis, &c. sed etiam datur præceptum spei affirmativum, quo actum spei elicere obligamur.

II. Dari præceptum spei affirmativum probatur ex Psalm. 61. V. 9. "Sperate in eo omnis congregatio populi," &c.

Probatur etiam ex condemnatione hujus propositionis damnatæ ab Alexandro VII. "Homo nullo unquam vitæ "suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, "ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinen-"tium."

Deinde spes est necessaria dispositio ad justificationem, ut docet Trident. Sess. 6. cap. 6. ergo, &c.

Quandonam obligat præceptum spei affirmativum?

R. Obligat aliquando per se, aliquando per accidens.

III. Obligat per se, 1°. in initio usûs rationis.

2°. In fine vitæ seu periculo mortis.

3°. Dum insurgit tentatio contra spem, quæ non nisi per actum spei creditur superanda.

4°. Sæpius in decursu vitæ, ita ut homo dicere possit cum Psalmista Psalm. 41. "Quemadmodum desiderat cer-"vus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, "Deus."

Unde ait Steyaert, fortè non rariùs obligat, quàm præceptum fidei, adeoque singulis diebus, ut de præcepto fidei dictum est Num. 42.

Pro quotidiano spei exercitio servit attenta recitatio Symboli et præcipuè Orationis Dominicæ, quâ petitur: "Ad-"veniat regnum tuum."

IV. Obligat præceptum spei per accidens, quotiescumque urget præceptum alterius virtutis, vel Sacramenti alicujus suscipiendi, vel tentationis vincendæ, pro quibus prærequiritur actus spei, ut dum urget præceptum contritionis vel orationis, requiritur etiam, ut saltem virtualiter et implicitè speretur venia peccatorum, aliudve quod petitur.

An ille, cui divinitùs revelaretur sua damnatio, teneretur adhuc sperare?

V. R. Quæstionem hanc inutilem esse, cum supposi-tum illud nunquam evenerit nec eventurum sit, ut docet S. Thom. "de Veritate" quæst. 23. art. 8. ad 2. unde qui hujusmodi adferrent revelationes, habendi forent tanquam imaginarii, scrupulosi, desperantes vel fraudulenter mali: et quidem si revelatio hujusmodi supponeretur, non deberet accipi tanquam absoluta prædictio, sed tanquam comminatoria et conditionata, ut prædictio Jonæ: "Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur."

Quid interim si supponeretur, etsi id nunquam eventurum sit, alicui factam esse revelationem suæ damnationis tanquam absolutam prædictionem?

R. Quòd in tali supposito ille non posset, adeoque non teneretur ampliùs sperare: quia non posset prudenter judicare beatitudinem sibi esse futuram: non posset tamen positivè desperare seu beatitudinem reprobare aut contemnere: quia hoc est intrinsecè malum.

Posset interim talis beatitudinem concupiscere et desiderare inefficaciter: quia desiderium inefficax est de bono secundùm se, abstrahendo ab hoc, quod futurum sit vel non.

An potest dari status in hac vita, in quo homo tam purè Deum diligit, ut non ampliùs attendat ad bonum proprium, sed tantùm ad bonum Dei, sicque evadat planè indifferens ad beatitudinem et damnationem, nec debeat ampliùs elicere actum spei, utpote respicientem Deum ut bonum nostrum?

VI. R. Talem statum adstruebat liber, cui titulus "Maximes des Saints," quem Innocentius XII. anno 1699. proscripsit, et 23 propositiones ex eodem excerptas condemnavit; ex quibus sufficienter patet talem statum esse fictitium, nec dari posse.

Repugnat etiam Scripturæ Sacræ Matt. cap. 6. ubi Christus dicit: "sic orabitis,...adveniat Regnum tuum:" etiam adversatur praxi Sanctorum, qui ardenter cupierunt dissolvi, ac esse cum Christo.

Deinde status ille ducere poterat in errores damnatos, maximè Quietistarum, collocantium statum perfectionis in mera quiete, seu in statu merè passivo, sinendo Deum in nobis agere sine nobis.

N. 110. DE PRÆCEPTO TIMORIS.

S. Thom. 2. 2. quæst. 22. art. 2.

I. *Datur præceptum de timore servili.* II. *Per accidens.* III. *De filiali etiam per se.*

AN de timore etiam datur præceptum?

I. R. De timore servili non videtur dari præceptum per se obligans, cùm non appareat ratio, ob quam homo per se pœnam timere debeat, unde Trid. Sess. 6. cap. 6. tantùm dicit, quòd peccatores "utiliter" timore concutiantur, non autem dicit "necessariò."

II. Potest tamen de timore servili dari præceptum per accidens, quomodo nimirum talis timor necessarius est, ut vitetur peccatum, vel in eo non hæreatur.

III. De timore filiali datur præceptum speciale, sicut de charitate, ex qua oritur et quam fovet: hinc dicitur Deut. cap. 10. V. 20. "Dominum Deum tuum timebis;" et Psal. 33. V. 10. "Timete Dominum omnes Sancti ejus."

An in nobis major debet esse spes, an timor?

R. Etsi, quamdiu in via sumus, inter spem et timorem incedere debeamus, ac respectu quorumdam peccatorum, timor damnationis meritò sit major, quàm spes salutis; ordinariè tamen spes major esse debet quàm timor: quia timor nascitur ex consideratione nostræ infirmitatis, spes verò innititur misericordiæ Dei omnipotentis, quæ major est quàm nostra infirmitas; "Potens est enim Deus omnia "facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus."

TRACTATUS

DE

VIRTUTE CHARITATIS.

N. 111. DE VARIIS VIRTUTIS CHARITATIS ACCEPTIONIBUS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 23.

I. *Amor, dilectio et charitas distinguuntur.* II. *Propositio damnata.*

PRÆNOTANDUM, quòd sicut Fides et Spes, ita etiam Charitas varias acceptiones patiatur.

1°. Accipitur pro familiaritate et amicitia naturali, ut 2. Mach. cap. 24. V. 26.

2°. Pro amore essentiali et increato, prout 1. Joan. cap. 4. V. 8. "Deus Charitas est."

3°. Pro ipso actu dilectionis, quo Deus nos diligit, ut Jerem. cap. 31. V. 3. "In charitate perpetua dilexi te."

4°. Pro amore personali, seu Spiritu S. ut in hymno Ecclesiæ: "Fons vivus, ignis, charitas," &c.

5°. Magis famosè sumitur pro habitu voluntatem elevante ad amandum Deum amore benevolentiæ, ut 1. ad Cor. cap. 13. V. 13.

6°. Sæpe à Theologis accipitur pro actu istius habitûs, vel qui saltem intuitu objecti formalis charitatis exercetur, vices habitûs supplente divinæ gratiæ auxilio.

Quomodo distinguuntur hæc tria, amor, dilectio, charitas?

I. R. Theologi ex hodiedum sic distinguunt, ut amor latiùs pateat quàm dilectio, et dilectio quàm charitas: et 1°. amor accipitur in bonam et malam partem, etiam pro amore appetitûs sensitivi; dilectio ferè pro amore honesto appetitûs rationalis, eoque benevolo.

2°. Charitas in bono tantùm sensu accipitur, residetque in appetitu rationali, et frequenter sumitur pro habitu vel pro actu à charitate elicito; sed dilectio sæpius accipitur pro actu, et dicitur amor ille, quo peccator Deum diligere incipit, sic tamen ut se solo non justificet: et ita amor, quo

Deus super omnia, sed tantùm affectu, diligitur, vocatur dilectio, non charitas.

Notandum tamen 1°. quòd Lovanienses et Augustiniani vocem "charitas" latiùs accipiant, eam dividentes in perfectam, quæ se sola, id est, sinè Sacramenti susceptione hominem justificat, et in imperfectam, quæ per se non justificat: atque hæc dilectio dicitur charitas: quia habet idem objectùm formale et materiale cum actu elicito ab habitu charitatis, gratiâ actuali supplente vices habitûs: convenientiùs tamen hodie amor ille nuncupatur amor Dei benevolus vel dilectio Dei, qualis reperiri potest in Catechumeno et pœnitente nondum justificato.

2°. Quòd apud S. Aug. aliosque Patres, charitas nonnunquam latè et impropriè sumatur pro quacumque bona voluntate, etiam amore creaturæ moraliter tantùm honesto; et hoc sensu medium non datur inter cupiditatem et charitatem.

II. Quomodo ergo rectè damnata est hæc propositio 38. Baji: "Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est "cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibe"tur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum S. in "corde diffusâ Deus amatur?

R. Quia Bajus per charitatem hìc intelligit eam solam, quæ est effectu super omnia: charitas enim tantùm affectu super omnia, non est Bajo charitas; sed ad summum aliquod charitatìs indicium, aut debile incrementum.

Præterea inter charitatem propriè dictam et cupiditatem, quâ mundus diligitur, indubiè medius est quidam amor non vitiosus, quem Deus naturæ inseruit, quo parentes, amicos, liberos, conjuges, et quâcumque ratione propinquos diligimus: unde etiam meritò damnatæ sunt propositiones 44. 45. et 46. inter Quesnellianas.

N. 112. DE DEFINITIONE AC DIVISIONE CHARITATIS.

I. *Charitatis definitio.* II. *Divisio.*

QUID est charitas?

I. R. Infusa à Deo virtus, quâ Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum.

Quomodo dividitur charitas?

II. R. 1°. In habitualem jam definitam, et in actualem, quæ est actus ab habitu charitatis elicitus, vel saltem propter

motivum formale charitatis ex gratia actuali, exercitus, ut dictum est Num. superiori.

2°. Ex parte objecti in charitatem Dei et proximi.

3°. In charitatem viæ et Patriæ.

4°. A S. Thom. quæst. 24. art. 9. distinguitur secundùm triplicem gradum, et dicitur "incipiens, proficiens, et "perfecta," quæ distinctio est penes diversa officia charitatis: et ita "incipiens," est, dum mens charitatem habentis maximè occupatur, ut vitiis et tentationibus, quibus adhuc infestatur, resistat.

"Proficiens" principaliter incumbit profectui virtutis: "perfecta," dum homo, jam quietem à tentationibus ac facilitatem quamdam in operibus bonis consecutus, totus intendit contemplationi ac amori divino.

Potest et alio modo distinctio hæc accipi cum S. Aug. ut "incipiens" dicatur, quæ in justificatione infunditur, antequam operari incipiat; "proficiens" ab eo tempore quo incipit operari usque ad finem vitæ; et "perfecta," quæ est in patria.

N. 113. AN CHARITAS SIT AMICITIA HOMINIS CUM DEO?

S. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 1.

I. *Charitas est amicitia hominis cum Deo.* II. *Quæ bona homo vult Deo.* III. *Charitas detestatur peccata.*

I. RESP. cum S. Thom. quòd charitas Num. præc. definita sit vera inter Deum et hominem amicitia, juxta illud Joannis cap. 15. V. 14. "Vos amici mei estis."

Ratio est, quòd charitas hominis ad Deum includat quamdam benevolentiam mutuam cum quadam communicatione spirituali, cæterisque conditionibus ad amicitiam requisitis, de quibus optimè Wiggers.

Quænam bona vult homo Deo amore benevolentiæ seu charitatis?

II. R. Bona tum intrinseca, qualia sunt perfectiones Dei infinitæ, ut sapientia, potentia, &c. tum extrinseca, qualia sunt perfectionum ejus manifestatio, quòd Deus colatur, ametur à creaturis, &c.

Quomodo homo vult hæc bona Deo?

R. Bona intrinseca vult homo, complacendo sibi, quòd Deus hæc bona habeat: bona extrinseca, seu externam Dei Gloriam, honorem, cultum, &c. optando, exhibendo, et pro virili procurando, ac de exhibitis gaudendo.

III. Cæterum, sicut charitas bona hæc Deo vult, et de exhibitis gaudet, ita etiam odio habet et detestatur peccatum tanquam bono divino contrarium; ideoque charitas secum habere debet affectum voluntatis servandi omnia præcepta, ac vitandi omne peccatum saltem mortale, et desiderium efficax, ut idem à proximo præstetur.

N. 114. AN CHARITAS SIT ALIQUID CREATUM?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 2.

I. *Charitas est quid creatum.* II. *Quomodo Deus sit charitas.* III. *Quomodo habens charitatem sit in Deo.*

QUÆSTIO non est de charitate actuali; certum enim est, hanc esse aliquid creatum in anima, cùm sit actus, qui à voluntate nostra elicitur; sed agitur de charitate habituali, quam Petrus Lombardus, dictus magister sententiarum, docuit, non esse aliquid creatum in anima; sed ipsum esse Spiritum Sanctum animam inhabitantem, et voluntatem moventem ad actum charitatis sinè aliquo habitu mediante.

I. S. Thom. è contra, cujus sententiam Theologi unanimiter ut certam sequuntur, docet, charitatem habitualem esse aliquid creatum in anima.

Probatur ex Epist. ad Rom. cap. 5. V. 5. "Charitas "Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, "qui datus est nobis:" ubi apertè Apostolus charitatem distinguit à Spiritu Sancto, velut effectum à causa. Idem constat ex Trid. Sess. 6. cap. 7.

Obj. Dicitur 1. Joan. cap. 4. V. 16. "Deus Charitas "est:" ergo charitas non est aliquid creatum.

R. Neg. cons. Non enim in loco objecto sermo est de charitate, quâ nos formaliter dicimur Dei dilectores, vel justi, sed de charitate increata, quæ Deus est.

Dicitur autem Deus charitas,

II. 1°. Essentialiter in seipso, sicuti dicitur sapientia, bonitas, &c. per essentiam.

2°. Causaliter et efficienter: quia charitatem nobis infundit.

3°. Objectivè: quia est objectum nostræ charitatis.

Uno ex his modis solvenda sunt plura SS. Patrum præsertim S. Augustini loca.

Instabis: videtur S. Joannes agere de charitate, prout in nobis est: quia statim subjungit: "qui manet in charitate, "in Deo manet et Deus in eo;" atqui hæc verba intelliguntur de charitate, quæ in nobis est: ergo, &c.

III. R. Verum est, quòd verba illa intelligi videantur de charitate creata, quâ diligimus proximum, sed inde non sequitur, ita sumi debere verba præcedentia : sensus itaque est, quòd is, qui habet charitatem proximi, in Deo maneat et Deus in eo, sicuti dicitur manere in sole, qui manet in lumine à sole diffuso, et sol dicitur manere in loco, ubi est illud lumen.

Dicitur insuper manens in charitate in Deo manere : quia charitas est excellentissimum Dei donum, ratione cujus maximè Deo similes efficimur et divinæ consortes naturæ.

Item quia redditur amicus Deo cum quadam unione affectûs ratione cujus affectûs communiter dicitur : "Amicus, "alter ego" Addi possunt alia quædam, quæ charitas, tanquam amicitia inter Deum et hominem, importat.

Quid est istud creatum in anima, quod dicitur charitas habitualis ?

R. Est qualitas quædam permanens sive dispositio, quæ etiam in baptizatis ante usum rationis et in justis dormientibus invenitur, ut connaturaliter, per gratiam tamen, Deus diligatur, et cætera propter Deum.

An et quomodo charitas habitualis et gratia sanctificans distinguantur, dictum est Num. 3. "de Gratia."

N. 115. AN CHARITAS SIT VIRTUS SPECIALIS, UNA ET EXCELLENTISSIMA ?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 4. 5. *et* 6.

I. *Charitas est virtus specialis,* II. *Et una,* III. *Ac excellentissima.*

I. RESPONDETUR : charitas est virtus specialis : quia habet speciale objectum formale ; scilicet bonitatem Dei in se.

Quomodo igitur à Patribus quandoque vocatur generalis ?

R. Quia objectum charitatis est finis omnium virtutum, unde fit, quòd charitas per se actus aliarum virtutum possit imperare.

Quo sensu dicitur de charitate 1. ad Cor. c. 13. V. 7. "Omnia credit, omnia sperat," &c. ?

R. Non quia illi actus à charitate eliciuntur, sed quia ab illa imperantur.

An charitas est virtus una, cùm eâ diligatur Deus e proximus ?

II. R. Affirmativè: quia una tantùm est principalis ratio diligendi Deum et proximum, unusque charitatis finis, scilicet divina bonitas ac una communicatio æternæ beatitudinis, super quam fundatur amicitia charitatis.

An charitas est excellentissima virtutum?

III. R. Affirmativè, ut dicit Apost. 1. ad Cor. c. 13. V. 13. "Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc: "major autem horum est charitas."

Ratio est, quòd charitas Deum perfectissimo modo attingat, scilicet ut in se bonum: fides autem et spes, quatenùs ab ipso nobis provenit vel cognitio veri, vel adeptio boni, et utraque imperfectionem quamdam habet, scilicet fides obscuritatem, spes absentiam boni ardui: unde feliciter evacuantur in Patria, non charitas, quæ ibidem ratione objecti præsentis et intuitivè visi perficitur.

N. 116. AN SINE CHARITATE POSSIT ESSE VERA ALIQUA VIRTUS?

S. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 7.

I. *Sine charitate non datur virtus perfecta.* II. *Attamen imperfecta.* III. *Modi exponendi S. August. textum.*

I. RESP. Sine charitate habituali non potest esse simpliciter vera virtus, ut eam vocat S. Th. seu virtus perfecta: nam vera et perfecta virtus dicitur, quæ nos ordinat ad finem nostrum ultimum.

II. Sinè charitate tamen datur vera virtus, sed imperfecta, quæ quidem nos rectè ordinat ad fidem aliquem proximum seu particularem honestum, licèt nos non conjungat fini nostro ultimo.

Assigna aliquas virtutes, quæ possunt esse sine charitate.

R. Tales sunt virtutes fidei et spei, item virtutes naturales, seu philosophicæ, vel acquisitæ: hinc patet, quare damnata sit hæc propositio 25. inter Bajanas: "Omnia "opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes "sunt vitia."

Obj. S. Aug. frequenter docet, in infidelibus nullas reperiri veras virtutes, sed potius vitia, ut lib. 19. "de Civitate "Dei," cap. 25. et lib. 4. contra Julianum cap. 3. dicit: "Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus:" ergo sine charitate non datur vera virtus.

III. R. Neg. conseq. nam. S. Aug. per veras virtutes intelligit virtutes supernaturales et perfectas, quæ ad vitam

æternam conducunt: patet ex eodem cap. 3. contra Julianum: "Si ergo," inquit, "ad consequendam veram beatitudinem, quam vera fides nobis promittit, nihil prosint homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes."

2°. Virtutes illæ vitia sunt, seu peccata, dum, prout ab infidelibus fieri solet, exercentur ex fine pravo, et ex perversa intentione v. g. superbiæ, infidelitatis, &c.

Vide S. Thom. hic in "Corp." et ad 1.

3°. Vitia vocari possunt actus etiam moraliter boni, dum in Deum non referuntur: quia tamen peccatum tunc se non tenet ex parte objecti seu officii, sed tantùm ex parte agentis, ille loquendi modus non est promiscuè usurpandus.

Obj. II. S. Aug. lib. 15, "de Civit. Dei," c. 22. dicit, quòd definitio brevis et vera virtutis sit: "est ordo amoris;" ergo nulla potest esse virtus sinè charitate.

R. cum S. Thom. 1. 2. quæst. 62. a. 2. ad 3. quòd quælibet virtus dicatur "ordo amoris" inquantum ad quamlibet virtutem requiritur amor aliquis latè dictus seu ordinata quædam affectio: quod si intelligatur de amore charitatis, sensus est, non quòd quælibet alia virtus essentialiter sit charitas, sed quòd omnes aliæ virtutes aliqualiter à charitate dependeant, inquantùm nimirum charitas facit esse perfectas, earum actus imperat et dirigit, eisque vim merendi de condigno impertit.

No. 117. AN CHARITAS SIT FORMA ALIARUM VIRTUTUM?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 8.

I. *Charitas est forma virtutum accidentalis* II. *Quadruplici ratione.* III. *Quomodo sit plenitudo.*

I. RESP. Charitas est forma virtutum non intrinseca et essentialis, cùm aliæ virtutes esse possint sinè charitate, sed extrinseca et accidentalis.

Quâ ratione charitas dicitur forma aliarum virtutum?

II. R. 1°. Quia charitas ordinat actus aliarum virtutum ad finem ultimum, nempe Deum: finis autem in moralibus forma actuum habetur.

2°. Quia charitas omnibus virtutibus imperat, et virtutes per charitatem operantur.

3°. Quia charitas omnibus virtutibus tribuit statum meritorium.

4°. Quia insignem eis tribuit splendorem ac robur a perfectiùs ac frequentiùs earum actus eliciendos.

Quo sensu dicitur charitas plenitudo legis juxta illud a Rom. cap. 13. V. 10. "Plenitudo legis est dilectio?"

III. R. 1°. Quia charitas est causa efficiens et imperan ut omnes reliquæ leges impleantur.

2°. Quia charitas est finis et scopus legis; tota enim le intendit nos ducere ad charitatem.

3°. Quia charitas facit, ut homo perfectè legem adim pleat, et implendo mereatur, non sic qui caret charitate.

Sensus autem Apostoli esse videtur, quòd plenitudo, i est impletio, complementum et totalis legis observatio, qu parte nos ordinat ad proximum, de qua ante egerat, habe tur per dilectionem proximi.

Vel generaliter sensus esse potest: si, ut ostensum es dilectio proximi implet legem quoad officia debita proxim igitur dilectio simpliciter implet legem simpliciter et quo omnia, quod est argumentum à proportione. Ita Estius.

An modus charitatis cadat sub præcepto dictum est i "Tract. de Legibus" Num. 49.

N. 118. DE SUBJECTO CARITATIS.

S. Thom. 2. 2. quæst. 24.

I. *Charitas est in voluntate;* II. *Causatur in nobis pe infusionem,* III. *Non datur secundùm capacitate naturalium.*

QUONDAM est charitatis subjectum?

I. R. Subjectum remotum sunt habentes charitaten proximum est voluntas: quia objectum charitatis est bonun non sensibile, sed intelligibile et spirituale.

Quomodo charitas causatur in nobis?

II. R. Per infusionem Spiritûs S. juxta id ad Rom. ca 5. V. 5. "Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris pe "Spiritum Sanctum."

Non potest causari per causam naturalem: quia charit excedit facultatem nostræ naturæ: unde virtus per se infus dicitur.

III. Hinc deducit S. Thom. art. 3. quòd charitas no infundatur secundùm capacitatem naturalium, ac si natura lis perfectio vel opera viribus naturæ facta habeant rationel dispositionis ad gratiam, vel ad certam gratiæ quantitaten vel quasi pro suo beneplacito decrevisset Deus, dare gratia

majorem vel minorem, prout major vel minor est perfectio naturalis: sed causa charitatis est divina voluntas, "dividens singulis prout vult," ut dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 12. V. 11.

Hinc idiotæ et simplices majorem quandoque habent charitatem, quàm sapientes et docti, dicente Christo Matth. cap. 11. V. 25. "Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti "hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis."

Obj. I. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7. dicit, nos recipere in nobis justitiam, unumquemque secundùm mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, et secundùm propriam cujusque dispositionem, et cooperationem: ergo quantitas charitatis pendet etiam à propria dispositione.

R. Distinguendo consequens: ergo quantitas charitatis pendet à propria dispositione solis naturæ viribus facta, neg. cons. pendet etiam ex propria dispositione per gratiam facta, conc. totum: sed illa dispositio vel præparatio tota est à Spiritu S. plus vel minùs, secundùm beneplacitum suum, movente; quæ tamen dispositio dicitur homini propria, quia homo est, qui se disponit per gratiam.

Obj. II. S. Thom. 1. p. q. 62. art. 6. in "Corp." dicit, quòd Angeli, qui habuerunt naturales potentias perfectiores, habuerint majorem gratiam: ergo, &c.

R. Negando conseq. illa enim nobilior natura in Angelis fuit effectus destinationis ad majorem gratiam, non autem causa et motivum: unde fuit quidem in illis secundùm naturalia, non verò propter naturalia, ut latiùs explicat Daelman t. 3. obs. 2. Vide etiam N. 14. "de Gratia."

N. 119. DE AUGMENTO CHARITATIS.

I. *Charitas habitualis viæ.* II. *Non extensivè.* III. *Sed intensivè augeri potest.* IV. *Actualis utroque modo.*

AN Charitas potest augeri?

I. Nota 1°. Quæstionem esse de charitate viæ, non de charitate Patriæ; hæc enim semper in eodem statu perseverat.

Nota 2°. Quòd charitas habitualis dupliciter intelligi possit augeri, scilicet "extensivè" secundùm extensionem ad plura objecta, et "intensivè" secundùm intensionem habitûs.

II. R. 1°. Charitas habitualis non potest augeri "extensivè:" quia minima charitas, seu minimus charitatis

habitus se extendit ad omnia, quæ sunt ex charitate diligenda.

III. R. 2°. Charitas habitualis augeri potest "intensivè," idque in infinitum, hoc est, semper potest magis ac magis augeri sine termino.

Hinc in Conc. Viennensi damnatus est error Beguardorum et Beguinarum asserentium, hominem in hac vita tantum charitatis gradum attingere posse, ut ampliùs progredi non valeat.

IV. R. 3°. Charitas actualis augeri potest non tantum intensivè, sed etiam extensivè secundùm plura objecta, circa quæ uno tempore versatur et non alio; item fieri potest, quòd faciliùs et promptiùs charitas exeat in actum circa quædam, quàm circa alia, etsi propter eandem rationem sint diligenda.

An ergo quis non posset tandem acquirere tantam charitatem, quantam habuit Christus aut Diva Virgo?

R. cum S. Thom. 3. p. q. 7. art. 11. ad 3. negativè: quia in charitate nostra est quantitas diversæ rationis à quantitate charitatis Christi; gratia hominis comparatur ad gratiam Christi sicut quædam virtus particularis ad universalem, cùm gratia data sit Christo tanquam capiti et principio universali omnis gratiæ in cæteris hominibus. Nullus etiam justus charitatem Deiparæ attinget: quia, licèt charitas semper possit augeri, ex divina tamen præordinatione nullus tantum charitatis gradum assequetur.

Quibus mediis augetur charitas?

R. Principaliter et efficienter augetur infusione divinâ, sicuti producta est. Instrumentaliter per Sacramenta, signanter vivorum. Dispositivè et meritoriè per bona opera.

N. 120. AN QUOLIBET ACTU CHARITATIS AUGEATUR CHARITAS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 6.

I. *Charitas meretur augmentum.* II. *An illud detur pro quolibet actu.* III. *Alii probabiliùs affirmant.*

I. CONVENIUNT Authores cum S. Th. quòd quilibet actus charitatis, sive elicitus, sive imperatus, etsi habitu remissior, mereatur vitam æternam, non quidem statim, sed suo tempore dandam: item quòd quilibet actus charitatis mereatur charitatis augmentum.

Sed controvertitur, an istud augmentum statim detur in casu, quo actus est remissior habitu?

II. R. S. Th. et cum eo Thomistæ sustinent, quòd istud augmentum non statim detur, sed tunc demum, quando justus erumpet in actum ferventiorem, vel æqualem cum habitu; vel saltem in primo instanti glorificationis, in quo eliciet actum charitatis ferventissimum.

III. Wiggers, Steyaert, &c. non minùs probabiliter sustinent, augmentum illud, quod meretur actus remissior habitu, statim dari: quia istud augmentum est quoddam præmium boni operis, spectans ad hanc vitam, nec est ratio, quare differretur.

Hæc sententia, inquit Steyaert, ad praxim utilior videtur, et fidelium sensui magis accommodata, ut nimirùm homines etiam minima charitatis opera non negligant, quorum mercedem promittit Christus Matth. cap. 10. V. 42. "Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ...non perdet mercedem suam."

Obj. Virtutes acquisitæ non augentur, nisi per actus habitu intensiores: ergo nec infusæ.

R. Nego. conseq. Disparitas est, quòd habitus acquisiti physicè et efficienter ab actibus nostris generentur et augeantur; sed actus charitatis aliarumque virtutum infusarum, non efficienter, sed dispositivè et meritoriè ad augmentum sui habitûs concurrunt; nec Deus aliud à nobis exigit, ut bona collata augeat, quàm ut bene utamur acceptis.

Quà verò mensurâ aut proportione per singulos actus charitas augeatur, nos latet.

N. 121. AN CHARITAS IN HAC VITA POSSIT ESSE PERFECTA?

S. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 8.

I. *Charitas nostra ex parte objecti nunquàm.* II. *Ex parte subjecti tripliciter potest esse perfecta.* III. *Charitas viæ* IV. *Potest esse tam perfecta, quàm Patriæ.* V. *Hæc tamen perfectior est secundùm quasdam conditiones.*

I. RESPONDET S. Thomas, quòd charitas non possit esse perfecta, ex parte diligibilis, seu objecti: quia nunquam Deus à nobis tantùm diligi potest, quantùm diligibilis est et ex hac parte sola perfecta est charitas, quâ Deus seipsum diligit.

II. Ex parte verò subjecti seu diligentis charitas potest esse perfecta tripliciter.

1°. Quando totum cor hominis semper actualiter fertur in Deum; sed hæc est perfectio charitatis Patriæ, quæ in via possibilis non est ob varias hujus vitæ necessitates et occupationes.

2°. Dum homo studium suum deputat ad vacandum Deo, prætermissis aliis, nisi inquantùm necessitas vitæ præsentis exigit: et hæc perfectio paucorum est, ad quam tamen aspirare debent Ecclesiastici, præsertim Religiosi, qui statum perfectionis amplexi sunt.

3°. Quando quis habitualiter totum cor ponit in Deo, ita ut nihil cogitet aut velit divinæ legi graviter repugnans; et hæc perfectio communis est omnibus charitatem habentibus.

An charitas viæ potest esse tam perfecta, quàm in Patria sive in cœlo?

III. R. Charitas habitualis in via est essentialiter tam perfecta quàm in Patria; idem enim habitus viæ perseverat in Patria secundùm illud 1. ad Cor. c. 13. V. 8. "Charitas "nunquam excidit."

IV. Item charitas in via potest esse, tam intensa in uno, quàm in Patria sit in alio: sic v. g. D. Virgo in via certò habuit charitatem tam intensam, quàm v. g. parvulus in Patria: imò juxta Wiggers in eodem homine charitas in via potest esse æquè intensa, quàm in Patria, quod tamen negat Gonet, eò quòd Deus præmiet ultra condignum.

V. Secundùm quasdam tamen conditiones habitus charitatis in Patria semper perfectior est, quàm in via: quarum prima est, quòd charitas Patriæ habeat objectum præsens et possessum per visionem beatificam.

Secunda, quòd ab actu à nullo possit impediri.

Tertia, quòd semper actu tendat in Deum, omniaque in Deum actu referat.

Quarta, quòd semper secundùm totam latitudinem habitûs in Deum feratur.

Quinta, quòd charitas Patriæ sit inamissibilis.

Hinc Patres quandoque dicunt, perfectionem charitatis reservari Patriæ: sic etiam multi intelligunt illud Matth. cap. 11. V. 11. "Qui minor est in Regno Cœlorum, major "est illo," ac si diceret Christus: minimus Angelorum utpote comprehensor, major est Joanne Baptistâ; quamquàm ista sententia sic convenienter accipiatur, ut Christus seipsum designet, seseque modestè Joanni præponat, ut sensus sit: ego qui ætate, et hominum opinione minor sum

Joanne, major sum divinitate, potestate ac majestate in Regno Cœlorum.

N. 122. DE DIMINUTIONE CHARITATIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 10.

I. *Habitus charitatis minui nequit.* II. *Nisi quantùm ad fervorem.*

AN charitas viæ potest diminui?

R. Quæstio non est de charitate actuali; certum enim est, actus charitatis modò intensiores, modò remissiores esse: agitur ergo de habitu charitatis, et

I. Responsio S. Thomæ et communis est, quòd habitus charitatis non possit directè et essentialiter minui: quia id fieri deberet vel per peccatum mortale; verùm peccatum mortale non minuit, sed tollit habitum charitatis, vel id fieri deberet per peccatum veniale: sed hoc non contrariatur habitui charitatis, nec ulli ejus gradui, sed tantùm fervori charitatis, ut ait S. Thomas.

Accedit à posteriori argumentum: quia sequeretur, quòd sic tandem per plura venialia habitus charitatis destrueretur: certum autem est, non amitti charitatem, nisi per peccatum mortale; unde meritò contraria opinio, quam propugnare conati sunt Huygens et de Cock, ut antiquata novitas explodītur.

II. R. Secundo: Charitas tamen minui potest quoad exercitium et fervorem: unde per venialia peccata, vel etiam per cessationem ab actibus charitatis inducitur quædam dispositio ad corruptionem charitatis, ut ait S. Thom. hic in "Corp."

De illa diminutione intelligi possunt quædam Scripturæ Sacræ et SS. Patrum loca, ut Matth. cap. 24. V. 12. "Refrigescet charitas multorum," &c.

N. 123. DE AMISSIONE CHARITATIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 11. *et* 12.

I. *Charitas viæ potest amitti.* II. *Amittitur uno peccato mortali.* III. *Demeritoriè et quodammodo physicè.*

AN charitas viæ semel habita potest amitti?

I. R. Negarunt Joviniani, Beguardi et Beguinæ nec non Calvinistæ: contra quos omnes fide certum est, charitatem

viæ quantumvis perfectam amitti posse, nisi interveniat speciale privilegium, quale habuisse Divam Virginem, tenet Ecclesia. Ita definivit Conc. Tr. Sess. 6. cap. 12. 13. et 14.

Probatur ex Ezechiëlis c. 18. V. 24. "Si averterit se "justus à justitia sua et fecerit iniquitatem," &c.

Obj. dicitur 1. Joan. cap. 3. V. 9. "Omnis, qui natus "est ex Deo, peccatum non facit...Et non potest peccare:" ergo charitas non potest amitti.

R. 1°. Omnis, qui natus est ex Deo, non potest peccare in sensu formali, sive justus, quatenus justus seu quatenùs operatur ex charitate, non potest peccare etiam venialiter: quocum consistit, quòd peccare possit non agendo ut justus.

R. 2°. Et communiùs: non potest peccare in sensu composito, id est, fieri non potest, ut habens charitatem, peccet mortaliter retinens eandem, prout fœdissimi quidam hæretici tunc temporis volebant: quòd autem S. Joannes docuerit charitatem esse amissibilem, patet ex eodem cap. V. 7. "Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et "clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet "in eo?"

Obj. II. Dicit Apost. ad Rom. cap. 8. V. 38. "Certus "sum, quia neque mors, neque vita...V. 39. poterit nos "separare à charitate Dei:" ergo, &c.

R. Locus intelligitur juxta Græcos de confidentia, quâ Apostolus firmiter sperabat, Deum non permissurum, ut ab ejus charitate separaretur.

Juxta Latinos loquitur Apostolus in persona electorum, quos nihil potest separare à charitate, quâ Deus ipsos dilexit et elegit, ut faciat gloriæ suæ participes: vel si intelligatur de charitate, quæ inest electis, nihil potest eos finaliter separare à charitate, quâ Deum diligunt.

Observa, quòd hìc dicit S. Thom. ad 3. amorem Dei, quando est in homine, magna operari in proposito, non semper in actu: et hoc modo charitas in proposito excludit omnia motiva peccandi, sed non semper in actu: et ita dum charitas actu non agit, intervenire potest motivum peccandi.

An charitas amittitur per unum actum peccati mortalis?

II. R. Sic definivit Conc. Trid. Sess. 6. cap. 15.

"Non solùm infidelitate, sed etiam quocumque alio pec"cato mortali amitti charitatem et gratiam habitualem."

Deinde homo per charitatem fit amicus, per peccatum mortale inimicus Dei; atqui simul non potest esse amicus et inimicus Dei: ergo charitas non stat cum ullo peccato mortali.

Obj. Habitus fidei et spei non amittuntur per quodlibet peccatum mortale: ergo nec habitus charitatis.

R. Negando conseq. Disparitas est, quòd per quodlibet peccatum mortale non destruatur objectum formale fidei aut spei: sed per quodlibet mortale destruitur ratio objecti formalis charitatis, dum Dei bonitas amori creaturæ postponitur.

Quomodo peccatum mortale excludit charitatem?

III. R. Non solùm demeritoriè et moraliter: sed etiam quodammodo efficienter et physicè, propter incompossibilitatem peccati mortalis cum charitate in eodem subjecto, ut dictum est N. 32. "de Justificatione;" desinit autem habitus charitatis, Deo desinente influere et conservare, sicuti omnes res in nihilum reciderent, si eas Deus desineret conservare.

N. 124. DE SIGNIS HABITÆ VEL AMISSÆ CHARITATIS.

I. *Certitudo de charitate* II. *Est tantùm conjecturalis.* III. *Signa charitatis.*

QUÆNAM sunt signa, ex quibus colligi potest, an quis charitatem habeat, vel eam amiserit?

I. R. Sine speciali revelatione nemo in hac vita potest esse certus certitudine fidei, physicâ aut morali strictè dictâ, se habere charitatem habitualem, ut dictum est Num. 31. "De Gratia."

II. Potest tamen homo habere certitudinem quamdam conjecturalem, probabilem, et moralem latè dictam, quæ nempè excludit anxietatem, et perturbationem animi, reperiturque ex quibusdam signis et indiciis.

Quænam sunt illa signa et indicia?

III. R. Sunt multiplicia, quæ reduci possunt ad sequentia.

1°. Frequens et libens cogitatio de Deo, juxta illud Christi Matt. cap. 6. V. 21. "Ubi est thesaurus tuus, ibi "est et cor tuum."

2°. Si quis libenter loquatur et audiat loqui de Deo ac cultu divino, secundum illud Joan. cap. 8. V. 47. "Qui "ex Deo est, verba Dei audit."

3°. Observantia mandatorum Dei, dicente Christo Joan. cap. 14. V. 21. "Qui habet mandata mea et servat ea, "ille est, qui diligit me."

4°. Sincerus proximi amor, ac adeo opera charitatis i proximum, juxta illud Apost. 1. ad Cor. cap. 13. V. 4 "Charitas patiens est, benigna est," &c.

5°. Simile signum proponit S. Greg. dum dicit, quò amor Dei semper magna operetur, scilicet ut Num. præ dictum est, in proposito, adeo ut justus, in proposito e desiderio. velit opera virtutum suo tempore præstare et ad versa quæcumque sustinerė.

6°. Signum charitatis cujusdam radicatæ esse solet, s homo intimè delectetur de Deo rebusque spiritualibus.

7°. Si quis magnum honorem exhibet Ministris Dei Lucæ cap. 10. V. 16. "Qui vos audit me audit," &c.

8°. Si quis frigescit à solicitudine et amore mundi.

Tandem propriæ conscientiæ testimonium, juxta illud I Joan. cap. 3. V. 21. "Si cor nostrum non reprehenderit "nos, fiduciam habemus ad Deum."

Notandum tamen, hæc signa non esse infallibilia, sed nonnunquam fallere, præsertim in sexu infirmiori.

Notat Steyaert ex S. Franc. Salesio lib. 4. "de amore "Dei," cap. 9. quòd, amisso habitu charitatis supernaturalis, plerumque remaneat habitus quidam ex frequentatis actibus acquisitus, priori aliquatenus similis, inclinans ad actus circa objecta materialia charitatis, quo fit, ut peccator vix notet mutationem cordis sui, quæ accidit per peccatum v. g. ignorantiæ: atque hinc magna existit deceptionis occasio: facit tamen habitus ille acquisitus, ut peccator initio minorem habeat ad conversionem indispositionem.

Notat Thomas à Kempis et Franc. Salesius, justo no semper à Deo dari spiritualem consolationem, sed sæpe a tempus subtrahi: item charitatem esse posse absque sens bili dulcedine et sapore ex charitatis fervore ad parte sensitivam dimanante.

N. 125. AN IN HOMINE NON JUSTIFICATO POSSIT ESSE ALIQUA CHARITAS ACTUALIS?

I. *In peccatore potest dari amor Dei benevolus.* II. *Ali super omnia, alius non super omnia.* III. *Alius sup omnia affectu.* IV. *Alius super omnia effectu.*

I. CERTUM est, quòd in homine non justificato præt amorem castæ concupiscentiæ dari possit quædam dilecti Dei in se, sive charitas actualis, quæ sinè habitu charitat elicitur per gratiam Dei actualem: sicuti actus ille, q

infidelis incipit credere revelatis propter primam veritatem, vocatur actus fidei, licèt necdum ille actus eliciatur ab habitu fidei.

An ergo datur charitas informis?

R. Implicat, quòd detur virtus charitatis informis seu sine habitu charitatis; sed potest dari amor actualis Dei informis, seu qui sine habitu charitatis elicitur.

Similem amorem admittit S. Thomas scribens in 2. dist. 28. art. 3. ad 3. "Dicendum, quòd sicut aliarum virtutum 'actus dupliciter considerari possunt; ita etiam est de 'charitate: potest enim aliquis etiam charitatem non ha'bens, diligere proximum et Deum (etiam super omnia, ut 'quidam dicunt) et hoc diligere intelligitur actus charitatis 'sub præcepto directè cadere, et non solùm secundùm quod 'à charitate procedit."

Hic tamen amor hodiè communi termino vocari solet dilectio Dei, vel amor Dei benevolus, ut ante dictum est.

De hoc amore multi intelligunt illud Trid. Sess. 6. c. 6. describentis dispositiones ad justificationem requisitas: "Illumque (Deum) tanquam omnis justitiæ fontem diligere 'incipiunt."

Quomodo dividitur amor Dei Benevolus?

II. R. Dividi potest in amorem Dei super omnia, quo Deus præfertur omnibus, et in amorem Dei non super omnia, quo Deus tam tenui affectu amatur, ut alii affectus adhuc prævaleant: ita S. Aug. de seipso dicit lib. 8. confessionum c. 5. "Voluntas nova, quæ mihi esse cœperat, ut 'te gratìs colerem, nondum erat idonea ad superandam 'priorem vetustate roboratam."

Deinde amorem Dei super omnia dividunt Lovanienses in amorem Dei super omnia affectu tantùm, et in amorem Dei super omnia effectu. His terminis post Bellarminum utitur Pater Lupus, et cum illo Deputati Lov. Romæ anno 1675.

Quis amor dicitur super omnia affectu tantùm, quis super omnia effectu?

III. R. Amor super omnia affectu tantùm, est ille, quo Deus omnibus affectu quidem præfertur, et quo homo proponit in genere quodlibet potiùs pati, quàm ipsum offendere; sed tamen affectu adeo debili, ut ad primas quasque tentationes notabiles, etiam ordinarias, si adessent, affectus vinceretur, et homo peccato succumberet: unde dicunt, hunc amorem non justificare sine Sacramento.

IV. Amor Dei super omnia effectu est ille, qui ita fortis est, et ita Deo inhærens, ut tentationes ordinarias, etiam

graves, si occurrant, "secundùm se" superet, et Dei mandata constanter impleat. Hic amor justificat sinè Sacramento.

Dictum est "secundùm se:" quia potest amor ille impediri per liberum arbitrium: non vocatur itaque amor ille effectu super omnia merè ab eventu, sed ab intrinseca sua vi, et efficacia præsente; adeoque si quis postea cadat in peccatum mortale, etiam ordinariis tantùm tentationibus impugnatus, ex eo certò non concluditur, ipsum non habuisse amorem Dei super omnia effectu.

Penes quid differunt amor Dei super omnia affectu tantùm, et amor Dei super omnia effectu?

R. Verior videtur sententia illorum, inquit Daelman, qui dicunt illos duos amores tantùm differre penes diversam actuum intensionem. Vide Daelman, tomo 8. oratione 2.

Relictâ illorum terminorum disceptatione, certum est, quòd amor Dei benevolus pervenire possit ad tantam perfectionem, ut statim hominem justificet, priusquam Sacramentum actu suscipiatur, ut docet Trid. Sess. 14. cap. 4. unde et hic amor non consistit cum reatu æternæ damnationis, uti voluit Bajus; ut patet ex ejus propositione 70. damnatâ: "Homo existens in peccato mortali, sive in reatu "æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, et "charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ "damnationis." Putabat scilicet, per charitatem perfectam non remitti peccatum mortale extra casum necessitatis aut Martyrii sine actuali susceptione Sacramenti, ut constat ex ejus propositione 71. Plura huc spectantia require in Tract. "de Sacramento Pœnitentiæ."

N. 126. DE OBJECTO CHARITATIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 25.

I. *Objectum charitatis* II. *Formale est bonitas Dei in se.* III. *Ob quam etiam diligitur proximus.*

QUOTUPLEX est objectum charitatis?

I. R. Est duplex, nimirum materiale et formale. Materiale subdividitur in primarium et secundarium.

Quodnam est objectum formale charitatis, seu motivum aut ratio formalis, quare ex charitate diligendus sit Deus et proximus?

II. R. Est bonitas Dei in se, sive Deus, ut in se infinitè bonus et perfectus; adeòque est complexum omnium perfectionum possibilium et infinitarum, seu ipsum esse divinum absolutè, et in omni genere infinitè perfectum, quo Deus redditur summè amabilis.

Hinc patet differentia amoris, spei et charitatis.

Obj. I. Deus diligendus est, non tantùm quà bonus, sed etiam quà sapiens, justus, misericors, &c. ergo bonitas Dei non est adæquatum motivum formale charitatis.

R. Negando conseq. ratio patet ex dictis; nam bonitas Dei, quæ est objectum formale charitatis, complectitur sapientiam, justitiam, et cætera Dei attributa, quæ omnia conveniunt in ratione boni amabilis propter se.

Obj. II. Etiam propter beneficia accepta Deum diligere debemus: ergo, &c.

R. Negando cons. unica enim est ratio formalis et principalis diligendi Deum amore charitatis, nempe divina bonitas: cæteræ autem rationes, ait S. Thom. q. 23. art. 5. ad 2. inducentes ad diligendum Deum, sunt tantum secundariæ et consequentes ex primaria, et ideo insufficientes ad actum charitatis: quare si quis velit bonum Deo, præcisè ob beneficia accepta, non erit verus actus charitatis, sed gratitudinis.

Explica, quomodo motivum formale charitatis interveniat in dilectione proximi, sive quomodo ideo diligamus proximum, quia Deus in se summè bonus est?

R. Quidam hoc ita explicant: quia Deus, qui infinitè bonus est, hoc mandavit et vult; vel quia hoc Deo gratum est, vel quia bonitas Dei in proximo relucet; sed omnes hæ explicationes sunt insufficientes, cum in illis ratio formalis immediata non sit bonitas Dei in se.

III. Itaque id exponendum videtur hoc modo: diligere proximum amore charitatis est ipsi velle bonum supernaturale, maximè, ut in æternum amet et laudet Deum: ratio autem formalis, quare velim, ut proximus in æternum amet Deum, est, quia Deus in se summè bonus et perfectus est, ideoque meretur in æternum amari ab omnibus, qui illius diligendi sunt capaces: ex quo patet, quòd ideo diligamus proximum, quia Deus in se summè bonus est.

Eodem modo explicatur, quomodo nos ipsos diligamus propter Deum.

Obj. Nihil potest amari ob bonitatem alienam: ergo proximus non potest amari ob bonitatem Dei ipsi extrinsecam.

R. Neg. antec. Medicina enim amatur propter sanitatem, licèt ei extrinsecam: quia tamen proximus non diligitur propter se, sed propter aliud, rectè sequitur, illum non posse diligi super omnia.

Ex dictis observa 1°. quòd particula "propter," dum in definitione charitatis dicitur: "Et proximus propter Deum," non tantùm importet, quòd Deus sit causa finalis et efficiens seu movens mandando, quod etiam accidit actibus aliarum virtutum, exercitis propter Deum: sed insuper denotet, Deum esse causam seu rationem formalem diligendi etiam proximum, quod actui charitatis proprium est.

2°. Quòd actus charitatis Dei et proximi non differant specie, cùm habeant idem objectum formale.

3°. Quòd nullus ex charitate possit diligere proximum, quin diligat Deum: quia diligere proximum, est velle, ut in æternum amet Deum; et è converso non possit diligere Deum, quin diligat proximum; quia diligere Deum, est inter alia velle, ut in æternum ametur et laudetur à proximo. Vide Num. 113.

4°. Quòd charitas se debeat extendere ad omnes proximos, neminem excludendo.

N. 127. DE OBJECTO MATERIALI CHARITATIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 25.

I. *Objectum materiale primarium est Deus, secundarium proximus.* II. *Quis dicatur proximus.*

QUODNAM est objectum materiale charitatis?

I. R. Objectum materiale primarium est ipse Deus, secundarium est proximus.

Quisnam hìc intelligitur nomine proximi?

II. R. Omnis creatura æternæ beatitudinis capax: adeoque 1°. nos ipsi, imo et corpus nostrum, quod suo modo capax est æternæ felicitatis. 2o. Omnis homo viator, sive fidelis, sive infidelis, sive justus sive peccator, sive amicus sive inimicus. Item Sancti in cœlo, Angeli boni, animæ in purgatorio detentæ, et ipse Christus quatenùs homo: non tamen homines damnati aut dæmones, qui à Beatitudine, ejusque spe exciderunt.

Obj. Luc. cap. 10. ex parabola Christi solus ille videtur proximus, qui fecit alteri misericordiam: ergo, &c.

R. Sensus interrogationis Christi est, quis horum trium functus sit officio proximi; juxta quem sensum rectè res-

pondit legisperitus, illum officio proximi functum esse, qui fecit misericordiam. Si autem Samaritanus genere et vitæ consuetudine alienus à Judæo, existimaverit illi tanquam proximo exhibendam esse misericordiam, sequitur, in hac vita neminem esse à proximi nomine et debito excipiendum: unde et concludens Dominus V. 37. dicit: "Vadè, et tu "fac similiter."

N. 128. AN CREATURÆ IRRATIONALES EX CHARITATE SINT DILIGENDÆ?

S. Thom. quæst. 25. art. 3.

I. *Creaturæ irrationales non sunt objectum charitatis.* II. *Licèt charitas circa eas versetur.*

I. RESP. cum S. Thom. distinguendo: eas non diligimus tanquam amoris aut charitatis objectum, cui summum bonum per amorem volumus, nam is amor fundatur super communicatione beatitudinis æternæ, cujus rès irrationales sunt incapaces.

II. Possunt tamen creaturæ irrationales ex charitate diligi tanquam bona, quæ volumus illi, quem diligimus; inquantùm ex charitate volumus eas ad Dei honorem conservari, vel ad proximi utilitatem.

Similiter ipsam charitatem possumus ex charitate diligere tanquam bonum, quod volumus illis, quos ex charitate diligimus. Et eadem est ratio de beatitudine et aliis virtutibus, ait S. Thom.

N. 129. DE AMORE CHARITATIS ERGA NOSMETIPSOS.

S. Thom. quæst. 25. art. 4. et 5.

I. *Homo ex charitate debet diligere seipsum.* II. *Item corpus suum.*

AN homo debet seipsum ex charitate diligere?

I. R. cum S. Thom. art. 4. affirmativè: quia est præceptum Christi Matth. cap. 22. V. 39. "Diliges proximum "tuum sicut teipsum;" atqui proximum debemus ex charitate diligere: ergo et nosmetipsos: deinde maximè proximus est quilibet sibi.

Obj. Homines illi vituperantur qui seipsos amant; nam Apost. de amore suî tanquam de re periculosissima scribit 2. ad Timotheum cap. 3. V. 1. "Instabunt tempora peri-"culosa," V. 2. "Erunt homines seipsos amantes."

R. cum S. Thom. ad 3. quòd amantes seipsos vituperentur, inquantùm amant se secundùm naturam sensibilem et corruptam, cui obtemperant, adeoque loquitur Apostolus de amore suî, qui est secundùm cupiditatem malam, non de amore, qui est secundùm charitatem, quo homines se amant secundùm naturam rationalem, ut sibi velint ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis. Vel amantes seipsos apud Apostolum dicuntur, qui privatis commodis student, aliorum salute et utilitate posthabitâ.

Ex his intelligitur, quomodo S. Thom. art. 7. "in Corp." dicat, quòd peccatores non verè seipsos diligant; scilicet quia se non diligunt secundùm id, quod principale est ipsis, nimirum secundùm animam et bonum spirituale animæ, sed secundùm quòd se odisse et abnegare deberent, scilicet secundùm exterioris hominis corruptionem: unde S. Aug. lib. 1. "de Doctrina Christiana" cap. 23. dicit: quòd amor ille, quo peccatores se amant secundùm cupiditatem, meliùs vocetur odium quàm dilectio, juxta id Psal. 10. "Qui diligit "iniquitatem, odit animam suam." Potest tamen in ipsis manere amor suî naturalis, procedens ex amore sui esse.

An corpus nostrum ex charitate est diligendum?

II. R. Affirmativè: quia est pars creaturæ rationalis, et ita capax beatitudinis participativè, quatenùs beatitudo animæ in corpus potest redundare, juxta illud Apos. 1. ad Cor. cap. 15. V. 42. "Seminatur in corruptione, surget "in corruptione."

Obj. I. Nullus affligit id, quod diligit; atqui corpus nostrum est affligendum et mortificandum: ergo non est ex charitate diligendum.

R. Negando maj. nam Apost. dicit ad Heb. cap. 12. V. 6. "Quem enim diligit Dominus, castigat:" igitur corpus nostrum esse affligendum, non ex odio corporis secundùm naturam considerati, sed partem ex odio peccati, rebellionis carnis et concupiscentiæ, partim ex charitate, quâ volumus corpus subjectum esse Spiritui, ac Deo servire, quomodo dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 9. V. 27. "Castigo corpus "meum, et in servitutem redigo."

Obj. II. Paulus voluit separari à corpore ad Rom. c. 7. V. 24. "Quis me liberabit de corpore mortis hujus?" item ad Phil. c. 1. V. 23. ergo, &c.

R. Neg. cons. quia affectus ille non provenit ex odio corporis vel vitæ, cùm ipse dicat 2. ad Cor. cap. 5. V. 4. "Nolumus exspoliari, sed supervestiri;" sed processit ex displicentia corruptionis, vel desiderio fruitionis Dei: unde Sancti per hujusmodi sermonem solùm intendunt liberationem à corruptione, vel fruitionem Dei tanquam majus bonum.

Si quidam ita loquantur ex odio corporis, graviter peccant: qui autem hoc dicunt vel optant, non ex odio corporis, sed ut fieri solet, ex quadam impatientia, vel tædio in adversis, quomodo quidam, cæteroquin pii, nimis leviter proferre solent, v. g. "vellem, ut essem mortuus," &c. ab omni peccato excusari non debent, cùm adversitates patientiâ tolerandæ sint, non morte fugiendæ.

N. 130. DE AMORE CHARITATIS ERGA PECCATORES.

S. Thom. quæst. 25. art. 6.

I. *Quomodo peccatores ex charitate diligendi.* II. *Modi intelligendi expressiones Scripturæ S.* III. *An liceat optare malum peccatori.*

AN peccatores sunt ex charitate diligendi?

R. S. August. lib. 1. "de Doctrina Christiana" cap. 27. omnis peccator, inquantùm peccator est, non est diligendus: et omnis homo, inquantùm homo est, diligendus est propter Deum.

I. Igitur dicendum cum S. Thom. in peccatoribus duo esse consideranda, naturam scilicet et culpam: secundùm naturam ex charitate sunt diligendi, cùm secundùm eam peccatores viatores capaces sint æternæ beatitudinis: sed secundùm culpam sunt odio habendi, seu potiùs ipsa culpa in peccatoribus est odio habenda.

Probatur prior pars: quia dicitur Matt. cap. 22. V. 39. "Diliges proximum tuum sicut te ipsum;" atqui nomine proximi etiam venit peccator: quia Christus dicit Matth. 18. V. 15. "Si peccaverit in te frater tuus, &c." Si peccator dicatur frater: ergo est noster proximus: et hinc ad Rom. cap. 5. Christus intantùm peccatores dilexisse scribitur, ut pro eis mortuus sit.

Pro posteriori parte aperta est ratio: culpa enim contrariatur Deo, et est impedimentum beatitudinis.

Obj. Ad charitatem pertinet optare bona iis, quos diligimus; atqui Sancti optant peccatoribus mala, juxta illud Psal. 9. "Convertantur peccatores in infernum," et Psalm. 54. "Veniat mors super illos:" ergo peccatores non sunt ex charitate diligendi.

R. Hæ et similes expressiones possunt intelligi variis modis:

II. 1°. Per modum prædictionis: ita ut non sit optantis, ut fiat, sed prophetantis, quia fiet, et ita sensus sit: præcipitabuntur in infernum, veniet mors super illos: sic etiam Isaiæ cap. 6. V. 10. dicitur: "Excæca cor populi hujus," id est, dic, fore ut excæcentur.

2°. Per modum optantis, sic tamen, ut desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam Dei punientis, juxta illud Psalm. 57. V. 10. "Lætabitur justus, "cùm viderit vindictam:" lætatur autem in justitia Dei, non in ipso malo proximi, cùm nec ipse Deus puniens lætetur in perditione impiorum, Sapient. c. 1. V. 13.

3°. Intelligi possunt, ut desiderium feratur in remotionem culpæ, non in ipsam pœnam, ut scilicet peccata destruantur, et sic homines salvi fiant, quomodo intelligi potest illud Psalm. 103. V. 36. "Deficiant peccatores à terra, et iniqui, "ita ut non sint;" nempe convertantur peccatores, et non sint ampliùs, quod fuerunt.

4°. Imprecationes illæ peccatoribus fieri possunt, ut per eorum punitionem reprimantur mali, qui eorum exemplo firmantur: vel ut respectu bonorum cesset scandalum, quod peccatores ipsis dant iniquis suis vexationibus.

An semper illicitum est optare, ut peccatoribus malum aliquod obveniat?

III. R. Semper illicitum est optare proximo malum, ut malum est: quia id adversatur charitati.

Aliquando tamen licet proximo optare malum aliquod temporale, modò non desideretur ex malo affectu, sed vel ad emendationem culpæ, vel ad conservationem justitiæ, vel ad bonum commune, &c. et ita aliquando licet optare, ut peccatori obveniat v. g. paupertas, corporis infirmitas, &c. ut per ea retrahatur à peccatis, &c. hoc etiam modo oramus Deum, "ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare "dignetur."

Nunquam tamen licet homini adhuc in hoc sæculo viventi optare damnationem æternam: quia id contrarium est fini, ad quem debemus ex charitate diligere omnem viatorem.

Similiter nunquam licet desiderare peccatori, ut peccet: quia peccatum est simpliciter malum; addit tamen Sylvius:

nisi fortè quis desideret, ut Deus permittat eum labi in aliquod peccatum, ut humilior et cautior resurgat; sed id non ita certum est.

N. 131. DE AMORE CHARITATIS ERGA INIMICOS.

S. Thom. quæst. 25. *art.* 8.

I. *Inimicus.* II. *Ut homo ex charitate diligendus.* III. *Id præceptum lege nova.* IV. *Veteri.* V. *Et lege naturæ.* VI. *Quomodo id sit præceptum.*

I. INIMICI nostri sunt, qui nos vel nostros oderunt, vel aliquà injuriâ affecerunt, vel saltem tales apprehenduntur.

An inimici debent ex charitate diligi?

II. R. cum S. Thom. inimici non sunt diligendi ut inimici, seu ipsa eorum inimicitia non debet diligi: quia illa peccatum est. Sed inimici, secundùm naturam, seu quatenùs homines sunt, æternæ beatitudinis nobiscum capaces, sunt ex charitate diligendi.

III. Probatur ex verbis Christi Matth. cap. 5. V. 44. "Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt "vos," et ex Prov. 25. V. 21. "Si esurierit inimicus tuus, "ciba illum."

An in veteri Lege præcepta fuit dilectio inimicorum?

IV. R. Affirmativè: patet ex libro Exodi cap. 23. V. 4. "Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc "eum:" et Levit. cap. 19. V. 17. "Non oderis fratrem "tuum in corde tuo;" V. 18. "Nec memor eris injuriæ."

Obj. Dicit Christus Matth. c. 5. V. 43. "Audistis, quia "dictum est: Diliges proximum tuum; et odio habebis "inimicum tuum:" ergo in veteri Lege dilectio inimicorum non erat præcepta.

R. Neg. cons. Nusquam enim in veteri Lege habentur hæc verba: "Odio habebis inimicum tuum," sed hoc dictum fuit à Scribis legem perversè interprètantibus; cùm enim legeretur Levit. cap. 19. "Diliges amicum tuum," à contrario intulerunt: "ergo odio habendus inimicus;" sed malè, tum quia nomen amici generatim ibi sumitur pro omni proximo: tum quia argumentum à contrario est vitiosum, quando prædicatum eâdem ratione convenit subjecto ante-

cedentis et consequentis; nam "esse diligendum" convenit amico et inimico sub eadem ratione, scilicet quia est proximus.

An etiam obligatio illa diligendi inimicos oritur ex jure naturæ?

V. R. Affirmativè, ut constat ex hoc juris naturæ principio: "Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;" unusquisque autem vult amari et non lædi. Deinde contra rationem est, odisse naturam propter culpam.

VI. Observa ex S. Thom. hìc in "Corp." quod dilectio inimicorum possit accipi dupliciter: 1°. in universali, dum nempe diligo inimicum sicut omnes alios homines etiam mihi incognitos: et hoc modo dilectio est in præcepto, ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate non excludat inimicos. 2°. In speciali seu particulari, dum quis specialem actum dilectionis erga personam particularem inimici exercet: et hoc non est absolutè in præcepto: quia sic speciali actu quoslibet homines diligere est impossibile; est tamen et hoc in præcepto, et de necessitate charitatis secundùm præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quòd in particulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret: quòd autem absque articulo necessitatis quis particulari actu diligat inimicum, non est per se in præcepto, sed in consilio, spectatque ad perfectionem charitatis.

N. 132. DE SIGNIS DILECTIONIS INIMICIS EXHIBENDIS.

S. Thom. quæst. 25. art. 9.

I. *Signa dilectionis.* II. *Communia inimicis exhibenda.* III. *Sed non specialia per se.* IV. *Quandonam omitti possint communia.* V. *Et quandonam exhibenda specialia.* VI. *Quandonam et quantùm in hac materia peccetur.* VII. *Casus practici.*

AN signa dilectionis inimicis sunt exhibenda?

I. Prænotandum ex S. Thom. in "Corp." signa dilectionis alia esse generalia seu communia, alia specialia: communia dicuntur, quæ communiter omnibus hominibus exhibentur, seu potiùs, quæ Christiano â quovis Christiano, civi à concive, cognato à cognato, pauperi à divite, superiori à subdito præstari solent. Specialia sunt, quæ quis particulariter exhibet quibusdam personis, aut amicis et familiaribus. His præmissis,

II. Respondetur conformiter ad Num. præcedent. tenemur inimicis ex interno affectu præstare per se loquendo signa dilectionis communia: signa verò specialia inimicis exhibere per se non est de necessitate salutis, nisi, inquit S. Thom. secundùm præparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in necessitate, juxta illud Prov. 25. V. 21. "Si esu-"rierit inimicus tuus, ciba illum."

Probatur prior pars: quia communium signorum subtractio est signum odii, et pertinet ad livorem vindictæ, contra Levit. cap. 19. V. 18. "Non quæras ultionem, nec "memor eris injuriæ;" deinde natum est ex illa subtractione sequi scandalum, hoc scilicet, quòd inimici inde in inimicitia firmentur et perseverent: commune enim est inter homines odisse odientes se.

III. Probatur altera pars: quia præceptum charitatis per se loquendo non plus obligat ad dilectionem inimici, quàm alicujus alterius; atqui extra casum necessitatis satisfit præcepto dilectionis proximi, communiter loquendo, per generalia dilectionis signa: ergo id etiam respectu inimicorum sufficit.

Infertur 1°. quòd, dum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, vel dum vult impendere beneficium toti communitati, illicitum sit ab illis excludere inimicum.

2o. Quòd inimicum salutantem oporteat resalutare, cùm illud observari soleat etiam erga ignotos quoscumque, adeoque inter communia dilectionis signa numeretur.

Quare dictum est supra, quòd "per se loquendo" communia dilectionis signa sint inimicis exhibenda?

IV. R. Quia per accidens aliquando licitum est hæc communia signa non exhibere: ut, si prævideas, inimicum tuum per istam exhibitionem in sua malitia fore obstinatiorem, vel ex denegatione ejus emendationem speres. Cavendum tamen ne fortè odium in corde servetur.

Etiam ad tempus suspendi possunt ad ostendendum justum doloris sensum, si gravis injuria illata sit.

Superiores etiam quandoque subdito inimico vel peccatori rectè ejusmodi signa denegant ad emendationem ipsius, vel castigationem quamdam, aut in exemplum aliorum, quomodo David fecit respectu Absalom, cui post remissam etiam offensam, non concessit, ut videret faciem ejus. 2. Reg. cap. 14.

Cavendum tamen iterum ne id diutiùs continuetur, ne convincantur ex passione façere, quod ex zelo se facere dictitant, vel ne exasperent et obdurent eum, quem emendatum cupiunt.

Ex eo, quod supra dictum est, quòd inimicis specialia dilectionis signa exhibere "per se" non sit in præcepto, sequitur, per se non peccare illum, qui non orat specialiter pro inimicis, qui familiariter cum eis non colloquitur, &c. nisi fortè essent parentes, aut tales, respectu quorum hæc essent signa solùm communia.

An equidem per accidens tenemur aliquando specialia dilectionis signa exhibere inimicis?

V. R. Affirmative: quod enim charitas exigit in præparatione animi, debet aliquando exire in actum, nempe:

1°. Ad vitandum scandalum.

2°. Ad resistendum odio, ad quod nos ipsos propensos sentimus.

3°. Dum adest probabilis spes, fore ut inimicus odium deponat.

4°. Dum inimicus veniam rogat; licitè tamen in hoc casu quis quandoque specialia signa negabit, v. g. superior ad emendationem, punitionem vel exemplum. Tandem in necessitate spirituali aut temporali inimici, specialia ei dilectionis signa exhibenda sunt, quæ et qualia illa necessitas exigit.

VI. Ut dignoscatur, inquit Billuart, quando et quantùm peccetur in hac frequenti materia, duo sunt consideranda, scilicet intentio interna, et significatio externa, offensiva inimici. Quantùm ad intentionem, respici debet, utrùm signa dilectionis subtrahantur ex odio erga inimicum, quod ex genere suo est peccatum mortale: potest tamen esse veniale ex levitate materiæ: dein utrùm ex illa subtractione non sit natum sequi scandalum respectu inimici vel aliorum, quod iterum potest esse grave vel lève.

VII. Casus primus: quis pluribus occurrens, omnes salutat præter inimicum, qui est cum illis: an peccat graviter?

R. Sic quidam existimant propter scandalum, quod ordinariè sequitur: sed juxta Sylvium et regulam supra datam respici debet intentio personæ et magnitudo scandali: si enim vel nullum vel parvum sit scandalum, et persona non ex odio, sed vel in significationem injuriæ, quam recenter accepit, ut scilicet alter in posterum magis caveat ipsum offendere, vel ex alia justa causa sic agat, non videtur peccare saltem mortaliter.

Casus secundus: duo in quadam communitate ante inimicitiam se salutabant et passim colloquebantur, post rixam nec se salutant nec colloquuntur: peccantne?

Secluso odio, si inde sequatur scandalum inter ipsos et in communitate, ut fieri solet, eatenùs peccant graviter vel leviter pro quantitate scandali. Si tamen ante essent specialiter amici, non tenentur redintegrare specialem amicitiam, quia ex hac omissione non est natum sequi scandalum, modò se habeant ad invicem, sicut ad cæteros confratres.

N. 133. QUÆ ET QUALIS INJURIA INIMICO SIT REMITTENDA?

I. *Deponendus omnis affectus odii et vindictæ.* II. *Actio tamen reparationis injuriæ per se non debet remitti.*

I. PRÆNOTANDUM, tria ex injuria illata oriri posse: primum est rancor, amaritudo, malevolentia vel appetitus vindictæ in animo illius, cui infertur injuria: et quoad hoc, injuria statim remittenda, sive odium statim deponendum, vel potius ab initio nunquam est admittendum, quamquam alter non peteret veniam, juxta illud Matth. cap. 6. V. 15. "Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet " vobis peccata vestra."

Secundum est significatio externa istius amaritudinis vel per signa charitati contraria, vel per negationem signorum dilectionis: et quidem signa charitati contraria, sive odii per se nunquam licet ostendere, signa tamen specialia non semper sunt exhibenda juxta Num. præced.

II. Tertium est jus, vel actio ad injuriæ illatæ vel damni reparationem: et quantùm ad hoc non tenemur satisfactionem debitam inimico remittere: quia habemus jus ad illam: per accidens tamen charitas subinde exigit condonationem, v. g. dum gravamen, quod inimicus injuriam reparando, subire deberet, est nimis magnum respectu boni, quod inde læso obveniret. Aliquando tamen remittere non liceret injuriæ reparationem, v. g. si superior famâ suâ non pro se tantùm, sed magis pro aliorum bono et salute indigeret, vel sit injuria, quæ toti familiæ infamiam crearet, nisi satisfactione juridicâ reparetur.

Cavendum tamen, ne actio illa instituatur ex odio, vindicta, vel alio pravo fine; sed id fieri debet ex recta intentione, nempe vel ad bonum injuriam passi, vel ad emendationem aut cohibitionem injuriantis vel ad quietem aliorum, &c.

Quomodo practicè procedendum sit cum eo, qui confitetur se odio habuisse proximum, videri potest Num. 95. " de Peccatis."

N. 134. DE PRÆCEPTO CHARITATIS.

I. *Præceptum diligendi Deum,* II. *Negativum* III. *Et affirmativum.* IV. *Quod obligat per se,* V. *Et per accidens.* VI. *Proximus diligi debet actu interno.* VII. *Hujus præcepti obligatio.*

AN datur præceptum de diligendo Deum?

I. R. Affirmativè, idque speciale, ut probatur ex Matth. cap. 22. V. 37. "Diliges Dominum Deum tuum ex toto "corde tuo . . .V. 38. Hoc est primum et maximum man- "datum."

Probatur etiam ex condemnatione hujus propositionis per Alexandrum VII. "Homo nullo unquam vitæ suæ tempore "tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis, ex vi præ- "ceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium."

Quandonam obligat præceptum charitatis?

II. R. Præceptum negativum obligat omni tempore: quia nihil unquam licet agere, quod charitati Dei est contrarium.

III. Præceptum affirmativum non obligat quidem ad semper, obligat tamen sæpissime, idque fieri potest dupliciter, per se scilicet et per accidens.

IV. Obligat per se in primo instanti morali usûs rationis: quia tunc homo debet se convertere ad finem suum ultimum. Vide Num. 172. "de actibus humanis."

2°. In fine vitæ, seu in probabili periculo mortis: quia tunc homo debet tendere in finem suum ultimum.

3°. Sæpius in decursu vitæ, cùm charitas sit finis omnium præceptorum. Quandonam verò obliget istud præceptum exactè determinari non potest. Condemnati sunt, qui ne singulis quidem rigorosè quinquenniis actum illum eliciendum docebant. Nec dubium, quin aberrent, qui singulis tantùm annis illum eliciendum existimant. Aliqui dies Dominicos et Festos assignant. Verisimilius est, inquit Steyaert, vix fieri posse, ut sine peccato ullâ die talis actus omittatur. Non tamen pro singulo die est obligatio gravis, ut dictum est "de præcepto fidei" Num. 42.

Quotidiano charitatis exercitio servit recitatio Orationis Dominicæ, in qua dicitur "Sanctificetur nomen tuum." Quæ recitatio, licèt non infallibiliter charitatis actum adjunctum habeat, frequenter tamen illum secum trahit, dum attentè et ex singulari affectu recitatur. Hinc dicit Concina, plures etiam non advertentes huic obligationi satisfacere.

V. Obligat per accidens 1°. dum quis peccati mortalis conscius, deficiente Confessario, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis administrare; tunc enim obligatur ad actum contritionis perfectæ, quæ includit actum charitatis.

2°. Quando est periculum labendi in mortale, vel succumbendi gravi tentationi, nisi actus charitatis eliciatur.

An extat præceptum diligendi proximum actu interno?

VI. R. Affirmativè: patet ex his duabus propositionibus Innoc. XI. damnatis: "Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos." Quorum error convellitur ex Doctrina Christi, dicentis Joan. cap. 15. V. 12. "Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;" atqui Christus amore interno dilexit nos: ergo etiam amore interno debemus diligere invicem: hinc etiam dicitur Epistolâ primâ Petri cap. 1. V. 22. "In fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentiùs."

Obj. I. Proximus sublevatur operibus charitatis externis: ergo parvi facit, si non ametur actu interno.

R. Proximus non tantùm sublevatur operibus externis, sed etiam internis, ut orationibus, &c. Deinde proximus non gaudet fictis quibusdam charitatis officiis, sed veris et sinceris, prout Dei bonitas, qui nos ad diligendum proximum movet, non fictè, sed verè ad proximum extenditur.

Obj. II. Supponatur aliquis semper intentus amore Dei, ita ut non cogitet de diligendo proximo.

R. Suppositum est fictitium: unde dicitur Ep. 1. Joannis cap. 4. V. 20. "Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?"

Quandonam obligat præceptum dilectionis proximi?

VII. R. Præceptum negativum obligat semper et ad semper, quo vetatur odium proximi, omnesque actus amori benevolentiæ oppositi.

Præceptum affirmativum obligat, quoties proximo signa et officia dilectionis sunt exhibenda in communi vel in speciali.

Obligat etiam sæpius ad actum internum amoris supernaturalis, tum quia præceptum dilectionis proximi simile est præcepto dilectionis Dei, quod, ut dictum est, sæpius obligat; tum quia oratio Dominica quotidie fundenda est pro omnibus, quæ attentè et piè recitari nequit sine aliquo benevolo in proximum affectu.

N. 135. DE ORDINE CHARITATIS.

S. Thom. quæst. 26.

I. *Ordo charitatis* II. *Est ordo perfectionis.* III. *Unum plus alio diligi potest tripliciter,* IV. *Objectiv* V. *Appretiativè.* VI. *Et intensivè.*

An in charitate servandus est ordo?

I. R. Affirmativè, ut constat ex Canticorum cap. 2. V 4. "Ordinavit in me charitatem," id est, debitum ac rectu ordinem charitatis in me constituit.

In quo iste charitatis ordo consistit?

II. R. Non consistit in prioritate aut posterioritate temporis, quasi unum deberet priùs tempore diligi quàm aliud sed in ordine perfectionis, quatenùs charitas circa object quæ respicit, unum plus diligere debet, quàm aliud.

Quis ordo tenendus est inter ea, quæ diligenda sunt?

R. Hic, ut 1°. Deum diligamus super omnia, 2o. Dilig mus nos ipsos, 3°. Proximum, 4°. Corpus nostrum, et 5 Corpus proximi.

Observandum, quòd hic ordo attendi debeat non solù in effectu, sed etiam in affectu, adeo scilicet ut ordo ser vetur in affectu, et ex affectu procedat in effectum, qu documque fuerit opus; effectus enim exterior non perti ad charitatem, nisi inquantùm procedit ex affectu.

III. Porro unum plus quàm aliud diligi potest triplicit scilicet objectivè, appretiativè et intensivè.

IV. Objectivè diligimus magis eum, cui majus bonum v umus quàm alteri.

V. Appretiativè magis diligimus eum, quem pl æstimamus, quàm alterum: ita ut si necesse foret alterutri amicitiam amittere, potiùs desereremus amicitiam alteri et priorem ejusque amicitiam præferremus.

VI. Intensivè magis diligimus eum, quem diligimus m jori actûs intentione, sive actu ferventiori et perfectiori cundùm gradus intensionales.

N. 136. DE MODO, QUO DEUS DILIGENDU EST SUPER OMNIA.

I. *Deus plus diligendus objectivè,* II. *Appretiativè,* I *Et intensive.* IV. *Intensiùs diligens proximum qu Deum* V. *Quandonam peccet mortaliter.*

QUOMODO Deus est diligendus super omnia?

I. R. 1_0. Deus super omnia diligendus est "objective:" uia debemus Deo velle bona divina, quæ sunt infinita, ualia nulli creaturæ competere possunt.

II. 2°. Deus etiam super omnia diligi debet "appretiativè:" quia Deus ejusque amor omni rei præferendus st, etiam nobis ipsis, ut docet Christus Luc. cap. 14. '. 26. "Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem......adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus"

Ratio est, quòd causa formalis dilectionis primò et proxnè in Deo reperiatur. Deinde Deus est principium et ausa nostræ beatitudinis et nostri esse; ex quo homo aturaliter inclinari debet ad diligendum Deum plus quàm eipsum.

III. An autem Deus etiam "intensivè" super omnia sit iligendus, controvertitur; negant Wiggers, Sylvius, Billiart, &c. Steyaert, Daelman, Danes, &c. affirmant, et ut pparet, probabiliùs: quia major intensio videtur inseparailis à majori appretiatione; eo enim ipso, quo affectus in liquid fertur ferventiùs, videtur illud magis appretiari; deoque si creatura diligeretur intensivè magis quam Deus, iligeretur etiam magis appretiativè.

Hæc sententia conformis apparet Scripturæ S. quæ dicit Deut. cap. 6. V. 5. "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c." qui locus videtur mnino importare quòd Deus etiam intensivè super omnia it diligendus.

Obj. Hæc sententia parit anxietates et scrupulos; nam homines etiam pii sæpe experiuntur majorem affectum sensibilem erga parentes vel proles, quàm erga Deum, et ecundùm hanc doctrinam illi peccarent: ergo, &c.

R. Quòd amor ille, quem v. g. mater sentit majorem rga prolem, non sit propriè amor voluntatis, qualis est mor charitatis, de quo agitur; sed sit amor appetitûs sensitivi, qui excitatur per objecta externa, quæ magis afficiunt ensus: et hinc non sequitur, quòd in matre amor rationalis sit magis intensus erga prolem, quàm erga Deum.

Nec hæc sententia parit anxietates; nam dum quis deprehendit, se Deum appretiativè super omnia diligere, prudenter judicare potest, se etiam Deum intensivè diligere super omnia, licèt id non ita percipiat aut sentiat.

An ergo peccator incipiens diligere Deum actu intenso ad unum, peccat diligendo proximum actu intenso ad duos gradus?

IV. R. Boudart negat suppositum: quia dum proximus amatur vero amore supernaturali intenso ad duo, tunc amor Dei non potest esse minùs intensus: quia proximus amatur propter Deum.

Alii dicunt, quòd ille actus, quo diligit Deum ad unum, non quidem sit malus, sed ipse operans peccet pervertendo ordinem diligendi.

Peccaret autem mortaliter plus amando proximum in his duobus casibus:

V. 1°. Si amor Dei et proximi comparentur inter se, et in illa comparatione præferatur amor proximi amori Dei.

2°. Si quis amet proximum intantùm, inquantùm justus amat, vel amare debet Deum; nam creatura non est digna amore Deo debito.

Notandum, quòd homines in confessione tentandi non sint in particulari, v. g. utrùm mallent mori, quàm Deum offendere, ut docetur in Tractatu "de Sacramento Pœni-"tentiæ" N°. 58.

N. 137. AN HOMO EX CHARITATE MAGIS DILIGERE DEBEAT SEIPSUM QUAM PROXIMUM?

S. Thom. quæst. 26. art. 4.

I. *Homo se debet plus diligere quàm proximum.* II. *Quid importet particula* sicut. III. *An liceat se exponere periculo peccati pro proximo.*

1. RESPONDETUR: homo per se loquendo debet seipsum magis diligere quàm proximum, appretiativè et intensivè (non sic objectivè) scilicet in bonis quæ pertinent ad animam, vel salutem animæ; nam, ut dicit Christus Matth. cap. 16. V. 26. "Quid prodest homini, si mundum univer-"sum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?"

Ratio est, quòd dilectio sui ponatur tanquam regula et exemplar dilectionis proximi, juxta Matt. cap. 22. V. 39. "Diliges proximum tuum sicut te ipsum;" atqui regula prior et potior est quàm regulatum: ergo unusquisque se magis quàm proximum diligere debet.

Obj. Dicit Moyses Deo, Exodi cap. 32. V. 31. "Aut "dimitte eis hanc noxam," V. 32. "Aut si non facis, dele "me de libro tuo quem scripsisti." Et Apost. ad Rom. cap. 9. V. 3. dicit: "Optabam ego ipse anathema esse à "Christo pro fratribus meis:" ergo licet salutem aliorum præferre saluti propriæ.

R. Quantùm ad verba Moysis, 1°. intelligi possunt hyperbolicè, ad significandum ardentissimum suum desiderium de salute populi.

2°. Accipi possunt dicta de libro viventium hìc in terra, ut sensus sit : si non parcis populo, me unà cum ipso interfice.

3°. Si intelligatur de libro prædestinatorum, sensus est : ut dele me de libro tuo, aut dimitte eis hanc noxam ; certus autem erat, quòd Deus ipsum non esset deleturus : ergo instabat, ut Deus peccatum populi dimitteret : unde verba illa ex summa fiducia de Dei erga ipsum amore procedebant.

Quod attinet ad verba Apostoli, illa in primis etiam accipi possunt hyperbolicè.

2°. Juxta aliquos Apost. optat pro fratrum salute anathematizari, id est, adinstar victimæ expiationis gravissima quæque ac acerbissimam mortem pati : sic enim in Scriptura . quandoque accipitur vox anathema.

3°. Sensus esse potest, ut Paulus non optaverit, sed optasset in æternum separatum esse à Christo, si id sine peccato fieri posset, potiùs quàm videri, quòd Deus à Judæis infidelibus blasphemetur ; sicque amorem proximi non prætulit suæ saluti, sed amorem et gloriam Dei prætulit sibi ipsi.

Ubinam datur præceptum diligendi seipsum ?

R. Continetur sub hoc : " Diliges proximum tuum sicut te ipsum," ut dictum est Num. 129.

Quid importat particula " sicut ?"

II. R. Non importat æqualitatem dilectionis, sed similitudinem, ita ut homo velit proximo omne bonum, quod sibi vult, non tamen eodem intensionis gradu.

Ad legitimam autem proximi dilectionem S. Th. tria requirit q. 44. art. 7. in " Corp." 1°. ex parte finis, ut quis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum diligere debet, ut sic dilectio proximi sit sancta.

2o. Ex parte regulæ dilectionis, ut dilectio sit justa : ad quod requiritur, ut aliquis non condescendat proximo in malis, sed solùm in bonis.

3°. Ex parte rationis dilectionis, ut dilectio sit vera : ad quod necesse est, ut procedat ab amore benevolo, sive proximus non diligatur propter bonum proprium, sed propter bonum ipsius : vide etiam Analogiam Becani. c. 4. q. 5.

Ex dictis colliges, nunquam licere, etiam pro salute totius mundi, peccare sive mortaliter, sive venialiter : quia ageret contra bonum spirituale animæ, quod præferri debet aliis.

An equidem non licet se exponere periculo peccati pro salute proximi?

III. R. Licitum est se exponere periculo remoto peccandi pro bono spirituali proximi; hoc enim periculum contemni potest ex motivo charitatis: nunquam tamen licet se exponere periculo peccandi proximo: quia in moralibus idem est, peccatum committere, et se periculo illius committendi exponere: unde damnata est hæc propositio ab Innocentio XI. "Licitum est quærere directè occasionem "proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nos- "tro vel proximi."

Charitas tamen per accidens requirit, ut propter bonum proximi quædam bona spiritualia non necessaria omittantur: sic filius omittere debet ingressum religionis, si sit necessarius sustentandis parentibus.

N. 138. AN HOMO DEBEAT MAGIS DILIGERE PROXIMUM SECUNDUM ANIMAM QUAM CORPUS PROPRIUM?

I. *Anima proximi diligenda præ corpore nostro.* II. *Triplex necessitas spiritualis;* III. *Extrema,* IV. *Gravis,* V. *Et communis.* VI. *In extrema etiam cum vitæ periculo.* VII. *In gravi licitè cum periculo vitæ, sed non ex debito.*

I. RESPONDET S. Thomas quæst 26. art. 5. affirmativè: quia animam proximi diligere debemus tanquam sociam beatitudinis, corpus autem nostrum tanquam particeps beatitudinis per redundantiam ab anima in ipsum: consociatio autem in beatitudine, est major ratio diligendi, quàm participatio per redundantiam.

An igitur homo vitam corporalem exponere tenetur periculo mortis pro salute proximi?

II. R. Ut distinctè procedatur, oportet notare, triplicem esse necessitatem spiritualem, scilicet extremam, gravem, et communem seu vulgarem.

III. Extrema vocatur, quæ tanta est, ut nisi proximum tu adjuves, ille in æternum sit damnandus.

IV. Gravis censetur, dum salvari quidem potest proximus etsi non adjuvetur, attamen valde difficulter.

V. Communis est, in qua potest quis absque magna difficultate salvari sine alterius adjutorio: hanc necessitatem patiuntur, qui communes peccandi occasiones incurrunt.

VI. R. 1°. Unusquisque in extrema necessitate spirituali proximi tenetur ex charitate ei succurrere cum propriæ vitæ periculo, secundùm id 1. Joannis cap. 3. V. 16. "Et "nos debemus pro fratribus animas ponere."

Hinc unusquisque tenetur cum periculo suæ vitæ succurrere infanti sine baptismo morituro.

Cum eodem periculo quisque tenetur, si sciat adultum esse in peccato mortali, et in ebrietate, somno, vel nihil cogitantem, esse occidendum, aut aliter moriturum.

Notari tamen debet, quòd adesse debeat spes fructûs: item quòd necessitas, quæ oritur et perseverat ex pura malitia, non sit extrema, ut ordinariè contingit in duellantibus, injustum bellum suscipientibus, &c.

VII. R. 2o. In gravi necessitate spirituali, non extrema, licitum est succurrere proximo cum periculo vitæ, ut hìc docet S. Thom. ad 3. ad hoc tamen non tenemur, nisi obligemur ex officio, vel sit necessitas publica; gravis enim alicujus communitatis necessitas semper conjuncta est cum quorumdam privatorum necessitate extrema.

Dispendium interim aliquod bonorum temporalium, famæ vel honoris propter hanc necessitatem subeundum foret.

Infertur, quòd si quis hæresim spargat in plebem, et non sit, qui impediat præter te, tenearis cum periculo vitæ impedire, si possis.

Item quòd Pastores teneantur cum periculo vitæ, putà tempore pestis, parochianis infectis administrare Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, &c.

R. 3°. Proximo in communi necessitate spirituali constituto non tenemur succurrere cum periculo vitæ, nec cum gravi bonorum temporalium dispendio: ratio est, quòd talis necessitas non sit necessitas simpliciter dicta, cùm pluribus modis vitari possit. Tenemur tamen, si possumus sine damno, vel cum exiguo; "Quia Deus mandavit unicuique "de proximo suo," Ecclesiast. cap. 17. V. 12. unde pastores, &c. qui tenentur ex officio ad aliquid plus, teneri etiam in communi necessitate, est non dubitandum.

Observa iterum, quòd in prædictis subintelligi debeat: si adsit spes fructûs et si alius magis obligatus id non præstiterit.

N. 139. AN LICEAT VITAM SUAM EXPONERE PERICULO MORTIS PRO VITA PROXIMI?

I. *Quandoque licet vitam suam exponere pro proximo*

CERTUM est, quòd liceat, imò aliquando oport

bona temporalia pro vita alterius exponere; quia bona temporalia inferioris sunt ordinis, quàm vita.

Similiter quando proximus est persona reipublicæ vel religioni multùm necessaria, licet, imò quandoque tenetur privatus vitam suam ponere pro vita istius: quia bonum publicum prævalet privato.

Sed quæstio est, an liceat homini vitam suam exponere pro conservanda vita proximi sibi æqualis?

I. R. Si nihil consideretur, nisi vita cum vita, tunc vita propria præferenda est: si autem simul consideretur honestas virtutis Christianæ, tunc licitum est: quia honestas virtutis Christianæ, prævalet vitæ corporali.

Supponendum tamen est, talem familiæ suæ, vel aliis non esse multùm necessarium, et de statu gratiæ non diffidere.

Ex hoc capite laudatur Tobias, qui ad sepelienda defunctorum corpora mortis periculis se objecit: laudantur, qui peste infectis inserviunt, moraliter certi, se non evasuros, qui se infidelibus tradunt in captivitatem ad liberandos captivos Christianos, qui cum periculo vitæ, se aquis injiciunt, ut inde alios eripiant, &c.

Cavendum tamen est, ne quis sibi ipsi mortem potiùs inferat, quàm ei se exponat, quod moraliter dijudicandum est.

Obj. Quilibet debet se ipsum plus diligere quam proximum; atqui in casu plus diligitur proximus: ergo, &c.

R. neg. min. Nam vitam suam talis exponit non præcisè pro vita proximi, sed pro honestate Christianæ virtutis, et ita plus diligit seipsum secundùm bonum spirituale virtutis.

N. 140. DE ORDINE SERVANDO ERGA PROXIMOS INTER SE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 6. *et seq.*

I. *Unus proximus magis.* II. *Ordo quoad amorem objectivum.* III. *Quatuor modi conjunctionis.* IV. *Quisque magis diligendus in sua conjunctione.* V. *Carnaliter juncti in quibus præferendi.* VI. *Ordo inter consanguineos.*

AN unus proximus magis diligendus est, quàm alius?

I. R. cum S. Thom. art. 6. affirmativè: quia principium dilectionis est Deus, et ipse diligens; atqui ordo diligendi

attenditur secundùm majorem propinquitatem ad principium dilectionis: ergo proximus qui Deo vel nobis est conjunctior, est magis diligendus.

Non obstat, quòd S. Aug. lib. 1. "de Doctr. Christiana" cap. 28. dicat: "Omnes homines æquè diligendi sunt;" nam sensus est, quòd æquè diligendi sunt ex parte objecti, inquantùm scilicet omnibus ibidem bonum, Beatitudinem nempe æternam, velle debemus. Vel dici potest, quòd particula "æquè" idem significet ac "pariter," nullo excepto.

Quinam inter proximos sunt magis diligendi?

II. R. 1. Meliores, seu magis sancti sunt magis diligendi objectivè, id est, magis bonum supernaturale, seu major gloriæ gradus est ipsis desiderandus, quia sunt Deo magis conjuncti, et eatenus magis digni: ordo autem amoris objectivi ex dignitate personæ est metiendus.

2°. Illi qui sunt nobis conjunctiores magis intensivè diligendi sunt, cæteris paribus; quia intensio dilectionis eorum qui post Deum diligendi sunt, desumitur à propinquitate ad diligentem; principium enim motûs natum est vehementiùs influere in sibi conjunctiora quam in remotiora: ergo quantò quis diligenti est conjunctior, tantò magis est diligendus.

Quot sunt modi, quibus aliqui inter se conjunguntur?

III. R. Statuuntur principaliter quatuor: primus modus conjunctionis est secundùm originem, quomodo conjunguntur parentes, et filii, ac consanguinei.

Secundus est secundùm aliquam societatem, quomodo cives, socii et cohabitantes conjunguntur.

Tertius est secundùm quoddam obsequium, officium vel obligationem, ut conjunguntur superiores et inferiores.

Quartus modus est specialis, quo conjunguntur maritus et uxor. His præmissis,

IV. Dicendum cum S. Thom. art. 8. ad 1. quòd ille, qui secundùm unum ex istis modis est conjunctior, sit magis diligendus in bonis, quæ ad illam conjunctionem pertinent: et sic in civilibus præferendi concives, in re bellicâ magis obediendum Duci quàm Patri, &c.

Si autem non possint præstari, quæ ad diversas conjunctiones pertinent, tunc inspici debet, quænam conjunctio major sit et urgentior: unde si non possis parentibus egentibus succurrere, nisi militiâ exeas, exire teneris.

V. 2o. Qui carnaliter conjuncti sunt, debent per se præferri aliis, in his, quæ ad naturam spectant: adeoque in pari necessitate consanguinei quoad bona temporalia et etiam spiritualia per se loquendo, præferendi sunt aliis, licèt

melioribus : quia charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit, ut ait S. Thom. ordo autem inter consanguineos hic statuendus est :

VI. 1°. Parentes in necessitate extrema, ubi vita eorum periclitatur, præferendi sunt omnibus aliis, etiàm filiis et uxori.

2°. Pater per se loquendo præferendus matri, cùm sit nobilius prolis principium quàm mater.

3°. Uxor à marito præferri debet filiis, et filii â parentibus præferendi sunt fratribus.

4°. Fratres præponi debent cognatis, et ex his viciniores præferendi sunt remotioribus.

In dispari necessitate ordinariè præferendus est ille, qui est in necessitate majori.

Filius et conjux diligüntur intensiùs, quàm parentes : quia uxor cum marito est una caro, et quia pater diligit filium ut aliquid suî, non sic filius patrem.

Hinc deducitur, quòd in cura ordinaria sustentationis conjux filios, filii parentes antecedant.

Notandum, prædicta intelligenda esse per se loquendo quia ex circumstantiis particularibus ordo præcedens variari potest : sic mater bona et sedula plus diligenda, quàm pater malus et dissipator. Etiam ratione officii vel specialis obligationis, quâ quis obstringitur non sanguine junctis succurrere, ordo ille variatur ; nam, inquit Steyaertius, verissimum est, Pastorem arctiùs teneri ad instructionem et directionem subditorum suorum, quàm consanguineorum, qui sub alio Pastore constituti sunt, nisi fortè ageretur de necessitate spirituali extrema ; sed et vi ejusdem officii subditis passim ad eleëmosynas corporales magis tenetur ex bonis beneficii sui, quàm consanguineis. Ita Steyaertius.

Denique notandum, inversionem ordinis charitatis inter nos et proximos rariùs esse peccatum mortale, si necessitatem extremam excipias.

N. 141. DE ACTIBUS CHARITATIS.

S. Thom. quæst. 27.

I. *Actus charitatis.* II. *Deus triplici ratione diligendus* III. *An dilectio amici melior quàm inimici.*

QUINAM sunt actus seu effectus charitatis ?

I. R. Principalis est dilectio. Hanc concomitantur sex alii tres interni, gaudium, pax et misericordia : et tres externi beneficentia, eleëmosyna et correptio fraterna.

II. Probat S. Thom. art. 3. Deum propter seipsum esse diligendum secundùm tria causarum genera: 1°. in genere causæ finalis: quia Deus non ordinatur ad aliud, sed ipse est finis ultimus omnium: 2°. in genere causæ formalis: quia ipse est sua bonitas, quæ est objectum formale charitatis: 3°. in genere causæ efficientis: quia ipse est causa efficiens omnis boni creati.

An Deus non potest diligi propter aliud, quàm propter se?

R. Non potest diligi propter aliud tanquam causam finalem, vel tanquam motivum totale adæquatum, ac si Deus aliter diligibilis non foret: licet tamen diligere Deum propter aliud tanquam causam impulsivam, et tanquam causam partialem inadæquatam: sic consideratione pœnarum evitandarum, beneficiorum acceptorum aut accipiendorum homo seipsum utiliter excitat ad Deum propter se amandum.

An est magis meritorium diligere amicum quàm inimicum?

III. R. Sylvius, Neesen, Billuart, &c. dicunt dilectionem amici secundùm se esse meliorem, magisque meritoriam: quia amicus est objectum melius. Wiggers, Steyaert, Daelman, &c. docent, dilectionem inimici esse magis meritoriam: quia magis ardua est et difficilis, meritum autem desumitur ex labore et difficultate operis. Quidquid sit, dilectio inimici maximè in Scriptura S. commendatur, maximèque populo inculcanda.

N. 142. DE MISERICORDIA.

S. Thom. quæst. 30.

I. *Ejus objectum,* II. *Et origo.*

QUID est misericordia?

R. Est virtus inclinans voluntatem ad alienæ miseriæ compassionem seu sublevationem.

Huic virtuti per excessum opponitur nimia cordis mollities seu indulgentia; per defectum verò durities cordis et crudelitas.

I. Objectum seu motivum misericordiæ est malum alterius aliquo modo involuntarium; et ita peccatum alterius est objectum misericordiæ, quatenùs illud quædam mala concomitantur, quæ aliquo modo sunt involuntaria, ut obligatio pœnæ, infirmitas, ignorantia, &c.

Sic etiam patet, quomodo erga martyres, quamvis voluntariè patiantur, possit esse misericordia.

II. Misericordia autem oritur vel ex amore, quo amici malum reputat ut suum, vel ex consideratione propriæ imbecillitatis, et proximitate cum miseris, quâ quis vel similia mala expertus est, vel videt, se facilè in ea incidere posse: hinc humiles, senes, sapientes, debiles et formidolosi, magis sunt misericordes, ubi è contra superbi, potentes, &c. non ita commoventur.

N. 143. DE ELEEMOSYNA.

S. Thom. quæst. 32.

I. *Eleëmosyna.* II. *Ejus divisio,* III. *Et effectus.*

QUID est eleëmosyna?

I. R. Est beneficium indigenti ex compassione præstitum. Quæ definitio comprehendit etiam eleëmosynam ex motivo merè naturali; ut ergo restringatur ad Christianum addi debet: "Propter Deum."

Cujus virtutis actus est eleëmosyna?

R. Est actus elicitus virtutis misericordiæ, et imperatus charitatis: potest etiam esse actus imperatus virtutis pœnitentiæ, quatenùs adhibetur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, sicque etiam esse potest actus imperatus aliarum virtutum.

Quomodo dividitur eleëmosyna?

II. R. In corporalem et spiritualem: quia necessitates proximi sunt duplicis generis, corporales scilicet et spirituales.

Septem numerantur utriusque generis opera.

Opera misericordiæ spiritualia exprimuntur hoc versiculo:

"Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora."

Corporalia exprimit hic versus:

"Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo."

Explicationem horum operum dat S. Th. a. 2. De corporalibus agit Scriptura S. Matth. c. 25.

Quos effectus habet eleëmosyna corporalis?

III. R. Considerata secundùm substantiam, pro effectu habet sublevationem miseriæ alterius; considerata verò secundùm virtutem misericordiæ et charitatis habet hos effectus spirituales.

1°. Disponit ad justitiam, gratias actuales impetrando, juxta id Lucæ cap. 11. V. 41. "Date eleëmosynam: "ecce omnia munda sunt vobis;" in justis etiam meritoria est vitæ æternæ, ut constat ex Matth. cap. 25. V. 35.

2o. Est satisfactoria pro pœnis peccatorum. Hi effectus sunt communes aliis operibus ex gratia supernaturali factis.

Alios habet effectus proprios, ut quòd conciliet benevolentiam aliorum, ut pro dante orent, beneficia impetrent, &c. prout constat ex "Actib. Apost." cap. 9. in Tabitha.

2°. Auget fiduciam apud Deum juxta id Tobiæ cap. 4. V. 12. "Fiducia magna erit coram summo Deo Eleëmo-"syna omnibus facientibus eam."

Eleëmosyna plerumque est causa majoris abundantiæ in bonis temporalibus, juxta id Prov. cap. 28. V. 27. "Qui "dat pauperi, non indigebit." Exemplum habetur in muliere Sarephtana, 3. Reg. cap. 17.

Nota, quòd licèt eleëmosyna effectus habeat præstantissimos, cæterorum tamen bonorum operum conditionem non excedat, quasi vel sola vel infallibiliter salvet, vel ex opere operato aliquid valeat, aut ex privilegio, ut Martyrium.

N. 144. DE PRÆCEPTO ELEEMOSYNÆ.

S. Thom. quæst. 32. art. 5.

I. *Datur præceptum eleëmosynæ.* II. *Necessarium et superfluum vitæ.* III. *Necessarium et superfluum statûs.* IV. *Triplex necessitas.* V. *Extrema, gravis et communis.* VI. *Ad quid teneamur in extrema.* VII. *In gravi,* VIII. *Et communi necessitate proximi.* IX. *An sufficiat mutuum dare.*

AN dare eleëmosynam est in præcepto?

I. R. Fide certum est contra Manichæos, dari præceptum eleëmosynæ.

Probatur ex Matthæi cap. 25. ubi Christus varios pœnâ æternâ puniendos docet ob omissionem eleëmosynæ; atqui nullus damnatur nisi propter transgressionem præcepti graviter obligantis: ergo datur præceptum eleëmosynæ et quidem obligans sub gravi.

Juxta S. Thom. hìc ad 4. reducitur hoc præceptum ad quartum præceptum Decalogi: "Honora Patrem," &c.

Quandonam obligat præceptum dandi eleëmosynam corporalem?

R. Dum hæc duo simul concurrunt, scilicet necessitas proximi, et facultas sive superfluum dantis.

Pro pleniori intelligentia notandum, dupliciter aliquid dici superfluum, item necessarium; nempe superfluum et necessarium naturæ seu vitæ, et superfluum et necessarium statûs sive personæ.

II. Necessarium vitæ dicitur illud, sine quo non potest aliquis conservare vitam suam et aliorum, quorum alendorum ipsi cura incumbit, ut parentum, uxoris, prolium, &c. unde superfluum naturæ est, sine quo quis se suosque potest sustentare.

III. Necessarium statûs vocatur illud, sine quo quis non potest convenienter vivere secundùm conditionem et statum propriæ personæ vel aliorum, quorum alendorum ipsi cura incumbit: adeoque superfluum statûs id est, sine quo quis vivere potest convenienter ad suam suorumque conditionem.

Observandum, in hac æstimatione "necessarii," non tantùm habendam esse rationem temporis præsentis, sed etiam futuri, ut, si quis proles habeat parvulas, non tantùm censetur necessarium statûs id, quod requiritur ad eas nunc alendas; sed etiam quod requiretur ad ipsas postea sustentandas et secundùm conditionem suam in statu honesto collocandas.

Similiter ad necessarium statûs spectant, quæ necessaria sunt ad illum servandum in quolibet casu calamitoso probabiliter eventuro, ut sunt senectus, morbi, bellum, &c. Casus tamen qui à merè possibilibus possunt contingere, attendi non debent.

Observandum etiam, quòd statûs decentia metienda non sit juxta fastum et ambitionem alicujus, sed juxta communem vivendi modum timoratorum ejusdem conditionis: et hinc damnata est hæc propositio 12. ab Innoc. XI. "Vix "in sæcularibus invenies, etiam Regibus, superfluum statui: "et ita vix aliquis tenetur ad eleëmosynam, quando tenetur "tantùm ex superfluo statui."

IV. Oportet hìc etiam distinguere triplicem necessitatem corporalem conformiter ad Num. 138. ubi de necessitate spirituali.

V. Extrema hìc dicitur, dum vita proximi, si ei non succurratur, evidenter periclitatur. Gravis est, quando mors non quidem valdè probabiliter imminet, probabili tamen conjecturâ timetur: item quando aliquod notabile malum minus morte evidenter imminet, ut gravis morbus, infamia, amissio statûs, &c. Communis necessitas est, quam patiuntur pauperes, qui ostiatim mendicare solent. His præmissis,

VI. Dicendum 1°. in necessitate proximi extrema, danda st eleëmosyna de superfluis non tantùm statûs, sed etiam itæ : quia ordo charitatis postulat, ut magis diligamus vitam roximi, quàm statûs nostri decentiam : non tamen danda st eleëmosyna de necessariis vitæ : quia vita propria præ-renda est vitæ alterius.

VII. 2°. In necessitate gravi proximi, quam S. Th. ur-entem vocat, tenemur dare eleëmosynam de superfluis sta-ìs, imò de necessariis statûs, si sint superflua vitæ, quando inè notabili detrimento eis carere possumus ; ordo enim haritatis postulat, ut succurramus gravi necessitati proximi, uando id sine magno nostro incommodo fieri potest.

VIII. 3°. Gravis quoque est obligatio dandi eleëmosy-am ex superfluis naturæ et statûs in communi necessitate roximi : hoc probant expressiones Scripturæ Sacræ et SS. atrum, et ordo amoris ante expositus.

Hæc tamen est differentia inter necessitatem communem t gravem vel extremam, quòd huic vel huic pauperi neces-itatem communem patienti non tenear dare eleëmosynam, ed solùm in communi : ubi necessitatem gravem vel extre-am patienti teneor in particulari.

Ex dictis colligitur, gravis peccati reos esse, qui accumu-ant pecunias nec statui præsenti, nec probabiliter futuro ecessarias, qui superflua potiùs sinunt corrumpi, quàm ex is dare eleëmosynam, qui ut luxum et delicias augeant, leëmosynas minuunt, qui tempore publicæ necessitatis gra-a asservant spe majoris lucri, &c.

Notandum tamen, quòd tales non peccent contra justi-iam strictè dictam, sed contra charitatem et misericordiam ; deoque postea non teneantur ad restitutionem.

An sufficit proximo indigenti succurrere dando mutuum, ommodando, vendendo creditò, &c ?

IX. R. Si quis sit simpliciter pauper, id est, si neque tu hìc aut alibi habeat bona, neque spem fundatam haben-i, non satisfit præcepto dandi eleëmosynam mutuando, com-odando, &c. quia datur præceptum eleëmosynæ distinc-um à præcepto mutuandi ; adeoque debet pauperi subvenire atis et sine ejus gravamine.

Excipè, nisi res, quâ quis indiget non sit usu consumpti-is, neque necessaria quoad substantiam, sed tantùm oad usum ; tunc enim necesse non est dare rem ipsam, d sufficit gratìs concedere usum, donec necessitas transi-it.

Si proximus non sit simpliciter pauper, sufficit ei mutuum re, creditò vendere, commodare, &c.

Laudabile interim sæpe est, et opus charitatis exercet, qui notabilem pecuniæ summam alicui dat, quâ per artem vel industriam ad statum meliorem perveniat, etiamsi cum onere restitutionis, dum postea status ejus id commodè feret.

An ab eleëmosyna facienda excusantur, qui dicunt se opes servare, ut post mortem applicentur ad usum pauperum, vel ad alias pias causas?

R. Nullus hoc prætextu excusari potest in vita ab eleëmosynis statui suo convenientibus; dicitur enim Ecclesiastici cap. 14. V. 13. "Ante mortem benefac amico tuo, "et secundùm vires tuas exporrigens da pauperi."

Certè tales ordinariè convincuntur, nolle divitias deserere, priusquam deserantur ab illis. Interim dubium non est, inquit Steyaert, in morte etiam specialiter obligare præceptum eleëmosynæ, ut Christus partem suam cum cæteris hæredibus habeat.

N. 145. A QUIBUS ET DE QUIBUS FIERI POSSIT ELEEMOSYNA.

S. Thom. quæst. 32. *art.* 7. *et* 8.

I. *Eleëmosynam dare possunt* II. *Uxor,* III. *Famulus,* IV. *Filius-familias,* V. *Religiosus,* VI. *Beneficiatus.* VII. *An fieri possit de illicitè acquisitis.*

QUISNAM dare potest eleëmosynam?

I. R. Per se loquendo solus ille, qui liberam bonorum suorum administrationem habet: possunt tamen etiam alii de consensu tacito, vel rationabiliter præsumpto illius, cujus interest.

II. Hinc uxor de bonis communibus non nisi de consensu viri tacito, vel præsumpto seu tali, quem rationabiliter dare deberet, eleëmosynam facere potest, pro quo attendi debet mos uxorum istius loci vel conditionis. Quòd si constet, maritum absolutè nolle, ut quidquam ab uxore erogetur, videtur ipsi abstinendum esse, ut paci familiæ consulat.

III. Famulantes nihil ex bonis Dominorum dare possunt, nisi legitimè eorum consensum aut ratihabitionem præsumant.

IV. Idem est de filiis-familias: quoad bona tamen castrensia vel quasi castrensia, de iis possunt, etiam parentibus invitis, eleëmosynam dare.

V. Religiosus potest eleëmosynam dare de iis, circa quæ habet commissionem tacitam vel consensum præsumptum,

superiorum; adeoque ut minùs de iis, quæ sunt ad honestos usus in generali concessa. Si Religiosus habeat beneficium extra monasterium, de fructibus disponit, ac si non foret Religiosus, ait Steyaert.

VI. Beneficiati tenentur superflua beneficii sui erogare in eleëmosynas, vel alias pias causas, certò ex charitate: an etiam ex justitia, discutitur in Tractatu "de Jure et Justi- "tia," in quo etiam dicta latiùs examinantur.

Ex quibus bonis fieri debet eleëmosyna?

R. Regulariter fieri non potest ex bonis alienis: potest tamen consensus præsumptus et ratihabitio sufficere, ut supra dictum est.

An eleëmosyna fieri potest de bonis illicitè acquisitis?

VII. R. Si id, quod illicitè acquisitum est, ex justitia reddi debet alteri, ut contingit in furto, usuris, &c. de talibus non potest fieri eleëmosyna, sed facienda est restitutio. Aliud foret, si Dominus inveniri non posset, ut alibi latiùs docetur.

2°. Aliqua illicitè acquiruntur, sic ut acquirens ea non possit retinere, nec restituere illi, à quo acquisivit; quia scilicet, contra justitiam accepit et alter contra justitiam dedit, ut contingit in Simonia, et talia debent in eleëmosynas erogari.

3°. Aliqua acquiruntur ex peccato, sic ut acquisitio non sit contra legem aut justitiam, v. g. ex meretricio: et talia juxta S. Thom. retineri possunt, et consequenter salubriùs in eleëmosynas erogantur.

N. 146. DE CORRECTIONE FRATERNA.

S. Thom. quæst. 33.

I. *Correptio fraterna* IV. *Est in præcepto.* III. *Quo tempore facienda,* IV. *Et quomodo.* V. *Et quis corripi debeat.* VI. *An Superior.* VII. *An peccans ex ignorantia.*

QUID est correptio fraterna?

I. R. Est admonitio proximi peccatoris facta à privato vel quasi privato, ut proximus emendetur.

Dicitur "fraterna:" quia non fit authoritate juridicâ, nequè ad pœnam vel punitionem, sed à proximo ut fratre suaviter, et ad bonum fratris delinquentis.

Dicitur "facta à privato vel quasi privato:" quia etiam locum habere potest in Superiore respectu inferioris, dum

Superior non tanquam Superior præcipiens vel puniens, sed tanquam privata persona subditum monet.

Per particulas "ut proximus emendetur," designatur finis fraternæ correptionis.

An correptio fraterna est in præcepto?

II. R. Affirmativè: ut liquet ex Matth. cap. 18. V. 15. "Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum."

Est etiam de jure naturali: quia jure naturæ tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti, multò igitur magis indigenti spiritualiter.

Quosnam obligat hoc præceptum?

R. Omnes homines, qui ad eam faciendam sunt idonei, et præ cæteris superiores, ut Parentes, Pastores, Prælatos, &c. respectu subditorum; id enim exigit ordo charitatis et eorum officium: deinde ad eam faciendam magis apti esse solent.

An etiam obligat peccatores?

R. Affirmativè: per peccatum enim à præcepto naturali et divino non liberantur. Loca Scripturæ Sacræ quæ apparent contraria, agunt de peccatoribus corripientibus cum scandalo vel ex superbia.

Quandonam correptio fraterna fieri debet?

III. R. Quando habetur major opportunitas, et fini correptionis magis congruit. Hinc, ut observat Neesen, non semper facienda est in instanti, sed ad tempus magis opportunum sæpe differenda; et ideo proximus corripiendus non est tempore, quo est ebrius, in passione iræ, &c. sed expectandum donec ebrietas vel passio transierit; nulla enim tunc esse solet spes emendationis.

Debet tamen aliquando statim fieri correptio, 1o. ob periculum præsentis, aut continuandi peccati; 2°. ad tollendum scandalum aliàs nocivum, 3o. ad defendendum honorem Dei vel famam proximi, in supposito, quòd adsit spes fructûs.

Quibus modis fit correptio illa?

IV. R. Fieri potest verbis, v. g. per authoritatem compescendo, vel fraternè monendo: fit etiam factis, ut vultu tristi, sermonem ad alia divertendo, aut aliis modis, quibus proximus apertè vel implicitè monetur.

Quinam debent corripi?

V. R. Omnes, qui tuâ correptione indigent, et de quibus fructus speratur.

An ergo subditus corripere debet aliquando superiorem suum?

VI. R. Affirmativè; quia et ille frater ejus est: verùm id maximâ circumspectione fieri debet, ut nempe correptio

sit modesta et reverentialis, non increpatoria, juxta illud Apost. 1. ad Timoth. c. 5. "Seniorem ne increpaveris, sed "obsecra ut Patrem;" item ut correptio non fiat palam seu publicè, nisi fortè superioris peccata forent scandalosa, vel multitudini perniciosa, ut si hæresim spargeret, &c.

An corripiendus est proximus, qui peccat, vel peccaturus prævidetur ex ignorantia?

VII. R. Quando periculum est, ne proximus in peccatum formale incidat, vel in eo permaneat, et spes est eum inde eripiendi, correptio, seu monitio et instructio est adhibenda: et idem est, si peccatum dumtaxat materiale vel leve foret ob ignorantiam, modò ignorans credatur corrigendus.

Si verò peccatum non nisi materiale vel leve sit ob ignorantiam et major sit metus, ne correptus vel monitus jam formaliter vel graviùs peccet, supersedendum est: nisi tamen, inquit Steyaert, propter alios, qui simul audiunt, corripere vel monere sit necesse, prout sæpe Pastores publicè docere aliquid debent propter multos, etsi id paucis obfuturum credant. Vide plura in Tract. "de Sacramento "Pœnitentiæ," Num. 154.

N. 147. DE CONDITIONIBUS REQUISITIS, UT CORREPTIO FRATERNA OBLIGET.

I. *Conditiones ut obliget correptio fraterna.* II. *Ut sit peccatum mortale.* III. *Cujus habetur notitia.* IV. *Ut sit spes emendationis.* V. *Necessitas proximi.* VI. *Et fieri possit sine gravi corripientis incommodo.*

QUÆNAM conditiones requiruntur, ut correptio fraterna obliget?

I. R. Potissimum quinque sequentes:

II. Prima, ut peccatum sit mortale, prout colligitur ex his Christi verbis Matth. cap. 18. V. 15. "Si te audierit, "lucratus eris fratrem tuum;" si lucreris fratrem tuum: ergo perierat: proinde peccaverat mortaliter.

Per accidens tamen sola venialia sunt materia correptionis fraternæ, v. g. ob periculum proximum peccandi mortaliter, ratione scandali, vel alterius malæ sequelæ; unde Superior in Religione tenetur corripere illa venialia, quæ disciplinæ regularis rigorem notabiliter lædunt.

An etiam peccata mortalia in alios commissa sunt materia correptionis fraternæ, cùm Christus dicat: si peccaverit "in te?"

R. Affirmativè: quia illud "in te" secundùm multos significat "coram te" vel "te sciente;" unde cùm homo sit Filius Dei, ipse amor jubet impedire peccatum, quod est contra Deum Patrem nostrum, et ita quodammodo contra nos.

Secundùm alios "in te" quidem significat "contra te;" sed inde inferri non potest, peccata mortalia in alios commissa non esse materiam correptionis; sed contrarium inferri debet; si enim sit opus charitatis, fraternam correptionem impendere proximo, quando nos offendit, (in quem proinde commotiore solemus esse animo) quantò magis fidem præstare debemus proximo, dum peccat in alium, et nos non offendit.

III. Secunda conditio est, ut habeatur aliquo modo certa notitia peccati proximi ob temeritatis propriæ et offensionis alienæ periculum: in dubio itaque regulariter non obligat correptio fraterna, nec in vitam et mores proximi inquirendum, nisi quis esset Superior.

IV. Tertia est, ut sit spes emendationis, prout oritur ex his Christi verbis: "Si te audierit." Non requiritur tamen spes certa, sed sufficit probabilis, modò non sit probabilius vel æquè probabile, correptionem fore nocivam; tunc enim ordinariè non esset adhibenda, ait Collet.

Dicitur "ordinariè:" quia aliquando adhibenda est correptio, etsi dubitetur, an sit profutura; 1°. Si peccator sit in proximo mortis periculo: quia si prosit correptio, liberabitur ille ab æterna damnatione; si non prosit, tantùm hoc sequetur, quòd paulò graviùs sit damnandus. 2°. Si correptio fiat ad alium finem, quàm ad emendationem delinquentis, v. g. ad impediendum damnum tertii vel reipublicæ, vel dehonorationem Dei, ut si quis proximo coram aliis detrahat, scandalum præbeat, errores disseminet, blasphemias proferat, &c. Etiamsi spes emendationis non sit in peccante, modò sit spes impediendi malum aut damnum ex ejus peccato consequens, potest et debet adhiberi correptio.

V. Quarta conditio est necessitas proximi, ita ut timeatur, ne sine nostra correptione in peccatum incidat, pergat aut maneat; colligitur ex his verbis: "Lucratus eris fratrem tuum;" igitur si prævideatur proximus seipsum sine nostra correptione emendaturus, vel ab aliis sufficienter corripiendus, monitio nostra non est necessaria.

VI. Quinta conditio est, ut correptio fieri possit sine gravi corripientis damno aut incommodo: cum quanto verò incommodo fieri debeat, colligitur ex Num. 138. Cer-

tum est non excusare periculum indignationis, quod plerumque subest; aliàs vix unquam correptioni locus esset.

N. 148. DE ORDINE CORREPTIONIS FRATERNÆ.

S. Thom. quæst. 33. *art.* 7. *et* 8.

I. *Ordo correptionis fraternæ* II. *Est servandus.* III. *Nisi in quibusdam casibus.*

QUIS ordo servandus in correptione fraterna?

I. R. Ordinem hunc describit Christus Matth. cap. 18. nimirùm 1°. ut frater peccans privatim moneatur: "Vade "et corripe eum inter te et ipsum solum."

2°. Si secreta monitio non profuerit, adhiberi debet unus vel duo testes correptionis: "Si autem te non audierit, "adhibe tecum adhuc unum vel duos." Cùm autem jure naturæ consulendum sit famæ proximi, quantùm fieri potest, si sufficiat unus testis, non licèt adhibere duos: item si fieri possit, adhibendi sunt testes, quibus peccatum proximi est notum.

3°. Desperato et hoc remedio, procedi debet ad denuntiationem, juxta id: "dic Ecclesiæ," hoc est, Ecclesiæ Prælatis, seu Ecclesiastico superiori delinquentis.

Quare ordo ille servandus est?

II. R. Ut sic parcatur famæ et verecundiæ proximi peccantis; hinc peccatum occultum proximi per se loquendo ante desperatum remedium privatæ monitionis alteri detegere non licet.

Quare secundo loco testes sunt adhibendi?

R. Ut plurimùm authoritate peccans admoneatur, et ut possit apud Ecclesiam conveniri sub testibus, si contumax fuerit.

An ordo præfatus semper servandus est?

III. R. Negativè: sic 1°. servandus non est dum peccatum est publicum, de quò casu intelligendus est Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. V. 20. "Peccantes coram om"nibus argue, ut et cæteri timorem habeant."

2°. Quando quis renuntiavit juri ad famam, ut fiebat apud Patres Societatis Jesu.

3°. Quando prævidetur, quòd Privata monitio vel adhibitio testium profutura non sit: atque ideo justè præceptum est, ut sollicitans ad turpia in confessione denuntietur Ordinario loci.

4°. Dum periculum est in mora, ut si peccatum vergat in nocumentum communitatis aut Religionis, vel in grave damnum tertii, v. g. si quis, licèt occultè, agat de prodenda civitate, spargat hæreses, mortem alicui machinetur, &c. excipit S. Thom. "Nisi fortè aliquis firmiter existimaret, "quòd statim per secretam admonitionem posset hujusmodi "mala impedire."

5°. Quando denuntiatio aut publica correptio necessaria est, ut scandalum impediatur, sicuti factum est à Paulo respectu Petri.

An rectè fecerunt Petrus Act. cap. 5. et Joseph Gen. cap. 37.?

Respondet S. Thom. art. 7. affirmativè; nam Petrus publicavit peccatum occultum Ananiæ et Saphiræ tanquam executor Dei, cujus relatione peccatum cognovit.

De Joseph dici potest, quòd fratres suos monuerit, licèt id Scriptura non exprimat, vel quòd fortè peccatum inter fratres esset publicum, vel si fuerit occultum, rationabiliter existimare potuerit privatam monitionem non profuturam, cùm fratres ipsum odissent, nec potuissent ei quidquam pacificè loqui.

Quoties proximus est corripiendus?

R. Toties et tamdiu, quàm fructus speratur.

Explica hæc verba Christi: "Sit tibi sicut Ethnicus et "Publicanus."

R. Sensus est, si proximus Ecclesiam non audierit sese corrigendo, habe eum, quomodo Judæi habebant Ethnicos et Publicanos, id est, abstine ab ejus consortio, neque in divinis, neque in humanis cum eo communices, tùm ut sic pudefactus resipiscat, tum ne suo contagio alios inficiat.

N. 149. DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

S. Thom. quæst. 34. et sequentibus.

I. *Vitia charitati opposita.* II. *Odium.* III. *Est duplex:* IV. *Abominationis,* V. *Et inimicitiæ.* VI. *Odium Dei est maximum peccatum.* VII. *Odium proximi est ex genere suo mortale.* VIII. *Monitum practicum.*

QUÆNAM vitia dicuntur charitati opposita?

R. Quamquam omne peccatum mortale eatenus charitati adversetur, quòd eam excludat et destruat; aliqua tamen peccata magis directè charitati opponuntur, et ejus actibus adversantur.

Quænam sunt illa vitia?

I. R. Recensentur à S. Thom. sequentia: odium Dei et proximi, acedia, invidia, discordia, contentio, schismá, bellum, rixa, seditio et scandalum. De invidia et acedia egimus Num. 144. et 147. "de Peccatis," de cæteris alibi non explicatis hic breviter agendum.

Quid est odium?

II. R. Est actus mentis objectum aliquod aversantis.

Quotuplex datur odium?

III. R. Duplex, scilicet odium abominationis et inimicitiæ.

IV. Odium abominationis est, quo rem vel personam aversamur ut nobis vel nostris malam.

Odium abominationis proximi distinguitur duplex, scilicet odium abominationis ipsius personæ, quo ipsum secundùm se, quantùm ad naturam vel gratiam, velut malum displicens aversamur: estque semper malum. Aliud est odium abominationis qualitatis proximi, quo personam sub certa qualitate, vel potiùs qualitatem ipsam aversamur: et hoc, si sit de bonis qualitatibus, est malum, si de malis, potest esse bonum.

V. Odium inimicitiæ est, quo ex personæ displicentia volumus ei malum, ut ei malè sit: et hoc odium semper est vitiosum.

Quantum peccatum est odium Dei?

VI. R. Est peccatum gravissimum comparativè ad alia peccata; quia repugnat virtuti præstantissimæ secundùm primarium illius actum, scilicet dilectionis Dei: nec in eo datur parvitas materiæ; quia Deo optare etiam levissimum malum, eidem est maximè injuriosum.

Quantum peccatum est odium proximi?

VII. R. Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum ex genere suo mortale: potest tamen esse veniale ex parvitate materiæ, ut si ex levi personæ displicentia leve eidem malum optetur.

Odium abominationis personæ proximi similiter peccatum est ex genere suo mortale: potest tamen esse veniale ex levitate materiæ, ut est levis aversio: imò, secundùm Preinguè et Billuart, raró est mortale, quando est simplex displicentia vel aversio à persona absque eo, quòd ei aliquod malum optetur. Est tamen periculosum, maximè dum diu durat: quia natum est fieri, quòd complaceant mala, quæ hinc inde proximo obveniunt.

Quo sensu dicit Christus Luc. cap. 14. V. 26. "Si qui "venit ad me, et non odit patrem suum, non potest esse "meus discipulus?"

R. Non agitur ibi de odio simpliciter dicto, sed sensu est, quòd, adinstar odientium, parentes deserere debeamus dum sunt impedimenta salutis: sive agitur de odio abominationis, quo qualitates parentum, seu eorum inordinato affectus aversari debemus, quibus nos à bono avertere nituntur.

VIII. Observat S. Thom. odium potiùs esse aliorum vitiorum terminum, quàm originem, ac ideo inter viti capitalia non numerari.

Circa hoc peccatum præcipuè interrogandum in confessione, 1°. quale malum optaverit proximo.

2°. De odii causa seu origine: 3°. de duratione.

4°. De effectibus. Vide Num. 95. "de Peccatis."

Nota, malum proximo exoptatum exprimi debere in confessione; nam optare alicui damnationem æternam, vel mortem aut infamiam, &c. sunt actus, qui habent diversas deformitates.

N. 150. DE MALEDICTIONE.

S. Thom. 2. 2. quæst. 76.

I. *Maledictio.* II. *Ex genere suo mortale.* III. *Maledictio creaturarum irrationabilium.*

SANCTUS Thomas agit de maledictione, ubi tractat de contumelia: quia tamen charitati opponitur, et ad odium spectat, ideo non incongruè de ea hìc agitur.

Quid est maledictio?

I. R. Est imprecatio mali quatenùs malum est, v. g. dum quis sibi vel alii optat ut fulmine pereat, crura sibi frangat &c. intendens malum ipsum: maledictio Dei continetur sub blasphemia.

Quantum peccatum est maledictio?

II. R. Cum. S. Thom. art. 3. est ex genere suo peccatum mortale: quia excludit à regno cœlorum, juxta illud I. ad Cor. cap. 6. V. 10. "Neque maledici...regnum Dei "possidebunt."

"Potest tamen esse peccatum veniale, ait S. Thomas, vel "propter levitatem mali, quod quis alii imprecatur, vel "etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis "verba, dùm ex levi motu, vel ex ludo aut ex subreptione "aliquis talia verba profert."

Observa tamen, maledictionem sæpius esse mortalem vel ob conscientiam erroneam, vel ratione contumeliæ gravis, dum sunt personæ qualificatæ; vel ratione scandali, ob quod sæpius graviter peccant parentes, grave malum pueris suis imprecantes sine animo ut eis eveniat; quia malo suo exemplo docent eos sibi invicem vel aliis grave malum imprecari et iræ servire: si autem ex animo filiis maledicant, sæpe in se et pueros suos divinam vindictam accersunt, ut videre licet apud S. Aug. lib. 22. "de Civit. Dei," cap. 8.

An optare vel imprecari alicui malum semper sit illicitum, vide Num. 130. circa finem.

Quid dicendum de maledictione creaturarum irrationabilium?

III. R. Cum S. Thom. art. 2. maledicere illis, quatenùs sunt creaturæ Dei, est blasphemia. Maledicere illis quatenùs sunt utiles homini, est æquivalenter maledicere homini. Maledicere eis secundùm se consideratis, est otiosum et vanum, adeoque per se tantùm venialiter malum.

N. 151. DE DISCORDIA, CONTENTIONE, SCHISMATE, RIXA ET SEDITIONE.

S. Thom. quæst. 37. et seq.

I. *Discordia.* II. *Contentio.* III. *Schisma.* IV. *Ejus divisio.* V. *Rixa.* VI. *Seditio.*

QUID est discordia?

I. R. Est dissensio voluntatum in bono, tendens ad pacis seu concordiæ dissolutionem.

Dicitur "voluntatum:" quia sicut concordia est unio voluntatum, ita discordia est dissensio voluntatum.

"In bono," quia discordare in malo laudabile est.

"Tendens ad pacis dissolutionem:" hinc dissensio Pauli et Barnabæ Act. cap. 15. non erat vitiosa: quia conveniebant ambo in hoc idem, ut facerent quod Deo placeret, et divulgando Evangelio expediret, licèt Barnabas ob unam rationem existimaret, Marcum esse assumendum, et Paulus ob aliam non assumendum dijudicaret.

Quid est contentio?

II. R. Est altercatio verborum, quibus aliquis inordinatè alteri contradicit: est ex se mortalis, dum seriò impugnatur veritas pertinens ad fidem, mores, justitiam, &c.

Si tantùm fiat exercitii vel examinis causâ, nullum est peccatum, nisi sit excessus in modo, vel convitia misceantur, aut sit periculum scandali: est autem contentio, sicut et discordia, filia superbiæ, vel inanis gloriæ, ut docet S. Th. quæst. 38. art. 2.

Quid est schisma?

III. R. Est voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ, retentâ Christiani nominis professione: unde non quævis inobedientia est schisma, sed solùm illa, quæ est cum intentione saltem indirecta se separandi ab unitate Ecclesiæ.

Quotuplex datur schisma?

IV. R. Aliud est schisma à capite Ecclesiæ seu Romano Pontifice, aliud est schisma à membris Ecclesiæ, aliud est à capite et membris simul.

Hæresis nequit esse sine schismate; schisma tamen potest esse sine hæresi, sed ordinariè ei conjungitur, vel saltem in eam desinit, ut sic rectè ab Ecclesia recessisse videantur. Vide latiùs apud Sylvium.

Porro schisma est peccatum de se valdè grave, cùm lædat præstantissimum Ecclesiæ bonum, nempe unitatem.

Quid est rixa?

V. R. Est pugna manuum et verborum inter privatos, quâ nimirum animis irâ incensis unus alterum percutere vel lædere molitur. In aggressore est ex genere suo peccatum mortale, ut patet ex Apost. ad Gal. cap. 5. ubi numeratur inter opera carnis excludentia à Regno Cœlorum. Ex parte se defendentis potest nullum esse peccatum, si se defendat cum debita moderatione: quòd si modicum excedat in suî defensione, vel levis aliquis motus iræ aut vindictæ se immisceat, est veniale: si autem multùm excedat se defendendo, ut, si obfirmato animo insurgat in impugnantem ad eum occidendum vel graviter lædendum, erit mortale peccatum. Ita S. Thom. quæst. 41. art. 1. in "Corp."

Quid est seditio?

VI. R. Est tumultuatio unius partis reipublicæ adversùs aliam vel adversùs Principem suum, estque de se peccatum valdè grave, quia graviter adversatur pari et bono communi.

N. 152. DE SCANDALO.

S. Thom. 2. 2. quæst. 43.

Scandalum II. *Est dictum* III. *Vel factum* IV. *Minùs rectum,* V. *Præbens alteri occasionem ruinæ*

spiritualis. VI. *Aliud est activum.* VII. *Quod vel est directum.* VIII. *Vel indirectum.* IX. *Aliud passivum.* X. *Quod vel est datum.* XI. *Vel acceptum tantùm.* XII. *Hoc vel est Pharisaïcum.* XIII. *Vel pusillorum.* XIV. *Error vulgi.*

QUID est scandalum?

I. R. Est dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis, sive peccati.

Sub "dicto et facto" comprehenduntur "non dictum," quando oportet loqui, et "non factum," quando oportet facere, sive dicti et facti omissiones, ut in definitione peccati dictum est: ita parentes sæpe scandalum præbent prolibus, omittentes hominis christiani officia.

II. Sub "dicto" comprehenduntur cantilenæ, colloquia impudica vel impudicitiam sub verbis æquivocis insinuantia, quæ certè à malitia scandali non excusantur prætextu recreationis: item verba contumeliosa, irrisoria, libri impudici, &c.

III. Sub "facto" comprehenduntur omnes illi actus, qui de se, vel ex circumstantiis sunt minùs recti, et proximo præbent occasionem peccati, ut nimius mulierum ornatus, illecebrosa earum nuditas, gestus obscœni, &c.

IV. Dicitur "minùs rectum," vel quia dictum vel factum secundùm se malum est, vel quia habet speciem mali: hinc actiones de se non malæ, imò etiam ex se bonæ debent aliquando omitti, ut impediatur scandalum, ex eo quòd ab aliis apprehendantur ut malæ. Prout si dispensatus carnes comederet die Veneris coram ignorantibus dispensationem, si Pastor, etsi castissimè vivat, teneat ancillam de incontinentia suspectam, scandala esse possunt.

V. Additur "præbens alteri occasionem;" tum quia non debet ruina proximi effectu sequi, sed sufficit, quòd ei præbeatur occasio, tum quia scandalum non potest esse causa propriè dicta peccati alterius, cùm sola causa efficax peccati sit propria voluntas peccantis.

Quare non ponitur hìc "concupitum" sicut in definitione peccati?

R. Quia peccatum internum, cùm in corde lateat, non potest alteri præbere occasionem peccandi: potest tamen quis actu interno committere peccatum scandali, si ita animo sit paratus, ut velit alicui dare occasionem peccandi.

Quomodo dividitur scandalum?

VI. R. 1°. In scandalum activum jam definitum, et in passivum.

Activum, aliud est directum, sive per se; aliud indirectum sive interpretativum.

VII. Directum est, quando quis expressè intendit alterum in peccatum inducere.

VIII. Indirectum est, quando quis aliquid dicit vel facit, cujus occasione prævidetur alter in peccatum inducendus, etsi hoc non intendat.

IX. Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis proximi orta ex dicto vel facto alterius.

X. Scandalum passivum, vel est datum, et acceptum, scilicet dum peccatum proximi verè oritur ex dicto vel facto alterius minùs recto.

XI. Vel est acceptum tantùm, et non datum, et hoc est peccatum proximi, quod non verè oritur ex dicto vel facto alterius, sed vel ex malitia peccantis, vel ex ejus infirmitate aut ignorantia.

XII. Hinc interim scandalum acceptum tantùm, duplex est; nam vel oritur ex mera peccantis malitia, et vocatur Pharisaïcum; quia Judæi scandalizabantur ex operibus Christi sanctissimis:

XIII. Vel oritur ex peccantis infirmitate aut ignorantia, et vocatur scandalum pusillorum, seu infirmorum.

Alii referunt scandalum pusillorum ad scandalum datum, et per scandalum acceptum tantùm intelligunt Pharisaïcum.

Ex dictis patet, quandoque esse scandalum passivum sine activo, ut Pharisaïcum; quandoque esse activum sine passivo, v. g. dum quis alterum dicto vel facto conatur inducere in peccatum, et ille non consentit; et quandoque esse scandalum activum cum passivo, dum ex inductione unius alter peccat.

XIV. Notandum itaque, falsam esse opinionem vulgi, putantis aliquem tunc scandalizari, dum occasione dicti vel facti improbi indignatur; tunc autem non scandalizari, dum improbitati alterius applaudit vel delectatur, cùm è converso in secundo casu scandalizetur, non in priori.

N. 153. DE MALITIA SCANDALI.

S. Thom. quæst. 43. art. 2. 3. et 4.

I. *Scandalum passivum semper est peccatum.* II. *Activum est speciale et de se mortale.* III. *Undenam desumatur ejus gravitas.* IV. *Quomodo necesse est ut veniant scandala.* V. *Quomodo non cadat in perfectos.*

AN scandalum semper est peccatum?

I. R. Scandalum passivum semper est peccatum in eo qui scandalizatur, cùm in ipso sit ruina spiritualis: non tamen est peccatum speciale, quia ex alterius dicto vel facto ansam peccandi sumere, non habet specialem difformitatem.

II. Scandalum activum est peccatum speciale contra charitatem, et ex genere suo mortale: est speciale, quia repugnat speciali virtuti nempe charitati, quâ proximum diligere, ac adeo ejus peccatum avertere debemus: est de se sive ex genere suo mortale: quia Christus imprecatur "væ," Matth. cap. 18. V. 7. "Væ homini illi, per quem "scandalum venit."

Undenam potissimùm desumitur gravitas peccati scandali?

III. R. Non solùm ex peccato, ad quod alterum inducit, sed etiam ex intentione scandalizantis, ex conditione operis, ex qualitate scandalizantis et scandalizati, numero scandalizatorum, &c.

Itaque gravitas vel levitas non desumitur ex sola actione scandalosa; nam peccatum in se grave potest esse leve in ratione scandali, et contrà peccatum in se leve potest in ratione scandali esse grave: sic qui gravem viro sancto, quem scit leviter tantùm inde commovendum, impingit alapam, graviter peccat in ratione injuriæ et leviter in ratione scandali: è converso, si juvenis dicat verbum amatorium mulieri conjugatæ, marito præsente, prævidens inde magnam inter conjuges orituram dissensionem, peccabit mortaliter.

Imò res per se nihil mali habens potest ratione scandali fieri mortaliter mala, dum nempe ex ea, grave scandalum prævidetur et non datur justa ratio se habendi permissivè.

Scandalum potissimùm fieri solet jussione, consilio, consensu, aurium, oculorum vel tactûs illecebrâ, sermone, exemplo, vel omissione rectè agendorum.

Quomodo intelligitur hic textus Matth. cap. 18. V. 7. "Necesse est ut veniant scandala?"

IV. R. Cum S. Thom. art. 2. ad 1. eum non intelligi de necessitate absoluta, sed conditionali; quia scilicet necesse est præscità vel prænuntiata à Deo evenire: 2°. necesse est necessitate finis; quia utilia sunt ad hoc, ut qui probati sunt, manifesti fiant: 3°. necesse est; quia attentâ hominum malitiâ fieri non potest, quin aliquando eveniant scandala, hæcque interpretatio cæteris videtur præferenda.

Quomodo intelligitur hoc vulgatum: "In perfectum "non cadit scandalum?"

V. Hoc sensu, quòd quamdiu perfecti sunt, neque ipsimet occasione dicti vel facti alterius ruant, neque etiam aliis dicto vel facto suo occasionem ruendi præbeant; hinc dicitur Psalmo 118. "Pax multa diligentibus legem tuam, "et non est illis scandalum."

Hæc intellige de eo, quod ordinariè fit; nam cùm non sint in gratiâ confirmati, possunt ab ea excidere, ita et scandalum dare et excipere.

N. 154. DE ILLIS QUÆ FIERI DEBENT AUT OMITTI AD VITANDUM SCANDALUM.

S. Thom. quæst. 43. *art.* 7. *et* 8.

I. *Obligatio ad vitandum scandalum* II. *Pusillorum.* III. *Pharisaïcum.* IV. *Non omnis actio mala coram aliis est scandalosa.* V. *Scandalum ex opere indifferenti.* VI. *Variæ resolutiones.* VII. *Examen pœnitentis circa scandalum.*

QUÆNAM ad vitandum scandalum fieri debent vel omitti?

I. R. 1°. Nunquam licet vel leve peccatum committere ad vitandum scandalum: quia, ut ait S. Thomas, homo se plus quàm proximum diligere debet in bonis spiritualibus, deinde non licet facere mala ut eveniant bona.

II. 2°. Bona spiritualia non necessaria ad salutem ad vitandum scandalum pusillorum omitti vel occultari aut differri debent, donec reddatur illis ratio facti: quòd si post redditam rationem illius, quod justè peragitur, scandalum adhuc perseveret, jam videbitur scandalum esse ex malitia, sicque continuandum, nisi fortè pusilli rationem non comprehendant.

3°. Bona temporalia, de quibus liberam habemus dispositionem, propter scandalum pusillorum, vel sunt dimittenda, ea tribuendo, vel non repetendo (modò, ait Sylvius, jactura non sit magna: quia hæc non est necessariò sustinenda, dum proximus non est in necessitate extrema) vel scandalum aliter per monitionem aut instructionem sedandum est: sic Christus Matth. c. 17. solvit tributum, ut scandalum vitaret.

III. 4°. Ad vitandum scandalum Pharisaïcum non sunt omittenda bona spiritualia, quando rationabilis adest causa

ea faciendi: sic de Pharisæis, qui ex malitia scandalizabantur, dicit Christus Matth. cap. 15. V. 14. "Sinite illos; "Cæci sunt, et Duces Cæcorum."

Dictum est, "quando rationabilis adest causa:" quia charitas vetat, ne absque ulla causa proximo etiam ex malitia peccaturo offeramus occasionem peccandi.

5°. Similiter propter scandalum Pharisaicum bona temporalia per se non sunt dimittenda: quia per hoc daretur occasio malis rapiendi aliena, quod noceret bono communi, et in malitia persistendi.

Denique omittenda et vitanda sunt omnia, quæ vel ex se mala sunt, vel malo valdè affinia, ex quibus ruina alterius nata est sequi, cujusmodi sunt oculus lascivus, gestus obscœnus, conventicula promiscua juvenum et puellarum ad choreas, tripudia, compotationes, &c.

An locum habet peccatum scandali, dum quis solicitat proximum, habitualiter paratum ad idem peccatum?

R. Affirmativè; quia datur vera occasio peccati: sic reus est scandali, qui inducit meretricem ad fornicandum. Idem resolvès de eo, qui alicui dat occasionem peccandi, etsi alius eandem dedisset.

An semper est peccatum scandali facere coram aliis, quod habet speciem mali?

R. Negativè: nam scandalum non committitur, dum adest legitima causa, qualis potest esse necessitas vel magna utilitas: ita Judith ornata adiit Holofernem, David comedit panes propositionis, Machabæi pugnârunt die Sabbati, et tamen non peccârunt.

IV. Similiter fieri potest, quòd actio quædam ob qualitatem præsentium, non sit nata illis parere scandalum: unde ne quidem semper est peccatum scandali facere coram aliis id, quod est in se malum: sic qui coram viris piis et honoratis blasphemaret, per se loquendo non daret illis scandalum; quia blasphemiæ talibus non solent esse exemplo, sed aversioni et horrori.

Quandonam quis scandalizat opere indifferenti?

V. R. Quando operans id facit ex intentione scandalizandi, vel quando absque sufficienti causa facit opus indifferens, et prævidere potest et debet, quòd hoc aliis sit futurum scandalo.

Nota causam eò urgentiorem esse debere, quò opus concurrit propinquiùs ad peccatum, quò strictior est obligatio virtutis cui repugnat, quò plures sunt scandalizandi, &c.

VI. A scandalo excusatur petens in necessitate mutuum ab eo, qui scitur non daturus nisi sub usura; petens juramentum ab eo qui videtur juraturus per falsos Deos.

Peccat peccato scandali, qui petit ab aliquo opus, quod sine peccato præstare non potest.

Scandali reæ sunt mulieres, quæ nudum pectus gestant, aut aliter inverecundè se ornant; et quidem graviùs peccant illæ, quæ novas inverecundi ornatûs formas inveniunt, aut primæ sectantur.

Peccant caupones, qui die jejunii præbent secundam refectionem bene pransis, item qui dant potum copiosùm se inebriaturis, nisi fortè ex denegatione grave malum ipsis immineret. Similiter peccant famuli, qui ad domum heri sui adducunt ejus concubinam, literas amatorias turpia continentes ad eum deferunt, &c. et generatim qui aliquo modo proximè influunt in ejus concubinatum.

Ex hactenus dictis etiam resolves sequentia. Inducens filiam ad fornicationem peccat triplici peccato, scilicet fornicationis propriæ, et alienæ, ac scandali.

Idem est de illo, qui provocat alium per æquales haustus ad ebrietatem.

Resolvitur etiam, quòd non liceat pingere amasio imaginem concubinæ, cùm eâdem sit abusurus ad fovendam libidinem.

Pariter, quòd loquens obscœna coram tribus personis, quarum una est libera, alia conjugata, tertia Religiosa, peccet contra virtutem castitatis respectu omnium trium, item contra charitatem respectu earumdem dando eis scandalum: deinde peccet contra justitiam respectu conjugatæ, et contra Religionem respectu Religiosæ.

An licet v. g. patri-familias pecuniam vel simile quid relinquere in aliquo loco, ut filii vel famuli probentur, ut, si in furto deprehensi fuerint, puniantur.

R. Cum Patre Antoine, illicitum esse, hæc de industria ponere; quia sic exponis alium periculo peccati, adeoque ejus peccato cooperaris; licet tamen patri-familias non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, quos ad furandum propensos aut paratos novit; quia rationabiliter unum permittit furtum, ut vitentur plura.

Colligitur ex dictis, super quibus Confessarius interrogare debeat pœnitentem, qui se accusat de scandalo, vel quem scandalum dedisse deprehendit.

VII. Scilicet 1o. de actu, quo scandalizavit et cujus peccati occasionem dederit.

2°. An directè vel indirectè datum fuerit.

3o. De numero scandalizatorum; quia tot sunt distincta peccata, quot sunt personæ.

4o. De qualitate scandalizatorum, ut si induxerit ad turpia conjugatum, sanctimonialem, &c.

Etiam quandoque exprimenda est conditio scandalizantis, v. g. si sit superior, pater-familias, Pastor, &c.

5o. An adhuc duret in se, vel in effectu.

6o. An scandalo suo non fuerit causa aliquorum damnorum.

Denique in variis peccatis inquiri debet, quis fuerit primus author, aut solicitator, ut in fornicatione, adulterio, &c.

"Finis Tractatûs de Virtute Charitatis."

TRACTATUS

DE

LEGIBUS.

QUÆSTIO I.

DE LEGE IN GENERALI.

N. 1. DE DEFINITIONE LEGIS.

S. Thom. quæst. 90. *art.* 10.

I. *Variæ legis acceptiones.* II. *Definitio legis.* III. *Ordinatio rationis* IV. *Stabilis.* V. *Obligationem inducens* VI. *Ad bonum commune.*

I. LEX etymologicè derivatur, juxta aliquos à "legendo," juxta alios ab "eligendo," et juxta S. Th. à "ligando."

Variæ sunt legis acceptiones; primò sumitur pro instinctu aut inclinatione, ut ad Rom. cap. 7. V. 23. "Video "aliam legem in membris," &c.

2°. Pro conditione adjecta alicui contractui; et ita dici solet: "Eâ lege, ut hoc facias," &c.

3°. Pro quacumque regula quidquam præscribente, sive bonum, sive malum: hinc Isaïæ cap. 10. V. 1. dicitur: "Væ qui condunt leges iniquas."

4°. Pro libro legem continente, ut Lucæ cap. 10. V. 2[6] "In lege quid scriptum est?" vel etiam pro ipsa re, quam lex præscribit, ut Joan. cap. 7. V. 19. "Nemo ex vobis "facit legem."

Quid est lex propriè dicta?

II. R. Est stabilis ordinatio rationis, obligationem inducens ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.

III. Dicitur "Ordinatio rationis;" quia lex juxta S. Thom. et communem Scholasticorum sententiam essentia[l]

ter est aliquid rationis, sive actus intellectûs, præsupponens tamen quoad leges positivas actum voluntatis. Ratio est, quòd lex naturalis obliget independenter ab omni actu. Deinde ratio legis videtur plenè consistere in eo, quòd sit regula, mensûra ac dictamen agendi vel omittendi; atqui hæc essentialiter ad rationem seu intellectum pertinent: ergo, &c.

Obj. Lex in Scripturis vocatur voluntas, ut Psalm. 142. V. 10. "Doce me facere voluntatem tuam:" ergo, &c.

R. Nego conseq. ratio est, Scripturam ideo hoc tantum dicere, quia legem semper comitatur actus voluntatis Legislatoris volentis legem suam observari.

Deinde lex positiva necessariò præsupponit actum voluntatis: quia ratio in positivis non necessariò judicat vel ordinat; sicque requiritur actus voluntatis, quâ Legislator velit obligare subditos ad sequendam regulam, quam proponit.

Aliud est de illis, quæ sunt juris naturæ: quia in illis ratio necessariò judicat et ordinat, cùm materia sit necessaria, sicque obligatio spònte ex ipso judicio ac materia exoritur.

IV. Additur "Stabilis," hoc est perpetua seu illimitata quoad tempus: quia regulariter lex non expirat morte Legislatoris, neque respicit solùm præsentes, sed etiam futuros.

V. "Obligationem inducens;" ut distinguatur à consilio, quod per se non adfert obligationem.

VI. "Ad bonum commune;" quia bonum commune est finis legis, ut dicetur Num. sequenti.

"Ab eo qui curam communitatis habet," id est, à superiore politico seu habente politicam potestatem jurisdictionis, de qua Num. 3.

"Promulgata," seu insinuata iis, à quibus servari debet: nisi enim lex innotescat, non potest dirigere, nec obligare subditos.

N. 2. DE FINE, AD QUEM LEX ORDINARI DEBET.

S. Thom. art. 2.

I. *Lex dirigi debet ad communitatem perfectam,* II. *Et ad bonum commune.* III. *In quo illud bonum consistat.* IV. *An debet intendi bonum commune.*

I. PRÆNOTANDUM ex S. Thoma quæst. 90. art. 3. ad 3. ad veram legis rationem requiri, ut dirigatur ad communitatem perfectam, per quam intelligitur multitudo hominum inter se conjunctorum, in qua is qui præest,

jurisdictionem habet politicam; quales sunt Ecclesia, Regnum, Civitas, &c. et hâc ratione lex differt à præcepto, quod uni aut alteri homini imponi potest.

Ad quem finem lex ordinari debet?

II. R. Cum S. Thom. art. 2. in "Corp." lex, ut sit justa et vera, debet ordinari ad bonum communitatis tanquam ad finem; quia ex prænotatis lex est regula communis dirigens omnes aut saltem majorem partem communitatis: ergo finis debet esse commune bonum: neque aliter potestas legislativa concessa censetur: hinc dicitur can. 2. distinct. 4. "Erit lex...nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta." Itaque lex, quæ unicè spectat bonum privatum Legislatoris alteriusve particularis, prorsus injusta et nulla est.

Obj. I. Inferes: ergo injustæ sunt leges concedentes privatis quibusdam privilegia, ut pupillis, minorennibus, clericis, opificiis, &c. quia respiciunt bonum quorumdam particularium.

R. Negando sequelam: quia leges illæ mediatè et ultimatè ordinantur ad bonum commune: exigit enim bonum commune, ut personæ miserabiles defendantur contra fraudes et deceptiones, ut opificia cum damno Reipublicæ non intereant, ut clerici, quos non decet negotiis temporalibus implicari, competenter sustententur, eorum merita compensentur, et ipsi ad perseverandum animentur.

Obj. II Saltem leges de solvendis tributis non sunt ad bonum commune: ergo, &c.

R. Neg. antec. nam tributa imponuntur, ut Reges suam dignitatem, authoritatem et potentiam conservent, bella gerant, subditos defendant, &c. quæ omnia ad bonum commune regni conducunt.

Obj. III. Deus concessit Regi ferre legem ad privatum suum commodum, 1. Reg. cap. 8. V. 11. ubi dicitur: "Hoc erit jus Regis...filios vestros tollet et ponet in "curribus suis, &c."

R. Ibi non agitur de jure vero et legitimo; sed de jure usurpato, quod Reges aliquando injustè usurparent: ut patet exemplo Achab et Jezabel, quos Deus 3. Reg. cap. 21. graviter punivit ob usurpatam vineam Naboth.

Quodnam est illud bonum commune?

III. R. Salus et conservatio communitatis, exercitium Virtutum et Religionis Christianæ, pax, tranquillitas, virtus et prosperitas subditorum, libertas ab hostibus, &c. sive, ut

breviter S. Th. ait quæst. 95. art. 3. in "Corp." ex Isidoro: "Ut Lex Religioni congruat, disciplinæ conveniat, et saluti, seu publicæ utilitati proficiat."

An requiritur, ut Legislator intendat bonum commune, dum condit legem?

V. R. Ut Legislator licitè procedat, debet legem ad bonum commune dirigere, et peccaret, si eam ex odio, aut alio pravo fine ferret: verùm ut lex sit valida, adeoque obliget, satis est, si ex seipsa sive ex natura sua tendat ad bonum commune.

Justitia legis exigit, ut onera distribuantur respectu habito ad subditos, qui illa ferre debent, adeoque minùs graventur, qui minorem habent facultatem.

Si tamen lex sit toti regno utilis, non ideo desinet obligare, quòd alicui Provinciæ, civitati aut privato sit nociva, aut multùm onerosa; quia pars subditur toti bono communi.

N. 3. DE POTESTATE FERENDI LEGEM.

S. Thom. quæst. 90. *art.* 3.

I. *Nonnisi in subditos.* II. *Propositiones damnatæ.* III. *Potestas illa habetur vel a Deo, vel a natura, vel ex pacto aut concessione aliorum.* IV. *Conditiones veræ legis.* V. *Differentia legis et præcepti.*

QUIS habet potestatem ferendi legem?

R. Potestas legislativa competit communitati vel illi, qui curam illius habet, seu illi præest jurisdictione politicâ. Hinc Respublica, Reges, Magistratus, Civitates, &c. condunt leges civiles: Pontifex, Concilium, Episcopi, &c. leges Ecclesiasticas.

In quos fieri potest lex?

I. R. Nonnisi in politicè aliquo modo subditos, sive subditi sint ratione loci, sive ratione alterius conditionis: unde Reges ferunt tantùm leges pro Regno suo, Papa pro Ecclesia, Episcopi pro Diœcesi. Verùm de his latiùs, ubi de lege humana.

II. Potestas ferendi leges non cessat in superiore per peccatum mortale, uti constat ex propositione 18. Joannis Wiclef damnata in concilio Constantiensi: "Nullus "Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, "dum est in peccato mortali:" Item ex propositione 12. Joannis Hus: "Nemo Christi vel Petri, nisi sequatur "eum in moribus."

Undenam quis obtinet potestatem ferendi leges aut præcepta?

III. R. Aliquando immediatè ab ipso Deo: ita eam habet Summus Pontifex et habuerunt Saül et David.

2°. Quandoque habetur ex jure naturæ: sic eam habent parentes in filios.

3°. Aliquando habetur ex pacto, conventione, aut ex concessione aliorum, item ex jure gentium, ex constitutione legum, aut simili titulo: sic Reges à communitate eam habere solent.

IV. Ex dictis collige, conditiones legis legitimæ esse: primò ut detur subditis ab habente potestatem politicam.

2°. Ut sit stabilis, seu feratur indefinitè quoad tempus.

3°. Ut tendat ad bonum commune.

4°. Ut detur communitati proportione servatâ.

V. Hinc colligitur differentia legis à præcepto strictè dicto: quamvis enim præceptum latè sumptum sæpe cum lege confundatur, strictè tamen à lege distinguitur.

1°. Quòd præceptum possit dari à potestate privata œconomica, v. g. patriâ aut herili.

2°. Quòd possit imponi alicui particulari.

3°. Quòd possit tendere unicè ad bonum privatum mandantis aut mandatarii.

4°. Quòd non debeat esse stabile, sed dari possit pro uno aut altero die; et regulariter expiret morte mandantis.

Conclude, mandatum datum Adamo de non edendo fructu vetito, habuisse veram rationem legis; quia non fuit datum Adamo, ut personæ privatæ, sed ut capiti morali totius generis humani: è converso mandatum datum Abrahamo de immolando filio, fuit simplex præceptum.

N. 4. DE PROMULGATIONE LEGIS.

S. Thom. quæst 90. *art.* 4.

I. *Promulgatio* II. *Est necessaria ut obliget.* III. *An sit de essentia legis.* IV. *Promulgatio legis æternæ,* V. *Et positivæ.*

QUID est promulgatio legis?

I. R. Est publica legis denuntiatio, facta communitati per Legislatorem, vel ejus præconem.

An lex debet promulgari, ut obliget?

II. R. Affirmativè: quia lex est regula actuum humanorum, quæ non dirigit, nisi applicetur: applicatur autem

per promulgationem. Hinc quis sciens legem esse conceptam, quæ tamen nondum promulgata est, non tenetur eam observare.

An promulgatio est de essentia legis?

III. R. Si lex consideretur in actu primo seu materialiter, quatenùs est regula apta ad dirigendum vel obligandum, sic promulgatio non est de ejus essentia: considerata vero in actu secundo et formaliter, prout de facto obligat, sic promulgatio secundùm multos est de ejus essentia: alii tamen volunt, etiam sic promulgationem propriè non esse de essentia legis, sed tantùm conditionem sine qua non obligat lex.

Quæstio illa merè oritur ex diversa notione sub qua legem concipimus.

Quandonam et quomodo promulgatur lex æterna et naturalis?

IV. R. Promulgatur eodem instanti, quo creatura rationalis creatur; quia tunc rectitudo rationalis menti uniuscujusque imprimitur, quâ mediante promulgatur et innotescit lex æterna.

Hinc dici potest. illas leges promulgatas esse pueris et amentibus quasi in habitu.

Quomodo promulgatur lex positiva?

V. R. Lex positiva promulgatur certo signo externo, vel scripto, in certo loco, ita ut pervenire possit ad notitiam communitatis.

Lex positiva divina quandoque etiam promulgatur per internam revelationem, quomodo Deus multa revelavit Prophetis.

An lex positiva debet singulis de communitate intimari, ut censeatur sufficienter promulgata?

R. Neg. Sed sufficit, intimatam esse communitati, ita ut subditi moraliter in ejus notitiam devenire possint.

Quonam in loco debet lex promulgari?

R. Quantùm est de jure naturæ sive ex natura rei, sufficit legem promulgari in tali loco, unde possit ad notitiam communitatis devenire: ex consuetudine tamen vel alio jure positivo aut speciali voluntate legislatoris aliquando lex in certo loco promulgari debet, ut obliget. Ita leges Imperatoriæ publicari debent in singulis Provinciis, putà in singularum Metropoli, utì Jurisperiti communiter deducunt ex Novella 66. Justiniani.

Leges Regum et Principum, in quorum territoriis Jus Cæsareum non observatur, manent intra terminos præfatos juris naturæ, nisi particulare jus, consuetudo, &c. obstent:

et sic in Belgio, ait Zypæus in proœmio ad notitiam Juris Belgici, lex obligare non solet, nisi in singulis Provinciis ac singularum Metropolibus promulgata fuerit, additque Concilia Provincialia antequam promulgatio fiat, legem solere examinare, an juri patrio non refragetur.

Similiter legum et statutorum Episcopalium promulgatio hæret intra terminos juris naturæ: adeoque sufficit, eas publicari in Ecclesia Cathedrali, aut scriptas affigi in loco publico ad hoc designato, nisi iterum consuetudo, jus patriæ, &c. aliud requirant.

N. 5. DE PROMULGATIONE LEGUM PAPALIUM.

I. *Constitutiones dogmaticæ obligant, etsi Romæ tantùm publicatæ.*

PRÆNOTANDUM, dari duplicis generis leges seu constitutiones Pontificias: aliæ enim sunt dogmaticæ, aliæ non dogmaticæ.

Quomodo leges et constitutiones Pontificiæ promulgari debent?

I. R. Si sint dogmaticæ, ut certum haberi debet illas obligare, etiamsi Romæ tantùm sint publicatæ: quia illis Pontifex tanquam Caput Ecclesiæ jus naturale et divinum explicat: omnes autem independenter ab ista publicatione tenentur servare leges naturales et divinas, undecumque acquiratur illarum notitia, sive ex publica, sive ex privata instructione, aut ex proprio studio.

Quapropter definitiones Pontificis ex Cathedra in rebus fidei vel morum, condemnatio alicujus libri vel praxis tanquam fidei vel moribus contrariæ, &c. ab omnibus acceptari debent, statim ac innotescunt: atque id verum est independenter etiam à Pontificis infallibilitate; nam hoc competit Pontifici tanquam Supremo Capiti, et Pastori; cujus officium est jus naturale et divinum explicare, et petulantia ingenia coërcere.

Si verò constitutiones non sint dogmaticæ, sed Pontifex aliquod jus novum condat, v. g. ponat novum impedimentum matrimonii, vel novam ordinationem beneficiorum, tunc Authores Itali aliique plures statuunt, à voluntate Pontificis pendere, an promulgatio Romæ facta sufficiat vel non, ut omnes fideles ubicumque degentes obliget. Ratio illorum est, quia habet Pontifex à Christo plenitudinem potestatis

in totam Ecclesiam, adeoque independenter à nutu aut modificatione populorum: unde potest velle obligare, dum lex Romæ tantùm est promulgata, potest etiam nolle obligare, nisi lex promulgata sit in singulis Provinciis. Utrumque Pontifices ex certis causis aliquando practicârunt.

Quid igitur judicandum, dum Pontifex legem suam ad universam Ecclesiam dirigit, sed nihil dicit in utramlibet partem de loco promulgationis?

R. Sylvius, Gonet, Suarez et alii docent, tali casu sufficere promulgationem Romæ factam, ut lex ubique obliget, eò quòd ex natura rei talis promulgatio sufficere debeat.

Wiggers, Boudart, Steyaertius, Billuart et similiter Galli verisimiliùs dicunt, tales leges in aliis Provinciis non obligare, nisi in iis promulgentur; quia in simili casu videtur Pontifex velle sequi statutum juris civilis, juxta capit. INTELLEXIMUS "de novi operis nuntiatione" lib. 5. decret. tit. 32. ubi dicitur: "Sicut leges non dedignantur sacros "Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum Prin-"cipum constitutionibus adjuvantur."

Idem colligitur ex Bulla Pii IV. SICUT AD SACRORUM, quæ habetur ad calcem Concilii Trid. in qua videtur Pontifex condescendere juri communi, dum dicit: "Jure com-"muni sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi "post certum tempus obtineant."

Hæc sententia tollit incommoda, ut v. g. si lex irritans matrimonium foret Romæ tantùm publicata, omnes etiam invincibiliter ignorantes invalidè contraherent.

Tollit etiam inæqualitatem inter subditos, dum v. g. unus, qui sciret Romæ esse publicatam legem jejunii, teneretur etiam longè dissitus, solus in communitate jejunare.

Igitur videtur Pontifex, dum nihil exprimit quoad promulgationem legis, eam relinquere prudentiæ, et judicio Episc. promulgandam vel non promulgandam, prout eis expedire visum fuerit.

N. 6. DE PLACITO REGIO IN BELGIO.

I. *Placitum Regium* II. *Differt a Visa,* III. *Et requiritur ad beneficialia.* IV. *Non ad dogmatica.* V. *Probatur à ratione.* VI. *Ab authoritate Pontificum.* VII. *Non requiritur ad prohibitionem librorum.* VIII. *An requiritur pro censuris.*

I. PLACITUM Regium vocatur consensus Regis pro promulgatione legis aut constitutionis Pontificiæ, postquam

illa, prius re cognitâ, discussa et probata fuerit. Rex autem jus illud "placitandi" habet ex conventione saltem tacita cum Pontifice aut ex consuetudine legitimè præscripta, ut cognoscatur, an rescripta illa non sint fraudulenter obtenta, an congruant moribus patriæ, &c. et sine hujusmodi placito rescripta illa non sortiuntur effectum, seu nullius sunt roboris.

II. Placitum differt à "Visa" seu inspectione Bullæ; quia placitum est quasi Confirmatio Bullæ: visa autem nullam ipsi Bullæ tribuit authoritatem, sed meram ingerit notitiam: ita inspiciuntur Legatorum literæ credentiales, transeuntium salvi conductus, etsi inspicientes nullam de scriptis istis dispositionem habeant.

Ad quales constitutiones vel rescripta in Belgio placitum requiritur?

III. R. Requiritur illud secundùm usum receptum pro rescriptis Pontificiis circa provisiones beneficiales: et quidem juxta Zypæum lib. 1. "de Jure Pontificio novo" tit. 2. de constitutionibus, requiritur ad sola beneficialia, eaque privatis data.

Daelman et quidam alii extendunt ad omnia diplomata et rescripta Pontificia, quæ jus novum condunt, v. g. statuentia aliquid circa jura sepulturæ, &c. Saltem constat, pœnas appositas non mandari executioni per tribunalia sæcularia, si placitum non fuerit obtentum.

Interim tamen etiam certum est, de facto non requiri placitum Regium pro omnibus rescriptis Pontificiis, utì abundè patet quotidianis exemplis in dispensationibus impedimentorum matrimonii aliisque legibus, pro quibus nunquam petitur placitum.

An requiritur placitum pro Bullis dogmaticis?

IV. R. Van Espen et passim Jansenistæ, ac Quesnellistæ commentati sunt, Bullas etiam dogmaticas debere Placito Principis muniri, antequam publicari possint, ut eo prætextu rejicere possent omnes Bullas pontificias, quibus eorum errores proscribuntur.

Contra illos certum est, Bullas dogmaticas Pontificis circa fidem et mores, aut explicantes jus antiquum, putà naturale vel divinum, aut humanum ante promulgatum, placito non indigere.

V. Probatur à ratione: potestas spiritualis à Christo Ecclesiæ concessa est omnino independens à potestate civili: ergo ea, quæ concernunt fidem et mores, non possunt dependere ab ullo placito, sicut nec obligatio eadem acceptandi, prout obligatio præceptorum Dei non potest depen-

dere ab ullo placito Principis. An fortè lex Evangelica sine obligatione in orbem introducta est, eo quòd nullius Principis Placito, imò ipsis plerumque invitis, illam Apostoli annuntiaverint?

Obj. Pontifex non est infallibilis: ergo, &c.

R. Dato, non concesso antecedente, negatur consequentia; quia, ut N. præced. dictum est, Pontifex independenter ab infallibilitate, potestatem habet juxta omnes, leges dogmaticas condendi: unde hic tantùm agitur de sufficienti promulgatione, ob cujus defectum quidam volunt, istas leges non obligare. Deinde Placitum regium nullam dat constitutionibus illis infallibilitatem, quæ tamen juxta ipsos tunc obligant.

VI. Commentum istud de Placito regio Alex. VII. in decret. dato 14 Martii anni 1658. improbat, cassat ac irritat, dicitque: "Hoc esse alienum à ratione et pietate "ac religione Catholicorum Principum...cùm certissimum "sit, potestatem à Christo Domino Pontifici traditam... "nec pontificalem aut sacerdotalem dignitatem et authori-"tatem, cadere sub potestate regia." Idem declaraverat Innocentius X. in Brevi de die 11 Novembris, 1651.

Probatur ulteriùs ex literis Philippi IV. Hispaniæ Regis, datis 13 Junii, 1759. ad Belgii Gubernatorem in hæc verba: "Visis vestris de 3 April. super querimoniis Nuntii Apos-"tolici, concernentibus publicationem edicti Sanctitatis Suæ "prohibentis certos libros et scripta de doctrina Jansenii "condemnata: visis quoque consultationibus Concilii "Privati et Concilii Brabant. junctis vestris literis, et "omnibus bene consideratis, attento etiam, quòd materia, "de qua agitur, sit purè dogmatica; "cûm Placitum "non requiratur, nisi in materia beneficiali et litigiosa "inter partes," volui tibi has scribere...ut permittas "publicari edictum eodem ordine, quo de mandato meo "publicatæ fuerunt aliæ Bullæ Suæ Sanctitatis concernentes "librum Jansenii."

Conformiter ad hoc decretum omnes omnium Pontificum constitutiones dogmaticæ contra doctrinam Jansenii, per Episcopos Belgii promulgatæ fuerunt absque Placito regiò et Consiliariorum examine; utì abundè constat ex publicatione constitutionum "In eminenti, Ad Sacrum, Cum "occasione, Vineam Domini, et Unigenitus."

Gubernator quidem in literis datis ad Concilium Flandriæ dicit: Bullas dogmaticas secundùm præfatas Philippi IV. literas non egere placito: "Ubi visæ et recognitæ "fuerint ut tales;" verùm ut observat Internuntius in

libello oblato Gubernatori, clausula hæc non continetur in literis Philippi IV. Imò eas enervat; et proinde non est attendenda.

Reponit Van Espen, Regi obreptum esse per Internuntium.

R. Id manifestè refellitur ex ipsis literis, in quibus Rex declarat, se omnia bene considerasse, et attendisse consultationes Concilii Privati et Brabantiæ, quæ Concilia nil certè omiserant, quod favere poterat placito, suæque potestati ampliandæ.

Obj. II. Sanctionem pragmaticam Philippi II. anni 1574. quæ sic habet: "Statuimus, ut nullæ Bullæ, provisiones, "vel impetrationes, aut revocationes gratiarum aut privi-"legiorum, vel sententiæ executoriales, tendentes directè "aut indirectè in præjudicium Reipublicæ vel alicujus "tertii admittantur, vel executioni mandentur, nisi visæ, "visitatæ et examinatæ antea fuerint per Nos in Concilio "nostro Privato vel Brabantiæ, et impetrantes obtinuerint "literas placiti: sub pœna perdendi effectum dictarum "Bullarum et constitutionum:" ergo Bullæ dogmaticæ indigent placito, cùm lex generaliter loquatur.

R. 1°. Hujus sanctionis authoritatem defectu promulgationis in dubium revocat Zypæus in analysi Juris Pontificii novi.

3. 2°. Neg. conseq. Quia sanctio relata evidenter agit de iis, quæ Reipublicæ aut alicui tertio possunt esse præjudicio: quod nullo modo cadere potest in Bullas dogmaticas. Deinde respicit provisiones, gratias, aliosque effectus, quos impetrantes perdere possunt; sicque evidens est, generales illos terminos non comprehendere Bullas dogmaticas. Adde, hanc sanctionem disertis verbis postea explicatam fuisse per Philippum IV. in literis supra relatis: ipsumque Philippum II. circa publicationem Conc. Tr. expressè cavisse, ne Concilia Belgii examinarent aut visitarent decreta Conc. Trid. doctrinam concernentia, utì patet ex literis Margaritæ Belgii Gubernatricis ad Conc. Brabantiæ nomine Regis datis 8 Junii, 1564.

Obj. III. Regis officium est conservare pacem et tranquillitatem Reipublicæ: ergo jus habet examinandi, num constitutio dogmatica illius pacis non sit perturbativa, ejusque, si talis sit, publicationem impediendi.

R. Hoc sapit impiam Machiavelli doctrinam. Itaque negatur, quòd constitutio dogmatica possit esse pacis Reipublicæ perturbativa, sicut lex naturæ et leges divinæ nunquam possunt sine grandi blasphemia dici perturbativæ pacis publicæ; imò potiùs tales leges pacem perficiunt.

Quòd si occasione hujusmodi constitutionis, quidam refractarii et inobedientes pacem turbare moliantur, Regum officium est, rebelles hujusmodi coërcere et compescere.

Obj. IV. Qui sustinent necessitatem placiti, tantùm volunt, constitutiones dogmaticas indigere placito, priusquam in modum novæ legis promulgentur, aut populus iis adstringatur.

R. Objectio falsum supponit: etenim Bullæ dogmaticæ non proponuntur per modum novæ legis, seu ut jus novum, sed tanquam continentes et declarantes jus antiquum.

Plura de his vide apud Zypæum, Govarts, de Luca, &c.

VII. Finaliter observa, Philippum IV. in sæpe dictis literis inter ea, quæ placitum non requirunt, recensere prohibitionem librorum ut fidei vel moribus contrariorum: proinde prohibitio libri Quesnelli et condemnatio propositionum ejus obligat in Belgio, quamvis non sit "placitata." Hinc etiam timorati libros Romæ prohibitos absque licentia legere non præsumunt.

An verò excommunicatio aliave censura annexa, v. g. prohibitioni alicujus libri, incurratur absque prævio placito, gravis est controversia, inquiunt Steyaert et Daelman.

VIII, Qui affirmant, dicunt pro pœna incurrenda non requiri illius promulgationem, sed pro censuris sufficere scientiam, pro aliis verò pœnis nequidem generaliter loquendo, scientiam requiri: 2o. Dictas pœnas contineri in jure antiquo publicato, scilicet in regula 10 indicis Concilii Trid. regulas autem indicis in Belgio receptas esse docet Steyaert in Tractatu "de Fide" disp. 22.

Qui negant, dicunt similes constitutiones, licèt aliunde tantùm sint declarationes, quatenùs tamen statuunt pœnam, condere jus novum, novamque inducere obligationem.

Ad primam rationem in contrarium respondent, in illo casu legem statuentem censuram supponi sufficienter promulgatam, quod hìc non occurrit.

Ad secundam verò, regulas indicis non tam facto prohibere libros sub tali pœna, quàm tradere modum, secundùm quem prohiberi debeant: unde, quòd certum librum prohibeat Pontifex sub pœna excommunicationis, est lex jus novum condens quantùm ad pœnam.

Addunt regulas indicis in Belgio receptas quidem esse, sed non simpliciter: imò aliqui non nisi 4. ex 10. hìc receptas esse volunt, scilicet secundam, quintam, septimam et octavam, probantque ex "Indice expurgatorio" jussu Philipi II. Hispaniarum Regis edito, in quo hæ quatuor regulæ solùm recensentur; pluresque libri ex omni scientia,

sublatis locis suspectis, subinde etiam nulla adhibitâ correctione, permittuntur, qui in indice Concilii Trid. simpliciter proscribebantur.

Verumtamen quartam regulam indicis Concilii Trid. quæ est de lectione Scripturæ S. in lingua vulgari, hic etiam receptam esse, patet ex Synodo Diœcesana Mechliniensi tit. I. cap. 8. idemque supponit in priori sua epistola pastorali Numero 2. Archi-Episcopus Humbertus.

Quidquid sit, constat equidem, de facto in variis, indici Tridentino, et regulis Indicis, saltem per usum contrarium, esse derogatum.

In hac controversia Confessarii timorati responsionem affirmativam, utpotè tutiorem, in praxi sequuntur, seclusâ ignorantiâ aut aliâ causâ à censura excusante.

N. 7. DE TEMPORE OBLIGATIONIS LEGIS.

I. *Lex naturæ obligat statim.* II. *Positiva tempore expresso,* III. *Aut á jure determinato.*

QUANTO tempore post promulgationem incipit lex obligare?

I. R. Quantum est ex natura rei, leges obligant statim post sufficientem promulgationem factam; sic lex æterna et naturalis statim et semper obligat creaturam rationalem à primo creationis instanti.

II. In legibus positivis potest accidere variatio, sive ex voluntate Legislatoris, sive ex jure aut consuetudine. Hinc respiciendum est tempus per Legislatorem expressum; quia tunc lex obligare incipit.

III. Si autem Legislator nullum tempus expresserit, tum juxta communem sententiam leges Imperatoriæ, item leges Regnorum et Provinciarum, quæ Jure Cæsareo utuntur, obligant solùm post duos menses à die promulgationis factæ in illa Provincia. Ita statuit Novella 66. cap. 1.

Christinæus tamen, Vinnius, &c. Novellam illam sic explicant, ut prosit hoc spatium ad allegationem ignorantiæ, eaque interim præsumatur, non verò quasi lex promulgata citiùs non obligaret eum, in cujus notitiam ante pervenit.

Leges Pontificiæ, Episcopales, et illorum Regum vel Magistratuum, qui Imperio non sunt subjecti, videntur hærere intra terminos juris naturæ, nisi jus, consuetudo, &c. aliud statuerint.

N. 8. DE REVOCATIONE LEGUM.

I. *Revocatio legis quandonam promulganda.*

AN revocatio legis debet promulgari?

I. R. Revocatio legis, quæ aliàm legem condit, debet publicari seu promulgari sicut lex juxta regulas ante dictas; quia tali casu revocatio illa est vera lex.

2°. Simplex revocatio non requirit promulgationem vel solemnitates legis; sed sufficit voluntas Legislatoris exteriùs quocumque modo manifestata; quia obligatio non durat ultra voluntatem Legislatoris. Mera tamen revocatio interna non videtur hìc sufficere.

Infertur, quòd, licèt Conc. Trid. non sit promulgatum in Anglia, tamen restrictio impedimentorum cognationis et affinitatis ibidem locum habeat; quia est simplex legis revocatio.

3°. Revocatio privilegiorum, facultatum, gratiarum, aliorumve favorum, quæ fit per legem communem, vim et effectum obtinet, ubi legitimè dicta lex est promulgata, ita ut in publicam notitiam devenire possit: neque opus est, ut singulis intimetur: unde, quamvis aliqui in particulari invincibiliter ignorarent istam revocationem v. g. privilegii, equidem illud ampliùs non proderit. Ita Suarez, Layman aliique contra Wiggers, &c.

Unde juxta præfatos Authores privilegia efficaciter quandoque retractantur pro Provinciis per Bullas Romæ tantùm publicatas.

Ab hac tamen regula merito excipit Danes revocationem privilegiorum, quorum usus ad animæ salutem pertinet, cujusmodi est absolutio à peccatis: tales enim revocationes non sunt validæ respectu ignorantis, quamdiu ignorantia est communis in provincia vel loco, cui concessum fuerat privilegium.

4°. Revocatio privilegii facultatis, &c. facta ab homine seu privatim, et non per legem communem, non ante effectum habet, quàm revocatio ista devenerit in notitiam privilegiati; alioquin enim gravissima sequerentur incommoda.

Idem dicitur de revocatione "mandati," scilicet non irritum reddere actum mandatarii, antequam revocatio ei innotescat, præterquam in matrimonio, ut habetur cap. 9. "de Procuratoribus" in 6. juxta quod, si principalis mandatum revocaverit, antequam procurator matrimonium contraxerat, illud nullum est.

Deducitur non cessare facultatem absolvendi à reservatis ante revocationem intimatam Confessario: item validum esse matrimonium, cui assistit simplex Sacerdos ex speciali commissione Parochi, quamvis hic illam inscio illo Sacerdote revocasset.

N. 9. DE ACCEPTATIONE LEGIS PER POPULUM.

I. *Legis obligatio non pendet ab acceptatione.* II. *Lex potest acceptari tribus modis.*

AN requiritur consensus et assensus populi, ut lex à superiore lata vim habeat obligandi?

I. R. Neg. sed lex eo ipso, quo est vera et justa lex, obligat ad suî acceptationem et observantiam.

In primis id speciali ratione certum est de legibus Ecclesiasticis; quia potestas illa non à communitate in Pontificem et Episcopos, sed à Deo derivatur.

Quantùm ad leges civiles, licèt superior à communitate suam potestatem habere supponatur, adhuc tamen dicendum est, legem non pendere ab acceptatione populi: ideo enim communitas potestatem legislativam in superiorem aliquem transfert; quia illa potestas non nisi difficillimè à tota multitudine exerceri potest; difficillimum enim est, ut omnes toties quoties bonum commune exigit, in legem ferendam conspirent. Itaque communitas censetur dedisse absolutam superiori leges condendi facultatem; nam aliàs eadem nascerentur incommoda, si populus justas superioris leges repudiare posset.

Probatur etiam ex propositione 28. inter damnatas ab Alexandro VII: "Populus non peccat, etiamsi, absque "justa causa non recipiat legem à Principe promulgatam."

Obj. I. Lege DE QUIBUS digestorum de legibus dicitur: "Ipsæ leges non alia de causa nos tenent, quàm cùm "judicio populi receptæ sunt:" ergo, &c.

R. Ibi agitur de legibus Reipublicæ Romanæ, dum rejectâ monarchiâ, summa potestas erat penes populum, cujus proinde erat leges instituere: qui non est noster casus; supponimus enim à populo summam potestatem in superiorem aliquem translatam esse.

Obj. II. Capit. 3. IN ISTIS distinct. 4. dicitur: "Leges "instituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm mori"bus utentium approbantur."

R. Neg. conseq. nam leges per usum firmantur, non quia ex usu habent, ut obligare incipiant, cùm ipsâ suâ promulgatione institutæ sint, sicque jam verè sint leges obligatoriæ: sed quia per usum eximuntur à periculo abrogationis.

Obj. III. Lex non acceptata à populo est inutilis, imò noxia; quia tantùm præbet occasionem peccandi: ergo, &c.

R. Illa mala non veniunt à lege, quæ supponitur justa, sed à malitia subditorum: qui equidem ad officium cogi poterunt, si aliunde nihil impediat.

Prudens tamen Legislator, dum similia mala advertit, non ita solet legem suam urgere: atque ita lex cessare poterit, sed ex consensu Legislatoris, saltem viâ conniventiæ.

Obj. IV. Lex humana potest abrogari per consuetudinem populi contrariam: ergo populo legem non acceptante, illa non incipiet obligare.

R. Dist. antecedens: potest abrogari per consuetudinem, accedente consensu Legislatoris personali aut legali, conc. antec. potest abrogari sinè omni consensu, nego antec. Itaque disparitas est, quod in casu non acceptationis non adest ullus consensus Legislatoris, qualis adest in abrogatione per consuetudinem.

Quandonam censetur lex à communitate acceptata?

R. Quando major, principalior aut sanior pars eam acceptat; quia, quod illa pars facit, censetur facere communitas. Principaliorem autem partem constituunt superiores et doctiores.

II. Notat Sylvius legem sufficienter acceptari uno ex his tribus modis.

1o. Dum publico instrumento, aut acclamatione lex acceptatur.

2o. Per consensum tacitum, dum acquiescunt ordinationi legis.

3°. Quando major aut principalior pars legem observat et practicat.

§. 10. DE ACTIBUS ET EFFECTIBUS LEGUM.

S. Thom. quæst. 92.

Sunt quatuor actus legis. II. *Pœnæ majores.* III. *Pœnæ leviores.* IV. *Effectus legis.*

QUINAM sunt actus legis?

I. R. S. Thòm. art. 2. enumerat hos quatuor, "præcipere, prohibere, permittere et punire." Ratio est, quòd

actus, qui sub legem cadunt, alii sunt ex genere boni, et respectu horum actus legis est "imperare" seu "præci- "pere:" alii mali, et respectu horum est "prohibere:" alii indifferentes et pro his est "permittere:" (possunt etiam indifferentes censeri, inquit hìc S. Thom. illi actus, qui sunt vel parum boni vel parùm mali) et quandoquidem lex inducat ad obedientiam per timorem pœnæ, eatenus ponitur actus legis "punire."

II. Pœnæ majores sunt, occisio, mutilatio, incarceratio, exilium, infamia, &c. item excommunicatio, suspensio, interdictum, privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, et aliæ pœnæ, quæ inferunt nocumentum de se irreparabile, quæque tantùm à potestate publica infligi possunt.

III. Leviores sunt, quæ non inferunt nocumentum de se irreparabile, sed afficiunt sensum dolore, ut subtrahere cibum vel potum, verberare virgis, flagello, manu, &c.

Pœnas leviores, causâ correctionis et disciplinæ infligere possunt parentes, tutores, ludimagistri, aliique, quibus aliorum cura commissa est: majores verò pœnæ potestati publicæ reservantur.

Observa, quòd, etsi unicuique licitum sit, imò etiam præceptum, corripere proximum peccantem; illum tamen verberare non nisi habenti aliquam in ipsum potestatem liceat. Vide S. Th. 2. 2. quæst. 65. art. 1, 2 et 3

Quinam sunt legis effectus?

IV. R. Respectu subditorum effectus legis sunt obligatio in conscientia, rescissio actuum, debitum pœnæ, ac demum facere homines bonos, vel simpliciter et undequaque, ut facit lex charitatis, vel secundùm quid et in certa materia, quod faciunt aliæ leges particulares.

N. 11. DE DIVISIONIBUS LEGUM.

I. *Divisiones legis.* II. *Lex positiva et non positiva.*

QUOMODO dividitur lex?

Resp. 1°. Dividitur generaliter in positivam, et non positivam.

2°. Lex non positiva dividitur in æternam et naturalem.

3°. Lex positiva dividitur in positivam divinam et humanam.

4°. Lex positiva divina subdividi solet in veterem et novam.

5°. Lex humana subdividitur in Ecclesiasticam, civilem et jus gentium.

6°. Humana ulteriùs subdividi potest secundùm diversitatem Legislatorum: et ita quædam leges vocantur Pontificiæ, aliæ Episcopales, aliæ Imperatoriæ, &c.

7°. Lex ulteriùs generatim dividitur in "affirmativam," quæ præcipit aliquem actu positivum, ut hæc: "Honora "parentes;" et in "negativam," quæ prohibet aliquem actum, ut hæc: "Non furtum facies."

Nota tamen, in omni lege vel præcepto affirmativo implicitè involvi negativum, scilicet ut non omittatur actus præceptus: et similiter in omni lege vel præcepto negativo includi hoc affirmativum: "abstine ab actu."

8o. Dividitur lex in irritum facientem et prohibentem tantùm.

9°. In localem, personalem et localem personalemque simul.

10°. In legem moralem, pœnalem et mixtam.

Quænam lex dicitur positiva, quænam non positiva?

II. R. Positiva dicitur, quæ liberâ voluntate Legislatoris constituta est, v. g. lex jejunii quadragesimalis: non positiva verò, quæ non pendet à Legislatoris voluntate, sed omnino necessaria est, utì lex prohibens odium Dei.

His de lege in generali dictis, nunc ad leges in particulari descendimus.

QUÆSTIO II.

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI.

N. 12. DE LEGE ÆTERNA.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 93.

I. *Lex æterna strictè dicta.* II. *Latè sumpta.* III. *Datur lex æterna.* IV. *Illi Deus non subjacet.*

NOMINE legis æternæ non venit omnis lex illa, quam Deus ab æterno voluit ferre; sic enim leges Mosaïca et Evangelica forent æternæ: sed intelligitur illa, quæ tam necessaria est, quàm ipse Deus, quæque ipsi inesset, quamvis nunquam ulla creatura producenda fuisset.

Quid igitur est lex æterna?

I. R. Lex æterna strictè sumpta est ratio sive dictamen mentis divinæ, præscribens, quid creaturæ rationali quà tali conveniat vel disconveniat.

Colligitur, quòd lex æterna sit in ipso Deo, et essentialiter sit ipsa Deitas, sive Sapientia divina cum respectu ad creaturas, quatenùs eas dirigit et gubernat.

II. Lex æterna aliquando latiùs sumitur, et impropriè pro Sapientia divina, quatenùs est directiva omnium actuum et motuum creaturarum etiam irrationabilium: et secundùm hunc modum omnes res creatæ legi æternæ subjiciuntur.

III. Dari legem æternam, ex eo patet, quòd in Deo sit providentia; hæc enim necessariò supponit æternam quamdam rationem practicam totius dispositionis et gubernationis.

Obj. Illa lex non fuit ab æterno promulgata, neque obligavit ab æterno: ergo non potest vocari æterna.

R. Neg. antec. nam ab æterno fuit in Deo conceptus divinæ mentis, secundùm quem creaturæ jam in præcognitione Dei existentes dirigi debent: itaque lex illa ex parte Dei dici potest ab æterno promulgata et obligare in actu primo, quatenùs eo ipso, quo creatura rationalis existeret, cognosci poterat et obligabat. Sic lex humana censetur ex parte Legislatoris sufficienter promulgata, dum eam affixit tali loco publico, ut ab omnibus moraliter cognosci possit; licèt hactenus nullus ad illum locum venisse supponatur.

An Deus subjacet legi æternæ?

IV. R. Propriè loquendo negativè, tum quòd lex æterna sit ipse Deus, tum quia lex est regula habens vim obligandi, sicque superior illo, qui obligatur: lex autem æterna non est quid superius Deo.

Neque refert, Deum non posse v. g. mentiri; id enim non est vi alicujus legis id ei prohibentis, sed propter absolutam repugnantiam et incompossibilitatem cum infinita ejus perfectione. Latiori tamen sensu legem sumendo, dici potest, quòd Deus sit sibi ipsi sua lex.

N. 13. UTRUM OMNIS LEX DERIVETUR A LEGE ÆTERNA?

S. Thom. quæst. 25. *art.* 6.

I. *Omnis alia lex derivatur ab æterna.* II. *Axioma.* III. *Quomodo lex naturæ derivetur ab æterna.*

RESPONSIO S. Thom. loco citato et communiter recepta est, omnem legem, inquantùm habet rationem legis, intantùm derivari à lege æterna, juxta illud Prov. cap. 8. V. 15. "Per me Reges regnant, et legum conditores "justa decernunt."

Tres autem modi assignari possunt, secundùm quos aliæ leges à lege æterna derivantur.

1°. Omnis lex ab illa derivatur tanquam à causâ exemplari; quia omnis lex, ut sit justa, legi æternæ debet esse conformis.

2°. Omnis lex ab illa derivatur tanquam à causa efficiente; quia omnis potestas legislativa est à Deo.

3°. Quia lex æterna mediante lumine rationis aut fidei dirigit Legislatores, ut videant, quæ leges pro diversitate locorum et temporum sint constituendæ.

II. Quid judicandum de hoc quorumdam axiomate: ante omnem legem omnia sunt indifferentia, sive nihil est bonum aut malum?

R. Si intelligatur de lege positiva, certissime falsum est; nam ante omnem legem positivam furtum v. g. malum est, cùm tale sit ex natura sua.

Si verò intelligatur de lege æterna et naturali, adeo ut sensus sit, omnia esse indifferentia, si non esset lex naturalis et æterna: sic aliqui axioma istud admittunt; quia, inquiunt, si seponatur lex æterna, supponitur sublatus rerum ordo et essentia, adeoque mirum non est, tunc omnia fore indifferentia. Ast, inquiunt, suppositum hoc est impossibile, cùm lex æterna existat necessariò, ex impossibili autem sequitur quodlibet.

Verumtamen, si omnia ex natura sua antecedenter ad legem æternam forent indifferentia, nullusque esset necessarius rerum ordo, jam lex æterna illa prohibens vel præcipiens non esset necessaria, sed libera: quare omnino rejiciendum est dictum axioma, dicendumque, antecedenter ad legem æternam quædam esse honesta et turpia saltem fundamentaliter, sive in signo antecedente legem æternam præcipientem aut prohibentem, quædam esse intrinsecùs seu ex natura sua conformia vel repugnantia creaturæ rationali divinisque attributis: sic odium Dei, furtum, mendacium et omnia, quæ lege naturali prohibentur, ex natura sua necessariam habent cum creatura rationali divinisque attributis repugnantiam, etiamsi supponerentur nullâ lege prohiberi. Deinde si ex natura sua hæc forent indifferentia, sequeretur, à Deo odium suî, mendacium, &c. præcipi potuisse, quod est absurdissimum.

Quomodo igitur subsistit, omnem legem à lege æternà derivari, cùm præveniendo legem æternam, jam aliqua concipiantur esse bona et mala, illa scilicet, quæ cadunt sub lege naturali? igitur lex naturæ non derivatur à lege æterna.

III. R. Cum Sylvio, legem naturæ dupliciter considerari posse, uno modo quasi materialiter et ratione fundamenti, prout denotat convenientiam vel disconvenientiam illorum, quæ ex natura sua sunt bona vel mala: alio modo considerari potest formaliter pro dictamine, quo ratio judicat tale vel tale esse ex natura sua bonum vel malum.

Lex naturalis priori modo intellecta propriè non derivatur à lege æterna, sed nostro concipiendi modo legem æternam antecedit: posteriori verò modo à lege æterna derivatur; quia procedit ex dictamine æterno, eique est conformis tanquam suæ causæ exemplari.

N. 14. DE LEGE NATURALI.

S. Thom. quæst. 16. *art.* 2. *quæst.* 94.

I. *Quid sit lex naturalis.* II. *In actu primo est quasi habitus.* III. *Non potuit homo condi exlex.* IV. *Lex naturæ differt à conscientia.* V. *Quo sensu differat à lege æterna.* VI. *Quo sensu cum ea conveniat.* VII. *Continet plura præcepta,* VIII. *Estque indelebilis.*

QUID est lex naturalis?

I. R. Est impressio divini Luminis in nobis, quo cognoscimus, quid creaturæ rationali conveniat vel disconveniat, sive ut dicit S. Thom. art. 2. citato, est participatio legis æternæ in creatura rationali. Vocatur etiam naturale lumen intellectûs nostri, recta ratio, item jus naturæ.

Recta ratio quandoquè latiùs sumitur prout respicit etiam illa, quæ tantùm sunt consilii; ubi lex naturæ propriè illa tantùm complectitur, quæ præcepta sunt vel prohibita.

De hac lege intelligitur illud ad Rom. cap. 2. V. 14. "Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ "legis sunt, faciunt: (V. 15.) qui ostendunt opus legis scriptum "in cordibus suis." Huc etiam facit juxta SS. Aug. et Thom. illud Psal. 4. V. 7. "Signatum est super nos lumen vultûs "tui, Domine:" ast S. Hieronymus aliique plures aliter hunc locum ex Hebræo interpretantur.

II. Lex naturæ in actu primo considerata videtur esse habitus, seu vis à Deo menti creatæ impressa, apta dictare, quid creaturam rationalem per se deceat vel dedeceat; in actu secundo spectata est actuale dictamen præscribens, quid hìc et nunc fieri debeat vel omitti ut consentaneum vel dissentaneum creaturæ rationali.

Hinc cùm in pueris et amentibus non possit esse istud dictamen actuale, lex naturæ in ipsis tantùm est per modum habitûs. Lex hæc vocatur naturalis, quia cum natura nobis est indita, et essentialiter naturæ est conjuncta.

An igitur homo non potest condi exlex?

III. R. Non potest: patet ex dictis Num. præcedenti; nam homo naturâ suâ exlex dicitur, qui nullâ lege ante liberam suam determinationem obstringitur, sed cui pró ratione et lege stat sua voluntas: atqui implicat creari talem hominem; quia ante liberam ejus determinationem, quædam sunt intrinsecè bona, alia intrinsecè mala, nimirum quæ sunt de jure naturæ; ergo ante istam determinationem inest homini obligatio juri naturæ actiones suas conformandi.

An lex naturæ differt à conscientia?

IV. R. Affirmativè, in eo scilicet, quòd conscientia sit dictamen actuale, et circa particulare agibile, dictans quandoque errorem: quæ omnia non conveniunt legi naturæ.

In quo differt lex naturæ à lege æterna?

V. R. Differt materialiter et physicè in eo, quòd lex æterna sit in Deo, et sit ipsa essentia divina: lex autem naturæ est in mente creata, et ita est aliquid creatum, et lumen à lege æterna participatum.

VI. Formaliter verò cum lege æterna convenit in eo, quòd sit eadem rectitudo dictaminis et directionis, ita ut omnis actus conformis legi æternæ sit etiam conformis legi naturæ, et quidquid præcipit lex æterna, hoc præcipiat lex naturalis et vice versâ. Unde secundùm hunc sensum lex æterna et naturalis dici possunt eadem lex, non diversæ leges, sicuti eadem est imago sigilli et sigillati.

Itaque lex naturalis ratione essentiæ suæ, sive prout est in nobis, est temporalis: ratione verò rectitudinis et principii æterna.

An lex naturæ continet plura præcepta?

VII. R. Lex naturæ una quidem est in se, sed ratione materiæ, circa quam versatur, plura continet præcepta; quæ tamen omnia juxta S. Th. quæst. 94. art. 2. fundantur et proficiscuntur ab hoc primo et universali principio: "Bonum est faciendum et malum fugiendum:" sicuti in speculativis primum principium est hoc: "quodlibet est, "vel non est:" vel hoc: "non potest idem simùl affirmari "et negari de eodem."

Inter principia juris naturæ alia sunt primaria, quæ per se sunt omnibus nota, et ex sola terminorum notitia intelliguntur; quale est hoc: "quod tibi non vis fieri, alteri ne "feceris."

Alia sunt secundaria, quæ immediatè et evidenter ex primariis deducuntur: talia sunt præcepta Decalogi.

Alia remotiora, quæ non ita evidenter, sed tantùm mediatè et per consequentias ex primariis deducuntur, v. g. contractum mohatra esse illicitum.

An lex naturæ eadem est apud omnes?

R. Affirmativè: quia est eadem participatio et conformitas cum lege æterna: non tamen ideo est æquè nota apud omnes propter vitia et pravas consuetudines.

An lex naturalis potest deleri de cordibus hominum?

VIII. R. Lex naturæ sumpta pro habituali seu radicali lumine rationis animæ impresso, deleri seu auferri non potest, nequidem partialiter.

Verùm actualis fulgor istius luminis sive actualis cognitio et scientia minui potest per malas persuasiones, pravas consuetudines, habitus corruptos, passiones, aliaque similia impedimenta: et hoc sensu admittit S. Th. q. 94. art. 6. legem naturalem quantùm ad secundaria et remotiora præcepta deleri posse de cordibus hominum, inquantùm scilicet præcepta illa ignorari possunt.

Hinc dantur peccata ignorantiæ contra jus naturæ. An verò ignorantia saltem in remotioribus præceptis possit esse practicè invincibilis, discussum est, ubi de causis voluntarii Num. 47. ibique sententiam negativam latè probavimus.

N. 15. DE MUTATIONE LEGIS NATURÆ.

S. Thom. quæst. 94. *art.* 5.

I. *Lex naturæ est immutabilis.* II. *Conciliatio Doctorum.* III. *Lex naturæ etiam respectu Dei est immutabilis.* IV. *Potest tamen aliquando mutari materia.*

AN lex naturæ potest mutari?

I. R. Dicendum simpliciter, legem naturæ mutari non posse, manentibus scilicet materiâ et circumstantiis non mutatis. Ratio est, quia lex naturæ non continet, nisi quæ intrinsecè et ex natura sua bona sunt vel mala: ergo eâdem manente talium rerum naturâ, necessariò illæ manent per legem naturæ præceptæ vel prohibitæ.

Obj. Est præceptum juris naturæ reddere depositum: atqui tamen illud aliquando non est reddendum: ergo præceptum illud juris naturæ est mutabile.

R. Dist. maj. reddere depositum est præceptum juris naturæ adæquatè expressum, neg. maj. inadæquate expressum, ita ut expressio illa patiatur exceptiones, conc. maj. pro quo nota, aliquas propositiones esse nimiùm generales, ita ut jus naturæ in illis adæquatè non exprimatur: propositiones tamen illæ dicuntur juris naturæ; quia jus naturæ in illis locum habet "ut in pluribus," et quia sæpe difficile est, dictamen juris naturæ adæquatis et præcisis terminis exprimere. Ut in casu præceptum juris naturæ adæquatè exprimeretur, dici deberet: depositum est reddendum, dum illud rationabiliter repetitur.

Simili modo præceptum NON OCCIDES intelligi debet cum hac clausula: "Privatâ authoritate."

II. Hinc orta est diversitas quædam apparens sententiarum: aliqui enim cum S. Thoma dicunt jus naturæ posse mutari in principiis remotis, sed intelligunt mutationem impropriè dictam, ratione scilicet mutationis materiæ aut circumstantiarum, ob quam objectum desinat esse juris naturæ: alii verò nobiscum negant, jus naturæ mutari posse, estque hic loquendi modus hodiedum magis receptus.

An equidem per Deum lex naturæ mutari non potest?

III. R. Neg. quia materia juris naturæ est necessaria, sive illa, quæ sunt juris naturæ, necessariam habent cum divinis attributis conformitatem vel repugnantiam; adeoque debent necessariò præcipi aut prohiberi.

Obj. Furtum est jure naturæ prohibitum: atqui tamen Deus effecit, ut furtum Israëlitis licitum esset, Exodi cap. 12. ergo, &c.

R. Neg. min. non enim Israëlitæ ibi commiserunt furtum, cùm Deus Supremus Dominus in omnes res creatas illa bona Israëlitis concessisset, sicque sua non aliena Israëlitæ capiebant.

IV. Itaque bene notandum, quòd, etsi non possit admitti mutatio juris naturæ, admitti tamen debeat in pluribus casibus mutatio materiæ, circa quam lex naturæ versatur: sic in casu objecto mutata est materia formaliter in ordine ad furtum; et ideo initio hujus Numeri diximus: "Manen-"tibus materiâ et circumstantiis non mutatis."

N. 16. DE DISPENSATIONE IN LEGE NATURÆ.

S. Thom. quæst. 100. *art.* 8.

I. *Dispensatio* II. *Non datur in jure naturae.* III. *Lex naturae non potest abrogari.* IV. *Datur in ea interpretatio simplex.* V. *Non verò epikeia.*

I. PRÆNOTANDUM, dispensationem esse relaxationem legis in aliquo particulari casu, factam per authoritatem Superioris, manente materiâ et lege non mutatâ in communi.

An in lege naturæ potest dari dispensatio?

II. R. Neg. ob rationes jam datas, cùm lex naturæ sit necessaria et immutabilis, sicut lex æterna; unde Deus in illa dispensare non potest, sicuti seipsum negare non potest.

Obj. I. Deus dispensavit in lege naturæ, dum præcepit Abrahæ immolare filium suum Isaac innocentem: ergo, &c.

R. Neg. anteced. quia lex naturæ non prohibet occidere innocentem jussu ipsius Dei, qui tanquam vitæ et necis Dominus, sicut per seipsum, ita et per alium occidere potest: sed tantùm prohibet occidere authoritate privatâ.

Obj. II. Polygamia seu pluralitas uxorum est contra jus naturæ: atqui tamen illam permisit Deus Patriarchis: ergo, &c.

R. Polygamia non est contra jus naturæ simpliciter et absolutè, cùm non impediat primarium matrimonii finem, qui est procreatio, sed tantùm secundarium, qui est pax familiæ: pacem autem illam Deus aliunde procurare poterat, vel ob finem multiplicationis fidelis populi poterat aliqualis illa perturbatio familiæ permitti: unde mutatis quibusdam circumstantiis, polygamia potuit esse licita. Vide Num. 67. "de Matrimonio."

Alia quædam similia facta objiciuntur, ut de libello repudii, de matrimonio inter fratrem et sororem, quod inter Adami liberos licitum fuit. Ad quæ pariter respondetur, illa non esse contra jus naturæ simpliciter et absolutè; sicque in quibusdam circumstantiis potuisse esse licita.

Obj. III. Obligatio juramenti vel voti est juris naturæ; atqui tamen in illis dispensatur: ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia non dispensatur in obligatione voti vel juramenti manente voto aut juramento, sed vice Dei ipsum votum vel juramentum per Superiores Ecclesiæ ollitur seu relaxatur, sicque obligatio inde exorta spontè essat per remotionem materiæ.

Hinc notandum, aliqua esse de jure naturæ mediatè tantùm, putà mediante contractu, pacto, &c. quæ si removeantur, jus naturæ ampliùs locùm non habet: sic valida promissio obligat jure naturæ, sed promissione dissolutà, desinit obligatio; quia jus naturæ tantùm obligabat mediante promissione.

Obj. IV. Deus in aliquibus potest mutare materiam: ergo etiam dispensare. Probatur consequentia: illa duo in effectu sunt æqualia: ergo si possit unum, poterit et aliud.

R. Neg. conseq. nam, dum Deus in aliquibus mutat materiam, hoc facit tanquam supremus illius materiæ Dominus, illamque mutando efficit, ut id, quod ante erat sub lege naturæ, jam sub illa non sit: verùm dispensando deberet Deus facere, ut id, quod sub lege est et malum, manens sub lege fieret ab aliquo et non esset malum; dispensatio enim fit manente lege et materiâ non mutatis: jam autem implicat, ut res ex naturâ suà mala, manente lege et materiâ non mutatis, fiat licita.

III. Ex dictis collige, quòd in jure naturæ adæquatè expresso admitti nequeant abrogatio, derogatio, aut irritatio.

An interpretatio cadit in legem naturæ?

IV. R. Nuda et simplex interpretatio, quæ est mera legis explicatio, in lege naturæ admittitur; quia, cùm non omnia legis naturæ præcepta sint æquè nota, quandoque termini exponi debent, ut sensus præcepti exponatur: verùm hoc nullam in jure naturæ mutationem arguit.

An Epikeïa in lege naturæ locum habet?

V. R. Neg. quia Epikeïa est quædam correctio legis desumpta ex æquitate et præsumpta Legislatoris voluntate, quatenùs lex universaliter lata non potest rationabiliter in quibusdam casibus observari, quos tamen Legislator à lege sua non excepit: verùm hoc locum non habet in lege naturæ; quia quidquid sub lege naturæ comprehendi potest, re invariatâ necessariò comprehenditur; cum lex naturæ non comprehendat nisi intrinsecè bona vel mala, et ita deficere non possit, nisi materia mutetur, quo casu non per Epikeïam, sed per mutationem materiæ cessabit.

Hinc non dependet à voluntate Legislatoris, nequidem Dei, ut casus manens invariatus sub lege naturæ comprehendatur vel non comprehendatur: ubi in lege humana multi casus non comprehenduntur sub lege ex præsumpta Legislatoris voluntate, qui tamen secundùm rigorem verborum sub lege comprehenderentur: atque hinc in lege humana est locus Epikeïæ.

QUÆSTIO III.

DE LEGE HUMANA.

N. 17. DE DEFINITIONE LEGIS HUMANÆ.

S. Thom. 1. 2. *q.* 91. *a.* 3. *et q.* 65.

I. *Lex humana* II. *Licitè fertur in nova lege.* III. *In quo consistat libertas Evangelica.*

QUID est lex humana?

I. R. est lex, quæ liberâ voluntate hominis Legislatoris lata est.

An in nova lege licitè ferri possunt leges humanæ?

II. R. Affirmativè: idque in primis patet pro lege Ecclesiastica ex Synodo Jerosol. Act. cap. 15. ubi Apostoli statuerunt hanc legem positivam abstinendi à sanguine et suffocato. Idem etiam pro lege civili patet ex variis locis Apostoli, maximè ad Rom. cap. 13. ubi dicit: "Eum, qui legibus resistit, Dei ordinationi resistere, sibi "damnationem acquirere, &c."

Ratio est, quòd lex naturæ multa in communi præscribit, quæ sunt indeterminata quoad modum, tempus et locum: neque omnia ad suî observantiam utilia in particulari præcipit, neque continet facta omnia et circumstantias particulares, quibus homo ad bonum movetur: hæc autem supplent leges humanæ, determinando modum, tempus, &c.

Lutherus docuit nullam in nova lege debere esse legem præter legem fidei: et ideo publicè combussit corpus juris canonici. Nititur autem his præcipuè argumentis:

Primò, quòd 2. ad Cor. cap. 3. V. 17. dicitur: "Ubi "spiritus...ibi libertas:" ad Gal. cap. 4. V. 31. "Non "sumus ancillæ filii sed liberæ, quâ libertate Christus nos "liberavit:" cap. 5. V. 13. "In libertatem vocati estis:" ergo in nova lege est libertas à legibus.

III. R. Negando conseq. quia libertas Evangelica non consistit in libertate à legibus, sed in his tribus:

1°. In libertate à servitute peccati, juxta hoc ad Rom. cap. 6. V. 18. "Liberati à peccato."

2°. In libertate, seu liberatione ab onere veteris legis, quatenùs erat judicialis et ceremonialis: de hac loquitur Apostolus ad Gal. cap. 5. dicens: "In libertatem vocati "estis."

3°. In libertate à terrore et coactione legis: hoc sensu 1. ad Timoth. cap. 1. V. 9. dicitur: "Lex justo non est "posita," nimirum quoad vim coactivam; quia justus ex gratia et charitate facit ea, quæ legis sunt.

Obj. II. Jacobi cap. 4. V. 12. dicitur: "Unus est "legislator," scilicet Deus: ergo, &c.

R. Unus est Legislator principalis et à nullo dependens Deus: ast alii sunt subordinati in vim potestatis sibi à Deo communicatæ.

Obj. III. Matth. cap. 15. V. 9. dicitur: "Sine causa "colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum:" ergo, &c.

R. Agitur de præceptis hominum, quæ, ut V. 6. dicitur, irritum faciebant mandatum Dei, qualia erant falsæ Pharisæorum traditiones: vel agitur de præceptis vanis et inutilibus ad cultum Dei, ut erat lotio manuum ante sumptionem cibi, de qua ibi V. 2.

Obj. IV. Deuter. cap. 4. V. 2. dicit Deus: "Non "addetis ad verbum, quod vobis loquor."

R. Præcipitur, ut nihil repugnans addatur: vel ne humanæ constitutiones addantur, quasi forent verbum Dei.

Obj. V. Vel Christus sufficienter Ecclesiæ suæ providit, vel non: atqui secundum dici nequit: ergo leges humanæ sunt superfluæ.

R. Sufficienter Christus Ecclesiæ suæ providit condendo leges pro semper necessarias, et de cætero relinquendo Ecclesiæ potestatem condendi alias leges, prout ejus bonum pro diversitate personarum et circumstantiarum exigere videbitur.

N. 18. DE HOMINE LEGISLATORE.

S. Thom. quæst. 90. *art.* 3.

I. *Leges ferre spectat ad potestatem politicam.* II. *Potestas Ecclesiastica est immediatè à Deo.* III. *Civilis à communitate.*

QUÆ potestas humana, seu qui homines possunt ferre leges?

I. R. Illi qui habent potestatem jurisdictionis politicæ, ut dictum est Num. 3.

Quid est jurisdictio politica?

R. Est facultas seu legitima potestas authoritatis et eminentiæ ad regimen et gubernationem communitatis perfectæ.

Dividitur in ordinariam et delegatam; prior est, quæ alicui competit ratione officii vel conditionis: posterior, quæ alicui citra officium conceditur ab habente ordinariam.

Undenam derivatur illa potestas?

II. R. Potestas Ecclesiastica specialiter datur à Deo Summo Pontifici immediatè et proximè, et ab ipso derivatur in Episcopos aliosque Superiores Ecclesiasticos. Galli tamen etiam Episcopos immediatè à Christo potestatem jurisdictionis habere sustinent, de qua quæstione agitur in Tract. "de Pontifice."

III. Potestas civilis ferendi legis competit ex natura rei immediatè ipsi communitati: verùm quia nonnisi difficillimè potestas illa exerceri potest à tota communitate, ideò solet communitas illam transferre, vel in aliquos de populo ex omni conditione, et est "Democratia;" vel in paucos optimates, et est "Aristocratia," vel in unum tantùm sive pro se solo, sive etiam pro successoribus suis jure hæreditario, et dicitur "Monarchia."

Hinc patet, Reges aliosque supremos Principes immediatè suam potestatem habere à Republica seu communitate, habetur leg. 1. QUOD PRINCIPI PLACUIT. Digest. lib. 1. tit. 4. aliqui tamen eam immediatè à Deo acceperunt, uti de Saül et David constat ex Historia Sacra.

Obj. Apostolus ad Rom. cap. 13. V. 1. dicit: "Non est "potestas, nisi à Deo:" ergo Reges habent potestatem suam à Deo.

R. In hoc textu tantùm importatur, omnem potestatem esse à Deo tanquam à causa prima, saltem mediatè; non verò omnem potestatem esse à Deo immediatè et proximè, nullâ aliâ causâ sive nullo superiore mediante: sic delegatus habet potestatem, et consequenter ex citato loco Apostoli illam habet à Deo, et tamen eam immediatè habet à delegante.

N. 19. DE JURE GENTIUM.

S. Thom. quæst. 95. *art.* 4.

I. *Jus gentium* II. *Differt à jure naturæ.* III. *Item à civili.* IV. *Inducit obligationem.*

QUID est jus gentium?

I. R. Definitur lib. 1. inst. tit. 2. § 2. illud, quod usu exigente et humanis necessitatibus, gentes humanæ sibi constituerunt: definiri etiam potest, illud quod omnium vel plurimarum gentium consuetudine et moribus est introductum.

Hoc jure servantur immunitas Legatorum, qui ab uno Principe ad alium destinantur, et fœdera pacis, induciarum, &c. similiter commerciorum libertas inter nationes non inimicas, uti et bonorum divisio, servitus, manumissio, &c. ex hoc jure profluunt.

An jus gentium distinguitur à jure naturæ?

II. R. Affirmativè; quia jus gentium constituitur communi consensu populorum: jus verò naturæ independens est à consensu seu arbitrio hominum, sed necessariò ex ipsa rerum natura exoritur. Deinde jus gentium mutari potest; et ita, cùm olim omnes bello capti jure gentium fierent servi, id tamen hodie apud Christianos non ampliùs locum habet.

Nota tamen, à Jurisconsultis jus gentium quandoque latiùs sumi, prout comprehendit communiora juris naturæ præcepta: et ita illud dividunt in Primarium, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, et est juris naturæ: et secundarium, supra definitum.

An jus gentium differt à jure civili?

III. R. Affirmativè, in eo, quòd jus gentium non scripto, sed moribus, non unius, sed omnium aut ferè omnium nationum consensu constet. Differt etiam fundamento; quia ratio constitutiva juris gentium, licèt non sit strictè de jure naturæ, est tamen adeo propinqua et consentanea naturæ, ut facilè potuerit singulas nationes ad tales constitutiones inclinare, quod non ita obtinet in jure civili.

An jus gentium veram inducit obligationem?

IV. R. Affirmativè, quia ex dictis et juxta S. Th. art. cit. est vera lex: neque ad hoc necesse fuit, ut omnes gentes in unum locum convenirent ad illud jus statuendum; sed tacitus consensus illud potuit introducere. Hinc illius juris violatores non tantùm culpam contrahunt, sed etiam ut infames et publicæ tranquillitatis hostes reputantur.

N. 20. DE JURE CIVILI.

I. *Jus civile* II. *Dividitur in commune et municipale,* III. *Scriptum et non scriptum.* IV. *Jus commune complectitur 4 partes.* V. *Digesta,* VI. *Institutiones,* VII. *Codicem,* VIII. *Et Novellas.* IX. *Non ubique obtinet.* X. *In aliquibus per canones est correctum.*

QUID est jus civile?

I. R. Jus civile sic dictum, quasi jus proprium civitatis, est illud, quod à potestate sæculari pro Regno, Populo, Civitate, &c. constitutum est. Spectat hoc jus proximè publicam tranquillitatem et temporale bonum subditorum.

Quomodo dividitur hoc jus?

II. R. Dividitur 1°. in "commune," quod se extendebat ad omnes Provincias Imperio Romano subjectas, continetur que in corpore juris civilis: et in "municipale" seu particulare, quod tantùm obligat subditos determinati loci.

III. 2°. Dividitur in scriptum et non scriptum: illud expresso Principis consensu, hoc moribus est introductum.

Nota, dum simpliciter nominatur jus civile, intelligi antonomasticè jus Romanum seu commune, quod leges per Justinianum Imperatorem potissimùm sæculo 6[to]. collectas complectitur.

Quo partibus constat jus civile seu Romanum?

IV. R. Solent allegari hæ quatuor: digesta seu pandectæ, institutiones, codex et novellæ, quibus à multis adduntur duo libri feudorum.

V. Digesta seu pandectæ, quæ à Justiniano anno 533. sunt promulgatæ, citantur hoc modo: L. SI BONÆ FIDEI POSSESSOR, D. vel. ff. de hæreditatis petitione: id est, lege quæ incipit: SI BONÆ FIDEI POSSESSOR, Digest. sub titulo de hæreditatis petitione. Clariùs citatur hoc modo L. 49. SI BONÆ FIDEI POSSESSOR, Digest. L. 5. tit. 3.

VI. Sub idem tempus evulgati sunt quatuor libri institutionum, veluti quædam juris civilis elementa: citantur autem hoc modo: inst. DE CURATORIBUS §. FURIOSI, id est, lib. inst. tit. DE CURATORIBUS, §. cujus initium est FURIOSI.

VII. Anno 534. codex emendatus, qui etiam dicitur codex repetitæ prælectionis, et quo etiamnùm utimur, publicatus est: citatur hoc modo L. CREDITOR, C. de usuris; id est, lege, quæ incipit CREDITOR, in codice sub tit. "De usuris."

VIII. Postremò sunt novellæ sive authenticæ, ad quas in primis spectant novem collationes tum variæ constitutiones Justiniani ejusque successorum, quæ, utpote cæteris partibus posteriores, iis vel auctoritatem addunt vel detrahunt. Citantur hoc modo: nov. 43. cap. 1. §. SI QUIS VERO; hoc est: novellâ 43. cap. 1. paragrapho cujus initium est: SI QUIS VERO: vel hoc modo: Auth. DE OFFICINIS SIVE TABERNIS inter novel. Justin. 43. cap. 1. §. SI QUIS VERO: id est authenticâ cujus titulus est DE OFFI-

CINIS SIVE TABERNIS, quæ est 43. inter novellas Justiniani cap. 1. paragrapho qui incipit: SI QUIS VERO.

Duo libri feudorum Authorem non habent Justinianum, sed continent merum jus consuetudinarium, quod postea pro meliori memoria scripto fuit mandatum.

IX. Nota, etsi jus Romanum sit valdè excellens, non tamen ubique obtinere: sic in Belgio primum jus constituunt edicta Principum et locorum consuetudines, tantùmque ad jus commune seu Romanum recurritur, illis deficientibus.

X. Nota, in corpore juris civilis quosdam reperiri errores, quorum varii correcti sunt per jus canonicum.

N. 21. DE JURE ECCLESIASTICO.

I. *Jus Ecclesiasticum.* II. *Declarationes Cardinalium.* III. *Corpus Juris Canonici.*

QUODNAM jus dicitur Ecclesiasticum?

I. R. Illud, quod constitutum est à potestate Ecclesiastica, Ecclesiæ à Deo concessa.

Ad hoc jus pertinent ceremoniæ et ritus in administratione Sacramentorum adhiberi solitæ: non tamen ipsa Sacramenta, quæ sunt institutionis divinæ.

Leges Ecclesiasticæ sunt admodum multæ: Pontificiæ, Episcop. Synodales, &c. secundùm diversitatem locorum et diœcesium sæpe diversæ; quædam etiam successu temporis sunt mutatæ.

An declarationes Cardinalium habent vim legis Ecclesiasticæ?

II. R. Ut vim legis obtineant, tria solent ab Authoribus requiri: 1°. Ut declarationes illæ sint à Pontifice approbatae: 2o. Ut solùm declarent et interpretentur, non autem dispensent, aut ultra verborum proprietatem legem extendant: 3o. Ut sint in forma authentica cum solito sigillo et subscriptione Cardinalis præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis. Ita statuit Urbanus VIII. anno 1631.

Quid est Corpus Juris Canonici?

III. R. Est volumen continens plurimas leges antiquas Pontificum et Conciliorum: habet quinque partes, quæ sunt: Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextus Decretalium Bonifacii VIII. Clementinæ à Clemente V. sic dictæ, et Extravagantes, cùm Joan. XXII. tum communes.

Notandum, non omnes leges, quæ in Corpore Juris Canonici reperiuntur, esse definitiones ex "Cathedra," neque omnes concernere fidem aut mores: quinimò, quæ Gratianus collegit ex SS. Patribus, Conciliis, aliisque scriptoribus, non aliam habent authoritatem, quàm ipsi fontes, ex quibus desumpta sunt. Et quamvis Greg. XIII. curaverit emendationem dicti decreti, non tamen illi generatim authoritatem legis tribuit, sed primævæ authoritati reliquit.

Notandum etiam, Epistolas decretales, quæ præcedunt Siricium Papam, à Baronio, Bellarmino, Petavio, Schelstratio et omnibus nunc eruditis haberi ut supposititias: non quòd aliquid à fide vel moribus alienum contineant, sed quòd non sint illorum Pontificum, quorum nominibus insigniuntur.

N. 22. DE CITATIONIBUS JURIS CANONICI.

I. *Pars prima habet* 101 *distinctiones.* II. *Secunda* 36 *causas.* III. *Tertia distinctiones* 5. IV. *Canones Apostolici.* V. *Decretales Gregorii IX.* VI. *Clementinæ.* VII. *Extravagantes Joannis XXII. et communes.*

DECRETUM Gratiani sic dictum, quia à Gratiano Religioso Benedictino sub Eugenio III. ad annum 1151 collectum fuit, continet tres partes.

I. Pars prima continet 101 distinctiones, quarum ferè quælibet in plures subdividitur canones: citatur autem hoc modo: dist. 32. can. NULLUS MISSAM, id est, distinctione 32. canone, cujus prima verba sunt, NULLUS MISSAM. Supponitur prima pars decreti, quia alia pars non designatur.

Dum verba initialia canonis non exprimuntur, nec additur numerus, v. g. can. 4.

II. Secunda pars continet causas 36, quæ subdividuntur in quæstiones, et hæ in Canones: citatur hoc modo: cap. vel canon. SI QUIS SUADENTE 17. quæst. 4. id est canone, qui incipit, SI QUIS SUADENTE, causâ 17. q. 4.

Quæstio tertia causæ 33. habet speciale, quòd ei sit insertus Tractatus "de Pœnit." habens septem distinctiones, et citatur hoc modo: can. SI QUIS PULSATUS dist. 1. "de Pœnit." id est, canone, cujus initium est, SI QUIS PULSATUS, dist. 1. in Tractatu "de Pœnitentia."

III. Tertia pars decreti inscribitur de Consecratione, agitque de Sacramentis novæ Legis ac Missæ Sacrificio, et

dividitur in quinque distinctiones, ac hæ rursus in Canones: citatur hoc modo: can. ECCLESIÆ dist. 1. "de Consecra-"tione," hoc est: canone, qui incipit ECCLESIÆ, distinctionis primæ "de Consecratione," seu "tertiæ partis."

IV. In fine adjunguntur 47 canones pœnitentiales: item 84. dicti APOSTOLICI: sed hos Gelasius Papa in classem apocryphorum relegavit, quòd scilicet verè Apostolorum non sint: plerique tamen illorum summâ antiquitate sunt venerandi, et Romanorum Pontificum authoritate vel Conciliorum decretis aut Patrum sententiis inveniuntur confirmati, præsertim inter priores 50, quos Ecclesia Latina corpori canonum suorum inseruit.

Reliqui 34, quos Græci addiderunt, et in Synodo Trullana simul cum aliis 50 recipiendos sanxerunt, illius ponderis ac meriti non sunt.

V. Decretales Gregorii IX. continent responsa Pontificum, quæ jussu cujusdam Pontificis collegit S. Raymundus de Pennafort ad annum 1234, et redegit in unum volumen Decretalium, divisum in quinque libros, quorum singuli dividuntur in titulos, et tituli in capitula. Citantur hoc modo: cap. SUPER LITERIS "de rescriptis:" id est capitulo, quod incipit SUPER LITERIS, titulo "de rescriptis." Invenitur etiam citari hoc modo: cap. SUPER LITERIS extra, ext. vel x "de rescriptis:" ubi extra, ext. vel x denotant extra decretum Gratiani, sive in quinque libris decretalium. Oportet autem in indice alphabetico quærere initium capituli sive hæc verba "super literis," et ibidem notabitur, illud capitulum reperiri libro 1. decret. tit. 3. ordine vigesimum.

Materia horum quinque librorum designatur hoc versu:
"Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen."

Sextus liber decretalium sic dictus, quòd quinque prioribus superadditus est à Bonifacio VIII. anno 1298. dividitur etiam in quinque libros, qui subdividuntur in titulos, et tituli in capitula: citatur eodem modo sicut decretales, nisi quòd addatur "in sexto:" v. g. cap. IPSO JURE "de "rescriptis" in 6. si quæratur in indice capitum, invenietur esse capitul. 1. tit. 3. lib. 1. in 6. decretal.

VI. Quarta pars Juris Can. continet Clementinas, quæ similiter dividuntur in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula: citantur hoc modo: Clem. GRATIÆ "de "rescriptis:" per indicem Clementinarum invenies illud capitul. GRATIÆ esse quartum tituli 2. lib. 1.

VII. Quinta pars complectitur Extravagantes sic vocatas, quòd olim extra Corpus Juris Canonici vagarentur, sive essent constitutiones vagæ: sunt autem à Joanne XXII.

editæ 20 extravagantes, distributæ in quatuordecim titulos: reliquæ, quæ communes dicuntur, à variis Pontificibus emanârunt, dividuntur in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula.

Utræque extravagantes citantur eodem ferè modo, nisi quòd vel addatur: in extravagantibus Joannis XXII. vel inter communes: v. g. cap. ANTIQUA. "de voto et voti "redemptione" in Extravagantibus Joannis XXII. aliæ autem citantur hoc modo: cap. SI RELIGIOSI "de electione," inter communes.

Juri Canonico hodie annumerari debent decreta et Canones Conciliorum generalium, item constitutiones Pontificiæ nondum in corpore juris relatæ. Sunt tamen variæ constitutiones non dogmaticæ, quæ vim legis non habent, eò quòd non sint communiter receptæ.

Liber septimus decretalium collectus à Petro Matthæi Jurisconsulto Lugdunensi, licèt contineat constitutiones Pontificias et Conciliorum usque ad Trident., non est tamen hucusque in corpus Juris Can. relatus.

Liber ille septimus, ut notat Fagnanus in cap. CUM VENISSENT "de Judiciis," authoritate Clementis VII. aliter fuit editus, nondum tamen ut pars juris publicatus.

N. 23. DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

I. *Præcepta Ecclesiæ scitu necessaria.* II. *Sunt* 5.

QUÆNAM sunt præcipua Ecclesiæ præcepta universos Christi fideles concernentia?

I. R. Quamvis sint plurima Ecclesiæ præcepta tùm in Jure Canonico, tùm in Conciliis et Pontificum constitutionibus, quinque tamen specialiter in Catechismis proponuntur scitu et observatu omnibus necessaria, sunt autem hæc:

I. 1°. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

2°. Sacrum Missæ officium diebus festis reverenter audito.

3°. Indicta certis diebus Jejunia et à quibusdam cibis abstinentiam observato.

4°. Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate singulis annis confitetor.

5°. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Festum Paschæ, sumito.

Singula hæc præcepta et quæstiones eò spectantes videri possunt in aliis tractatibus, ad quos cujusque præcepti materia pertinet.

Primum explicatur in expositione tertii Præcepti Decalogi.

Secundum in Tractatu "de Sacrificio Missæ." Tertium in Tract. "De Temperantia," Num. 253. et sequentibus. Quartum in Tractatu "de Sacramento Pœnitentiæ," Num. 64. et sequentibus. Quintum in Tract. "de Sacramento "Eucharistiæ."

Nota, hæc præcepta non esse purè Ecclesiastica; nam quoad substantiam præceptam continent aliquid juris divini et naturalis, cui Ecclesia determinationem temporis superaddidit: et ita in substantia primi Præcepti invenitur aliquid, quod est juris divini et naturalis, nempe aliquod tempus à nobis impendi debere cultui et servitio divino, quia naturâ sumus servi Dei.

Similiter in substantia secundi præcepti juris divini et naturalis est, quòd Deus aliquando recognosci debeat tanquam primum rerum omnium principium: quæ recognitio directè et perfectissimè fit per Sacrificium externum: jure autem divino omne Sacrificium in nova Lege redactum est ad Sacrificium Missæ.

In tertio præcepto jus naturæ habet, quòd caro debeat esse subjecta spiritui, et ad eum finem præscribit Ecclesia certa jejunii tempora.

In quarto juris divini est confiteri peccata.

In quinto legis Christi est sumptio sacræ Eucharistiæ, cùm dicat Joannis sexto: "Nisi manducaveritis," &c. his duobus præceptis adimplendis Ecclesia tempus præscripsit.

An ergo hæc præcepta sunt simplex declaratio juris divini, vel nuda temporis determinatio, quo obligat jus divinum aut naturale?

R. Negativè: sed substantia sive ipse actus etiam cadit directè sub præcepto Ecclesiæ: hinc licèt quis communicando die Sabbati ante Dominicam Palmarum satisfecisset præcepto divino, teneretur nihilominus in quindena Paschali Eucharistiam sumere, ut satisfaceret præcepto Ecclesiæ, et ille qui toto anno omitteret communicare, peccaret contra præceptum divinum et Ecclesiæ.

QUÆSTIO IV.

DE SUBDITIS LEGUM.

N. 24. DE SUBDITIS LEGIS NATURÆ.

I. *Omnes subjiciuntur legi naturæ.* II. *Amens peccat materialiter contra legem naturæ.* III. *Inducens peccat formaliter.*

QUINAM subjiciuntur legi æternæ et naturali?

I. R. Subjiciuntur ac obligantur omnes creaturæ rationales, non tantùm adulti, sed etiam pueri, amentes, beati et damnati. Ratio est, quia lex naturæ est essentialiter naturæ rationali conjuncta, ut dictum est Num. 14. Ergo cùm in amentibus, &c. maneat natura rationalis, manet etiam ipsa lex naturæ.

An ergo pueri ante usum rationis et amentes peccant dum agunt contra legem naturæ?

II. R. Non committunt peccatum formale, cùm non agant liberè ob defectum usûs rationis: peccant tamen materialiter contra legem naturæ ipsis habitualiter inhærentem.

Idem dicendum de dormiente et ebrio, qui etiam formaliter peccabunt, si causam vel occasionem culpabilem posuerint; quod etiam evenire potest in amente non perpetuo.

Hinc sequitur 1°. verba luxuriosa ebrii, actus turpes dormientis, si culpabilem illorum causam posuerint, esse in confessione exponenda juxta dicta de voluntario in causa Num. 27. Imò quidam volunt, ut etiam ibidem dictum est, esse non tantùm peccata in causa, sed etiam in se.

III. Sequitur 2°. illum, qui inducit amentem, puerum, &c. in ebrietatem, peccare formaliter, fierique reum peccati ebrietatis contra temperantiam; quia est causa moralis ebrietatis.

Obj. Amens ille aut puer non peccat formaliter: ergo nec inducens.

R. Neg. conseq. quòd enim amens et puer non peccent formaliter, est ob defectum voluntarii liberi, qui titulus locum non habet respectu inducentis, quia liberè inducit.

Similiter qui amentes, infantes, dormientes, ebrios, &c. inducit ad venerea, aut alias passiones inordinatas, ad homicidium, furtum, &c. peccat simili peccato.

Idem videtur dicendum de illo, qui inducit tales ad blasphemias, et generatim ad omnia, quæ sunt intrinsecè mala.

Obj. Proferre blasphemias non est intrinsecè malum; quia illud fit à concionatoribus: ergo, &c.

R. Dist. ant. proferre blasphemias merè "narrativè," non est intrinsecè malum, conc. ant. proferre blasphemias enuntiativè, quomodo proferuntur ab amente, quantùm est ex parte inducentis, non est intrinsecè malum, nego ant. si enim illa verba considerentur simul cum influxu et voluntario inducentis, proferuntur ab amente modo significativo, prout quisque judicaret se lædi, si de ipso amens ab alio inductus proferret verba detractoria.

N. 25. DE SUBDITIS LEGIS POSITIVÆ.

S. Thom. quæst. 95. *art.* 5.

I. *Juri gentium subduntur omnes,* II. *Et legi divinæ.* III. *Pueri rationis usum adepti ligantur.* IV. *Item amentes non perpetui, dormientes et ebrii.* V. *Casus.*

QUINAM subduntur juri gentium?

I. R. Omnes illi, ad quos materia juris gentium pertinet, tam Reges et Principes, quàm privati: neque obstat, Reges non cognoscere superiorem in Regno suo; quia equidem sunt inferiores jure gentium, cùm jus gentium non sit unius regni, sed omnium nationum consensu introductum, adeoque superius quolibet Rege in particulari. Unde Rex illud transgrediendo justitiæ et honestatis leges violat.

Quinam subduntur legi divinæ positivæ?

II. R. Omnes, ad quos lex divina dirigitur, quia Deus habet plenissimam potestatem in omnes.

Hinc præceptum divinum suscipiendi Baptisma Joan. 3. et præceptum sumendi Sacram Eucharistiam Joan. 6. obligant non tantùm adultos fideles et hæreticos, sed etiam infideles seu non baptizatos; quia Christus etiam alloquitur infideles. Non peccant tamen formaliter, quamdiu istorum præceptorum laborant ignorantiâ invincibili.

An pueri ante usum rationis non tenentur præcepto Baptismi?

R. Non tenentur quidem propriè præcepto Baptismi, cùm præceptum tantùm imponatur obedientiæ capacibus, sed tamen illud ipsis administrari debet; quia est medium ad salutem necessarium.

Quinam obligantur lege positivâ humanâ?

R. Omnes Legislatori subditi, capaces usûs rationis, ad quos lex dirigitur, si aliunde non sint exempti.

Itaque non obligantur pueri ante usum rationis, neque perpetuò amentes ullis legibus humanis, quia sunt incapaces promulgationis et directionis Legis Humanæ: unde nec peccatum materiale committunt agendo contra illas leges.

Hinc sequitur, licitum esse in die jejunii eis dare carnes, plures refectiones, &c. interim providè illa eis negantur, tum propter scandalum aliorum, tum ut à teneris assuescant observationi præceptorum Ecclesiæ.

Obj. Qui inducit amentem in ebrietatem, peccat juxta dicta Numero præcedenti: ergo etiam qui dat amenti carnes edendas die jejunii.

R. Neg. conseq. disparitas est, quòd amens non subsit legi positivæ jejunii, sicut subest legi naturali temperantiæ: cùm igitur amens edendo carnes nequidem committat materiale peccatum, inducens non committit formale.

III. Dictum est, "Pueri ante usum rationis:" quia, ubi rationis usum adepti sunt, legibus positivis tam divinâ quâm humanâ ligantur. Quædam tamen sunt leges, à quibus ratione ætatis eximuntur: et ita non tenentur præcepto jejunii Ecclesiastici quantùm ad unicam refectionem ante annum 21. &c.

IV. Dictum est secundò "Perpetuò amentes," quia amentes per intervalla sunt potiùs comparandi dormientibus et ebriis: hi autem legibus positivis obligantur, quia lex fuit eis promulgata, atque ei fuerunt subjecti in actu secundo: unde et manent ei subjecti habitualiter et in actu primo, eò usque ut eorum actus contra illas sint saltem peccata materialia.

Hinc consequens est, quòd inducens tales ad agendum contra leges positivas peccet formàliter.

Idem videtur aliquibus dicendum de amentibus, qui lucida intervalla non habent, sed tamen aliquando usum rationis habuêre, idque ob eandem rationem.

Exempti à lege, v. g. ægroti exempti à lege jejunii, non committunt peccatum nequidem materiale contra legem, quamvis eam non observent, sed dicuntur negativè agere contra legem.

Uter peccat graviùs, an qui inducit ebrium usu rationis destitutum ad violandum jejunium, an qui ad id inducit rationis compotem?

R. Posterior: nam reus fit duorum peccatorum, scandali scilicet et violationis jejunii: prior verò, qui inducit ebrium

usu rationis destitutum, non committit propriè peccatum scandali, quia non inducit ebrium in peccatum formale, sed tantùm in materiale, et eatenùs tantùm peccat contra legem jejunii.

V. Joannes induxit amentem perpetuum ad esum carnis die jejunii, item ad actum libidinis, an et quomodo uterque peccavit?

R. Juxta supra dicta, per esum carnis nec amens, nec Joannes peccavit; quia amens perpetuus nulli legi positivæ subjectus est. Per actum verò libidinis amens peccavit materialiter et Joannes formaliter; quia legi naturæ subjiciuntur etiam amentes.

Nota, quòd quis potest esse superior alterius in una materia, et non in alia; ac vice versâ subditus alterius in una, non in alia materia: sic Laïcus subditus est Episcopo quoad leges Ecclesiæ, non quoad divisionem v. g. suorum bonorum, et ideo in hac causa non tenetur directè obedire Episcopo.

N. 26. DE IGNORANTIBUS LEGI SUBJECTIS.

I. *Subduntur legi ignorantes*, II. *Etiam invincibiliter.* III. *Patet ex lege irritum faciente.* IV. *Inducens peccat formaliter.* V. *Casus.*

AN ignorantes legem sufficienter promulgatam illâ obligantur?

I. R. Si legem quamcumque ignorent vincibiliter, modò lex ad illos spectet, sunt lege obligati. Ita accidit semper in lege naturæ.

II. Si legem ignorent invincibiliter et lex eos concernat, etiam lege obligantur, obligatione scilicet radicali, sive, ut alii dicunt, obligatione imperfectâ et in actu primo, prout Num. præced. dictum est de dormientibus et ebriis. Ratio est, quòd lex etiam dici potest promulgata invincibiliter ignorantibus, inquantùm sunt membrum et pars communitatis, cui lex sufficienter promulgata est.

III, Veritas hujus conclusionis innotescit per leges, quæ quid irritum reddunt: nam si quis contrahat matrimonium cum impedimento dirimente, etiamsi illud ignoret invincibiliter, equidem illud invalidè contrahit.

Obj. Ignorantes invincibiliter agendo contra legem non peccant, ergo lege non obligantur.

R. Non peccant quidem formaliter propter ignorantiam invincibilem, sed equidem committunt peccatum materiale, quia legi sunt subjecti.

Inferes: ergo obligantur ad impossibile, quia illis impossibile est legem observare.

R. Dist. seq. ergo obligantur ad impossibile in actu secundo, neg. seq. ergo obligantur in actu primo ad impossibile ex suppositione ignorantiæ, concedo totum: verùm in hoc nihil inconveniens; quia posito uno inconvenienti, non est mirum, aliud inconveniens sequi, ut in simili dictum est "de Conscientia" Num. 182.

IV. Hinc peccat contra legem jejunii, qui die jejunii dat carnes edendas invincibiliter diem jejunii ignoranti: et generatim qui inducit aliquem ad agendum contra legem, quâ obligatur inductus, peccat peccato illius speciei, ad quam transgressio legis pertinet, etiamsi inductus legem invincibiliter ignoret.

V. Joannes ex ignorantia vel inadvertentia inculpabili transgreditur legem jejunii, quâ tenebatur: Petrus illud videns, omittit illum monere, ubi commodè potest.

Quomodo peccavit Petrus?

R. Si nullus fructus ex monitione speretur, sed è contra timeatur ne materiale peccatum fiat formale, Petrus non peccavit, quia justa de causa monitionem omisit; si autem fructus speretur, tunc vel Petrus ex justitia aut officio tenebatur impedire, et peccavit contra legem jejunii; quia in hoc casu est causa privativa violationis jejunii: vel Petrus non tenebatur ex justitia vel officio impedire, et tunc propriè non sit reus violationis jejunii; quia nullo modo illius causa est. Ab omni tamen peccato non est eximendus; quia deliquit contra justitiam legalem et reverentiam legibus, superioribus, ac bono communi debitam, quatenùs non impedit transgressionem materialem legis.

N. 27. DE INFIDELIBUS ET HÆRETICIS LEGI SUBJECTIS.

I. *Infideles non obligantur legibus Ecclesiae.* II. *Haeretici &c. illis obligantur.* III. *An liceat hæreticis dare carnes die jejunii.*

AN infideles et hæretici obligantur legibus?

R. Omnes illi obligantur lege æternâ et naturali, item legibus positivis divinis, ut dictum est Num. 24 et 25.

I. 2°. Infideles, seu non baptizati, legibus positivis Ecclesiæ non tenentur; quia non sunt Ecclesiæ subditi: hinc dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 5. V. 12. "Quid mihi "de iis, qui foris sunt judicare?"

Infertur, si tales edant carnes die jejunii Ecclesiastici, eos non peccare contra legem Ecclesiæ, adeoque nec carnes eis ministrantem, nisi in Ecclesiæ contemptum carnes comederent.

II. 3°. Hæretici, Schismatici, Apostatæ et similes omnes baptizati, obligantur legibus Ecclesiæ, quæ ipsos concernunt; quia per Baptismum Ecclesiæ subditi facti sunt: neque magis à legibus ejus solvuntur, quàm subditi contra legitimum Principem rebelles à legibus Principis.

An ergo hæretici peccant, dum non observant jejunia et festa ab Ecclesia statuta?

R. Affirmativè: nisi per causam aliquam, v. g. ignorantiam excusentur.

Obj. I. Hæretici non sunt in Ecclesia: ergo non sunt subditi Ecclesiæ.

R. Dist. ant. Hæretici non sunt in Ecclesia quantùm ad unionem charitatis et communionis Sanctorum, conc. ant. non sunt in Ecclesia quoad subjectionem, neg. ant. etenim per Baptisma facti sunt subditi Ecclesiæ, et manent personaliter Ecclesiæ subjecti, ubicumque fuerint.

Obj. II. Ecclesia videtur relaxare leges suas respectu hæreticorum, quia urgendo observantiam legum, nullum bonum effectum expectare potest, sed magis peccata illorum et offensas Dei: ergo, &c.

R. Neg. ant.: Contrarium patet ex mente universæ Ecclesiæ: ad peccata autem illorum Ecclesia se habet merè permissivè ob altiores rationes, ne scilicet cum aperto scandalo fidelium favere videatur hæresi, dum hæretici ex pertinacia sua obtinerent commodum, et liberarentur ab oneribus legum, quibus fideles subjiciuntur. Deinde eadem ratio relaxandi militaret pro omnibus malis Christianis.

An in hac patria catholica licet in mensa apponere hæreticis carnes feriis sextis aut diebus jejunii?

III. R. Cum Daelman et Billuart id cauponibus licere pro illis hæreticis, qui ob necessitatem aut magnam aliquam causam morantur in patria; nam quibus datur esse in patria, dantur etiam consequentia ad esse: sic venduntur et dantur carnes militibus hæreticis tempore belli.

Si verò hæreticus quispiam versetur in patria ambulationis, mercaturæ aut alia simili de causa, non censetur adesse necessitas vel sufficiens causa; unde non videtur licitum cauponibus, multò minùs aliis, tali apponere carnes diebus vetitis; sed justè hæretico respondere possunt, se secundùm leges Ecclesiæ et mores patriæ hâc die non parare carnes edendas.

Aliud est in ditione hæreticorum, ubi caupones petentibus dant carnes, quia aliàs haberentur ut perturbatores Reipublicæ. Vide N. 274. "de Temperantia."

N. 28. DE JUSTIS LEGI SUBJECTIS.

S. Thom. quæst. 90. *art.* 5.

I. *Vis legis directiva et coactiva.*

AN justi et spirituales subduntur legibus?

R. Affirmativè: ita definivit Trident. Sess. 6. can. 20. et Sess. 7. can. 8. "de Sacr. Bapt." Probatur ex Apostolo ad Rom. cap. 13. V. 1. ubi ait: "Omnis anima potestatibus "sublimioribus subdita sit:" et ad Hebr. can. 13. V. 17. "Obedite præpositis vestris et subjacete eis." Textus hi sunt generales, atque adeo omnes etiam justos comprehendunt.

Obj. I. Ad Rom. cap. 6. V. 14. dicit Apostolus Christianis: "Non sub lege estis, sed sub gratia: ergo, &c.

R. Sensus est: non estis sub Lege Mosaïca jam cessante, sed sub gratia legis novæ.

Obj. II. 1. ad Timoth. cap. 1. V. 9. dicitur: "Lex "justo non est posita:" ergo justus non subest legi.

R. Neg. Sensus est, quòd lex justo non sit posita, ut eum minis et pœnis terreat, sicque eum cogat ad suî observantiam; cùm justi legem spontè observent; verùm cum eo consistit, quòd lex posita sit justo ad directionem.

I. Notandum, juxta S. Thom. loco præcitato, homines duplici modo posse dici subjectos legi, uno modo quoad vim directivam, alio modo quoad vim coactivam; nam in omni lege duo considerari possunt: unum, quòd lex sit regula morum, quòd ostendat, dirigat et obliget: et hæc pertinent ad vim directivam legis: aliud, quòd lex imponat vel infligat pœnas, et eatenùs terreat ac cogat, quod spectat ad vim coactivam legis.

N. 29. DE LEGISLATORE UT LEGI SUBJECTO.

I. *Monarcha non tenetur suâ lege* II. *Quoad vim coactivam.* III. *Quoad vim directivam tenetur,* IV. *Sed tantùm indirectè.* V. *Si tamen lex ipsum concernat.*

AN Legislator tenetur legibus, quas ipse tulit?

I. R. Si Legislator habeat regimen Monarchicum, ut [P]apa, Rex, Episcopus, &c. seu si sit unus absolutus Do-

minus, non tenetur suis legibus quoad vim coactivam; bene tamen quoad vim aliquam directivam saltem indirectè, quando nempe leges ex æquo ipsum et subditos concernunt.

II. Quòd non teneatur quoad vim coactivam, patet, quia, cùm sit supremus Princeps, à nullo cogi potest illorum, ad quos lex dirigitur, ad legis suæ observantiam.

III. Quòd teneatur quoad vim directivam, probatur ex eo, quòd recta ratio dictat, ut caput membris conformetur. Deinde æquum est, ut Legislator suo modo concurrat ad bonum commune, adeoque ad leges suas observandas: uti enim nihil magis nocivum, quàm quòd Legislator primus legem non observet, ita nihil magis proficuum, quàm quòd ei primus se conformet.

IV. Ex dictis patet, illam obligationem in Legislatore non oriri directè ex ipsa lege humana, sed ex lege naturæ, suppositâ lege humanâ; et ideo dictum est in responsione: "saltem indirectè." Aliquo tamen modo obligationem illam oriri ex lege humana docet Suarez lib. 3. "de Legi- "bus" cap. 35.

V. Dictum est etiam: "dum leges ex æquo Legislatorem "ac subditos concernunt," ut v. g. leges taxantes pretia rerum aut valorem monetæ, indicentes jejunia, festa, &c. legibus verò, quæ Legislatorem propter eminentiam aut aliam specialem rationem non concernunt (ut sunt lex prohibens populo gestationem armorum, lex imponens tributa, &c.) non astringitur Legislator, nequidem quoad vim directivam.

Infertur, Pontificem teneri die Festo audire Missam, die jejunii jejunare, et generatim facere, quæ spectant vim directivam: si tamen excommunicatio aut alia pœna contra transgressores foret statuta, illam non incurreret; quia hæc spectat ad vim coactivam.

An Legislator supremus tenetur sub mortali legem suam observare in materia gravi?

R. Si ex transgressione timeatur periculum gravis scandali aut notabilis injuriæ tertii, juxta omnes peccat mortaliter. Utrùm verò istis sepositis peccet mortaliter inter Authores non convenit: plures negant, eò quòd Legislator leges suam tantùm ex quadam decentia naturali observare tenetur, quæ, secluso scandalo aut aliâ gravi circumstantiâ, non videtur res gravis.

Si potestas legislativa sit penes aliquod corpus, ut est v. g. Senatus, Magistratus, Cœtus Primatum, Capitulum, &c. tunc singuli de corpore subjiciuntur ejus legibus, tam quoad vim coactivam, quàm quoad directivam; quia, licèt omne

collectivè sumpti sint Respublica aut Senatus, equidem singuli distributivè sunt Reipublicæ aut Senatui inferiores, à quo proinde cogi possunt.

Idem est de Legislatore singulari quidem, sed tamen non absoluto, seu qui agnoscit Superiorem, ut sunt Generales Ordinum Religiosorum, Dux Venetorum, &c.

N. 30. DE CLERICIS LEGI SUBJECTIS.

I. *Clerici subsunt legibus Ecclesiæ,* II. *Et civili in materia communi quoad directionem.* III. *In materia exempta nullo modo subsunt.* IV. *Religiosi exempti in multis subsunt Episcopo.*

AN Clerici subjiciuntur legibus humanis?

I. R. Clericos legibus Ecclesiasticis ipsos concernentibus subjici, tam quoad vim coactivam, quàm quoad directivam, extra controversiam est.

Itaque hìc præsertim quæritur, an et quousque subjiciantur legibus civilibus?

II. R. Legibus civilibus, quæ non adversantur Statui Clericali vel Immunitati Ecclesiasticæ, Clerici obligantur quoad vim directivam: sic tenentur servare valorem monetæ, non efferre grana extra patriam, si id prohibeatur, incedere vesperi cum lumine, si id præcipiatur à lege civili toti communitati.

Quia tamen juxta capit. 10. ECCLESIA lib. 1. Decret. tit. 2. Laïcus in personas Clericorum nullam jurisdictionem habet, hinc Suarez et plures Canonistæ docent, Clericos tantùm indirectè obligari illis legibus, prout Num. præcedent. de Legislatore dictum est; quatenùs nempe in pari causa pars debeat se conformare toti communitati, et quia Canones præcipiunt, ut Clerici ejusmodi leges observent.

III. Si verò leges civiles adversentur immunitati Clericorum, seu si sint in materia, in qua Clerici sunt à potestate sæculari exempti, talibus Clerici nec quoad vim directivam, nec quoad coactivam tenentur. Ratio est, quòd Clerici in tali materia nullo modo sint potestati sæculari subjecti: sic non tenetur Clericus ad excubias, ad servitia militaria, &c.

Quæ sit materia immunitatis Ecclesiasticæ, et quousque hìc observetur, vide breviter in Tract. "de Religione," Num. 196. et sequentibus.

IV. Religiosi exempti sic dicti, quòd in aliquibus exempti sunt à jurisdictione Episcoporum, et immediatè Sedi Apostolicæ subjecti, licèt non subjiciantur Episcopo in illis,

quæ pertinent ad regularem disciplinam, legibus tamen Episcopi obedire debent in illis, quæ spectant administrationem Sacramenti circa Laïcos, item in illis quæ pertinent ad prædicationem verbi Dei et publica officia exercenda extra monasterium. Vide Conc. Trid. Sess. 5. c. 2. "de "Reform." et Sess. 25. cap. 11 et 12. "de Regularibus."

Neque his legibus tantùm indirectè parere debent, sed etiam directè tenentur; quia de jure communi omnes Religiosi subjecti sunt Ordinario loci, nisi doceant exemptionem suam, dicente Conc. Chalcedonensi can. 4. "Eos, "qui per singulas civitates seu possessiones in Monasteriis "sunt, placet nobis Episcopo subjectos esse debere."

Casus, in quibus vel jure ordinario vel tanquam delegatus Sedis Apostolicæ agere potest Episcopus in regulares, refert Fagnanus in capitulum 19. Grave lib. 1. Decret. tit. 31. Van Espen in repagulo Canonico et in jure suo Ecclesiastico universo. Videri etiam potest Benedictus XIV. lib. 9. de Synodo Diœcesana c. 15.

N. 31. DE PEREGRINIS, ADVENIS ET VAGIS LEGI SUBJECTIS.

I. *Peregrinus.* II. *Advena.* III. *Vagus.* IV. *Lex localis.* V. *Lex personalis.* VI. *Peregrinus, &c. tenetur legibus personalibus ubique,* VII. *Item localibus loci in quo est.* VIII. *Non loci, à quo abest.* IX. *Nisi absit in fraudem.* X. *Vel transgressio in proprio territorio fieri censeatur.* XI. *Exceptio.*

I. PEREGRINI dicuntur illi, qui alibi habent domicilium, sed jam extra territorium suum versantur cum animo reddendi: sic incola Antuerpiensis vocatur peregrinus Mechliniæ, quando hìc moratur itineris vel negotiationis causâ.

II. Advena à pluribus cum peregrino confunditur: ab aliis tamen distinguitur à peregrino, et dicitur ille, qui in uno loco domicilium habet, et in alio hàbitat.

III. Vagus est, qui nullibi fixum domicilium habet, sed de loco in locum transit: quales sunt aliqui medicantes, item aliqui itinerantes, qui semper de loco in locum transeunt sinè ulla vera habitatione.

Applicanda hìc divisio legis in localem et personalem.

IV. Localis est, quæ obligat pro determinato loco, et eodem terminatur; qualis est pro Territorio Mechliniens lex celebrandi Festum S. Rumoldi in populo: tales quoqı

solent esse leges, quæ præscribunt particulares aliquas solemnitates in contractibus servandas, quæ vocantur consuetudines, seu leges loci.

V. Lex personalis vocatur, quæ directè dirigitur ad ipsas personas eisque adhæret, et quà obligantur, ubicumque locorum existant: talis est lex recitandi horas canonicas respectu Sacerdotis; tales etiam sunt omnes leges naturales amandi Deum, non fornicandi, &c.

His præmissis statuuntur regulæ sequentes:

VI. Prima: peregrini, advenæ et vagi obligantur legibus personalibus, ubicumque existant: ratio est, quia leges personales primariò respiciunt personas independenter à loco: et ita Beneficiatus S. Rumoldi Mechliniæ causâ ambulationis existens Antuerpiæ, debet ibi Horas Canonicas recitare juxta præscriptum Ecclesiæ Mechliniensis.

VII. Secunda: peregrini, advenæ et vagi obligantur legibus localibus istius loci in quo sunt, aut per quem transeunt, modò leges illæ statui illorum, conditioni ac mansioni conveniant: ratio est, quòd leges locales primariò respiciunt locum, et secundariò tantùm personas: sic civis Antuerpiensis, qui in Festo S. Rumoldi moratur Mechliniæ, tenetur ibi audire Missam et abstinere ab opere servili.

VIII. Tertia: peregrini, advenæ et vagi non tenentur regulariter legibus proprii territorii, à quo absunt, nisi absint in fraudem legis, aut nisi leges illas in proprio territorio transgredi censeantur.

Colligitur hæc regula ex cap. Ut Animarum "de Con-"stitutionibus" in 6. item ex S. Ambrosio, qui consultus à S. Augustino, an Mediolani liceret non jejunare Sabbato, respondit: cùm Romam venio, jejuno Sabbato: cùm Mediolani sum, non jejuno: sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, morem illius serva. Hinc commune proverbium:

"Cùm fueris Romæ, Romano vivito more."
"Cùm fueris alibi, vivito sicut ibi."

IX. Dictum est: "Nisi absint in fraudem legis:" quia tales manent lege obstricti juxta axioma: "Nemini fraus "sua debet patrocinari:" neque hodie fas est ab hac sententia recedere, ut ait Benedictus XIV. "de Synodo "Diœces."

X. Dictum est etiam: "Nisi leges illas in proprio "territorio transgredi censeantur;" quia, licèt persona sit extra territorium, modò tamen res, circa quam actio vel omissio versatur, sit intra territorium, censetur delictum in proprio territorio consummari; adeoque tunc tenetur

legibus territorii, et pœnis per illas statutis: sic Beneficiatus absens à Diœcesi, in qua beneficium habet, incurrit censuras in non residentes latas ab Episcopo beneficii. Idem dic de eo, qui existens extra territorium proprium occideret hominem in eo existentem, et sic de cæteris.

XI. Eximitur à præfatis regulis Sacerdos Latinus qui apud Græcos potest celebrare Missam ritu Latino, et è converso Græcus apud Latinos ritu Græcorum: imò S. Pius V. et novissimè Benedictus XIV. constitutione SUPER RITIBUS GRÆCORUM §. 6. prohibuerunt, ne Sacerdos Græcus Latino, aut Latinus Græco ritu uteretur.

N. 32. CONCLUSIONES PRACTICÆ EX PRÆFATIS REGULIS.

I. *De exeunte è loco, in quo est jejunium.* II. *Egrediens è loco, ubi est festum.* III. *Tenetur audire Missam.* IV. *Cùm obligationem contraxerit.* V. *De lege jejunii quadragesimalis.* VI. *Discessus in fraudem non liberat.* VII. *Quandonam fraus adesse censeatur.* VIII. *Missa non obligat ante Festum.* IX. *De matutino pridiè recitando.*

I. QUI manè egreditur loco, ubi obligat præceptum jejunii, ibidem non potest edere carnes, neque sumere jentaculum, nisi aliunde excusetur, v. g. ob longitudinem, aut molestiam futuri itineris: verùm ubi pervenit ad alium locum, in quo præceptum jejunii non obligat, licebit ei sumere plures refectiones et edere carnes; quia cùm lex jejunii sit localis, ab ea liberatur, simul ac egressus est terminis loci, in quo jejunium obligabat; nisi fortè in fraudem legis exivisset.

E contra qui egreditur loco, ubi præceptum jejunii non obligat, potest, antequam exit, ibidem licitè sumere plures refectiones, et edere carnes: sed quamprimùm venerit in locum, ubi jejunium obligat, tenetur illud servare, sicuti incola istius loci; quia veniendo in locum obligatur ejusdem legibus localibus.

Hinc conclude, quòd incola Antuerpiensis Sabbato veniens Mechliniam, possit hìc vesci jusculo carnis coctæ, item pinguedine stillatâ ex carnibus juxta consuetudinem loci, de qua vide N. 254. "de Temperantia." Sed incola Mechliniensis veniens in Diœcesim Antuerpiensem, illicitè istis vesceretur; quia esus illorum ibidem non est permissus.

Ad quid obligatur ille, qui manè circa horam septimam, octavam vel nonam discedit è loco ubi festum est, ad alium locum, in quo dies Festus non est, v. g. qui in Festo S. Rumoldi horâ octava hinc discedit Antuerpiam, ubi non est Festum ?

II. R. Ille non potest in Territorio Mechliniensi facere opera servilia: poterit tamen illa exercere in Diœçesi Antuerpiensi, modo non discesserit in fraudem legis.

III. Tenetur illo die audire Missam, æquè ac ille, qui prævidet se horâ octavâ impediendum, v. g. ob superventuram febrim. Ratio est, quòd manserit tempore satis notabili et satis accommodato ad audiendam Missam in loco, in quo erat obligatio Missam audiendi: ergo contraxit obligationem istius legis localis.

Probatur etiam ex praxi timoratorum, quæ sic recipit istam legem, et proinde sic recipienda est. Ita docent Suarez, Boudart, Steyaert, Danes, Antoine, Collet, &c. contra multos Casuistas.

Obj. I. Ille non debet sanctificare Diem Festum abstinendo ab operibus servilibus totâ die: ergo nec audiendo integram Missam, cùm ante meridiem discedat.

R. Neg. conseq. disparitas est, quòd tempus et opera servilia sint divisibilia: ast auditio Missæ est actus indivisibilis in ordine ad præceptum.

Obj. II. Ille non tenetur audire Missam ante horam octavam, quæ est hora discessûs; sed expectare potest usque ad decimam vel undecimam: atqui horâ decimâ erit in Diœcesi Antuerpiensi, in qua non est festum, et proinde nec obligatio audiendi Missam: ergo ille non tenetur illo die audire Missam.

Probatur: eo ipso quo venit in Diœcesim Antuerpiensem, liberatur à legibus localibus territorii Mechliniensis: ergo, &c.

IV. R. Dist. anteced. ille non tenetur audire Missam ante horam octavam, supposito, quòd post octavam eam velit et possit audire, conc. antec. si post octavam non velit aut non possit, nego antec. licèt enim in præcepto determinata non sit hora octava, debet tamen audire Missam aliquo tempore, octavâ horâ vel aliâ: sic nec determinatur dies pro obligatione Communionis Paschalis, tenemur tamen uno ex quindecim diebus communicare, et quidem primo die si aliis non velimus, aut nos non posse prævideamus.

Ad probationem respondetur: hoc tantùm verum esse, ...m ante discessum obligationem non contraxit; secus, si ... contraxerit, prout contraxisse probavimus; obligatio

enim jam contracta fit personalis, adeoque personæ adhæret et perseverat, quamdiu illi non satisfecerit.

An ille in casu posito satisfacit audiendo Missam Antuerpiæ?

R. Affirmativè; quia ponit actum præceptum, et idem cultus Deo defertur.

Eadem de causa qui Sacro interfuit in loco suæ habitationis, ubi festum non est, non tenetur aliud audire, dum venit ad Parochiam, in qua festum celebratur, v. g. Patroni.

Quid, si quis summo manè horâ quartâ vel quintâ antequam celebrentur Missæ, sine fraude discedat ex loco, in quo pernoctavit: an talis, si ibi sit festum, obligatur ad Missam?

R. Multi negant, eo quòd mora temporis, quo fuit in isto loco, ubi festum est, non videatur proportionata executioni præcepti.

Sylvius, Collet, &c. meliùs distinguunt: si sit incola loci, in quo Festum est, juxta ipsos tenetur audire Sacrum: secus si sit peregrinus aut vagus; quia, inquiunt, communi hominum æstimatione ad plus tenetur incola, quam viator.

Antoine, Concina et Billuart tam viatorem quàm incolam ad audiendam Missam adstringunt, volentes, quòd ita habeat communis fidelium apprehensio.

An tenetur ad Missam peregrinus, qui non pernoctavit in loco, ubi est festum, sed tantùm eo manè advenit v. g. ad Encœnia, Nundinas, &c.?

R. Si moretur ibi tempore satis notabili et accommodato v. g. ab hora nona ad duodecimam, tenetur ad Missam, si post nonam Missæ celebrentur: non tenebitur verò, si tantùm eo adveniat circa duodecimam, quo tamen casu ab operibus servilibus vacare debebit.

Similiter non tenetur audire Missam, si in loco, ubi est Festum, non maneat satis notabili tempore, v. g. tendens Bruxellis Antuerpiam, tantùm transit per Mechliniam in Festo S. Rumoldi, vel brevem tantùm ibi moram trahit, v. g. ut equo pabulum præbeat, vel ut sumat jentaculum.

An teneatur audire Missam, si in toto illo Territorio, in quo usque ad meridiem itineraturus est, sit Festum, non conveniunt Authores: Antoine et Concina affirmant: negat Collet; quia non moratur, sed tantùm transit.

Quomodo Lex. Trid. irrita faciens matrimonia clandestina, sit localis et personalis simul pro incolis loci, in quo lex illa obligat, dictum est in Tractatu "de Matrimonio."

An qui in Belgio absolvit jejunium quadragesimale, et venit in Angliam (ubi ob veterem, quem sequuntur stylum, quadragesima nondum finita est) tenetur denuo jejunare? similiter an denuo tenetur ad Communionem Paschalem?

V. R. Daelman et Danes negant quoad utrumque, seposito scandalo; quia istæ leges juxta ipsos potiùs sunt personales, quàm locales; cùm sint leges communes pro tota Ecclesia.

Quantùm tamen ad jejunium quadragesimale, Henno, Billuart et Collet volunt, quòd talis in Anglia denuo jejunare teneretur; quia fit subditus loci, et sicuti si ex Anglia in Belgium veniens posset sentire commodum, ita æquum est, ut jam sentiat incommodum. Verùm juxta principia prioris sententiæ, ex Anglia in Belgium veniens inde non sentiret commodum, etiamsi hìc quadragesima jam finita esset, sed talis deberet hìc quadragesimam suam implere. Quidquid sit, posteriori sententiæ sensus fidelium magis favere videtur.

VI. Dictum est supra, et sæpius subintellectum: "Nisi "in fraudem legis discesserit." Quæritur nunc quomodo cum eo consistat, quod habet regula quinquagesima-quinta digestorum, De regulis juris: "Nullus videtur dolo "facere, qui jure suo utitur:" Incola enim habet jus discedendi è loco: ergo non discedit in fraudem.

R. Non habet jus, ut in fraudem legis discedat, sive ad evitandam legis obligationem; nemini enim liberum est, cùm manet incola alicujus loci, leges istius loci sine justa causa subterfugere; idque specialiter verum esse pro legibus Ecclesiasticis, ex fidelium sensu et ordinariorum praxi satis constat, utì tradit Boudart ex Layman.

Quandonam quis in fraudem legis discedere censetur?

VII. R. Quando discedit è loco absque ulla justa causa, eo præcisè animo, ut in alio loco, ubi illa lex non est, ab ea liberetur. Hoc saltem obtinet, ut dictum est, quando sic aliquis agit respectu legum Ecclesiasticarum, quæ ad bonum spirituale ordinantur.

Hinc si incola Mechliniensis in Festo S. Rumoldi exiret territorio Mechliniensi, merè ideo, ut posset serviliter laborare, censendus esset agere in fraudem legis.

Non videtur tamen requiri causa urgens, ut notat Steyaertius, ad hoc, ut liceat discedere; sed sufficit, ut quis faciat, quod aliàs honesto fine fuisset facturus: atque hinc dicit Pauwels contra Van Roy, si quis quotidie extra Parochiam suam laborare soleat, eum etiam id posse illo die,

quo Festum in sua Parochia celebratur. Missam tamen audire debet.

Similiter juxta Steyaert causa urgens non requiritur, ut quis proficiscatur ad locum, ubi futuris diebus non erit Festum vel jejunium, vel etiam ubi Festo vel Dominicâ sequenti non erit facultas audiendi Sacrum, v. g. si navi proficiscatur in Hollandiam.

An ille, qui justa de causa proficiscitur in Hollandiam, ubi Dominicâ proximâ non poterit audire Missam, non debet prævenire tempus obligationis, audiendo v. g. Missam die antequam discedat?

VIII. R. Negativè, quia per Missam diei præcedentis non potest satisfacere obligationi alterius diei, cùm nondum currat tempus Festi seu obligationis.

An ille, qui prævidet futurum, ut die sequenti ob febrim vel aliud impedimentum non possit legere Horas, tenetur pridie recitare Matutinum cum Laudibus?

IX. R. Quamvis pridie non currat tempus obligationis, equidem, cum ex privilegio tunc satisfacere possit, longè tutius est, pridie satisfacere: qui enim ad munus aliquod tenetur, illud præstare debet, cùm potest. Accedit, inquiunt Henricus à S. Ignatio et Collet, timoratorum sensus et usus.

QUÆSTIO V.

N. 33. DE OBLIGATIONE LEGUM.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4.

I. *Leges humanæ obligant in conscientia.* II. *Etiam leges hæreticorum.*

AN leges humanæ imponunt necessitatem in foro conscientiæ, seu, quod idem est, an obligant in conscientia?

I. R. Leges humanæ justæ obligant subditos in conscientia, ita ut coram Deo peccent eas transgrediendo. Responsio est de fide juxta Sylvium.

Probatur ex Apost. ad Rom. cap. 13. V. 5. "Necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam:" item ex 1. Petri cap. 2. V. 13. "Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum." Vide Num. 17.

Undenam lex humana haurit illam vim obligandi in conscientia?

R. Ex lege æterna et divina, quæ dictant obediendum esse legibus justis.

Inferes: ergo vis obligandi oritur ex sola lege divina, non ex humana.

R. Neg. sequelam: nam vis obligandi in conscientia remotè quidem oritur ex lege æterna et divina, tanquam ex causa prima: sed verè etiam oritur ex lege humana, tanquam à causa particulari et proxima.

Obj. I. Judex inferior non potest inducere obligationem in foro judicis superioris: ergo potestas humana non potest obligare in conscientia.

R. Verum quidem est, judicem inferiorem non posse inducere obligationem in foro Judicis superioris, præter aut contra voluntatem superioris: ast nihil impedit, quominùs eam inducat secundùm voluntatem superioris et ordinem ab eo constitutum: jam autem, hic est ordo à Deo constitutus, ut qui legi resistit, Dei ordinationi resistat, sibique damnationem acquirat. Ad Rom. cap. 13. V. 2.

An leges hæreticorum, qui putant se non posse obligare in conscientia, obligant in conscientia?

II. ℟. Affirmativè, modò leges sint justæ: ràtio est, quia obligatio sequitur naturali connexione eo ipso, quo condunt veras leges. Atqui hæretici illi intendunt condere veras leges, et efficaciter, quantùm possunt, præcipere: ergo, &c.

Probatur insuper ex locis Sacræ Scripturæ supra adductis, in quibus præcipitur obedientia propter conscientiam legibus Principum etiam Ethnicorum, qui de oneranda subditorum conscientia non curabant.

Obj. II. Hæretici non volunt obligare in conscientia: ergo non obligant.

R. Dist. antecedens: non volunt obligare in conscientia ex errore vincibili et inefficaciter, conc. ant. non volunt implicitè et efficaciter, nego antec. volunt enim causam, ergo etiam effectum volunt: deinde licèt leges illæ non obligarent ex intentione Legislatoris, obligarent tamen ex intentione Dei præcipientis custodiri leges justas.

Obj. III. Obligatio in materia legis positivæ dependet à voluntate Legislatoris: ergo si nolit legem obligare in conscientia, non obligabit.

R. Distinguendo antecedens: obligatio pendet à voluntate Legislatoris, quatenùs potest condere vel non condere legem, conc. antec. quatenùs, si condat veram legem, potest non obligare, nego antecedens.

N. 34. DE OBLIGATIONE LEGIS INJUSTÆ.

S. Thom. quæst. 96. *art.* 4.

I. *Lex injusta quadrupliciter.* II. *Injusta ex parte materiæ nunquam servari potest.* III. *Aliæ quandoque servandæ.* IV. *Si plura præcepta concurrant, obediendum magis urgenti.*

I. Lex dicitur injusta quatuor modis, secundùm quatuor causarum genera:

1°. Ex parte causæ finalis, si non ordinetur ad bonum commune:

2°. Ex parte formæ, dum non observatur justitia distributiva, ob inæqualem onerum distributionem:

3°. Ex parte causæ efficientis, quando ille, qui legem fert, non habet potestatem, aut potestatem suam excedit:

4°. Ex parte materiæ, cùm materia præcepta est illicita, v. g. adoratio idoli.

An lex injusta obligat?

II. R. Si lex sit injusta ex parte materiæ, nunquam licet ei obedire juxta illud Act. cap. 5. V. 29. "Obedire oportet "Deo magis, quàm hominibus."

Si autem subditus dubitet, utrùm lex aut præceptum sit de materia illicita, regulariter tenetur obedire superiori instanter præcipienti juxta dicta Num. 194. "de Consci-"entia."

III. Aliæ leges injustæ, quamvis per se non obligent in conscientia, per accidens tamen aliquando sunt observandæ ad vitandum scandalum aut perturbationem; ob hæc enim homo quandoque juri suo cedere debet juxta illud Christi Matth. cap. 5. V. 40. "Qui vult...tunicam tuam tollere, "dimitte ei et pallium." Ita S. Th. in "Corp." hîc.

Obj. Lex injusta non est vera lex: ergo non obligat nequidem per accidens.

R. Conc. totum: nam ipsa lex injusta non obligat, sed alia lex nempe charitatis, quæ jubet vitare scandalum, perturbationem, &c. hinc dictum est, non quòd leges istæ, injustæ per accidens obligent, sed quòd per accidens aliquando observandæ.

IV. In concursu duorum præceptorum, quæ simul servari non possunt, obediendum est præcepto magis obliganti, quia hoc est tutius.

Ut cognoscatur præceptum magis obligans, consideranda et conferri debent utriusque præcepti finis et materia, urgens necessitas, legis immutabilitas, Legislatoris rationabilis voluntas, &c. ita obligatio legis naturalis prævalet obligationi legis positivæ; necessitas Baptismi necessitati aliorum Sacramentorum.

An obligant leges tyranni sive usurpatoris, qui alienum regnum injustè seu sine vero titulo occupat?

R. Distinguendo: si regnum nondum pacificè possideat, leges ejus non obligant, defectu legitimæ potestatis: si verò regnum jam pacificè possideat, ejus leges aliunde justæ obligant in conscientia; quia licèt non jure, facto tamen seu administratione est superior.

N. 35. DE OBLIGATIONE LEGIS FUNDATÆ IN FALSA PRÆSUMPTIONE.

I. *Lex præsumens in quovis casu non ligat semper;* II. *Sed præsumens in communi ligat semper.*

AN lex fundata in falsa præsumptione, obligat in conscientia?

I. R. 1°. Si lex lata sit sub hac ratione, quòd præsumat aliquid in quovis casu singulari, tum lex per se non obligat in illo casu singulari, in quo præsumptio certò noscitur esse falsa: sic si detur alicui præceptum vel sententia, ut reddat debitum comparti, non obligatur in conscientia, imò non potest debitum reddere, si certò sciat matrimonium suum esse invalidum; quia sententia illa innititur falsæ præsumptioni, hoc matrimonium in particulari esse validum.

Neesen et Engel similem esse legem existimant, qua cogitur hæres ad solvenda debita supra vires hæreditatis, dum adiit hæreditatem non confecto hæreditatis inventario.

Generatim dum lex fertur ex præsumptione alicujus, si lex aberret toto genere, non obligat, sed cessat, cessante fine legis totali.

II. 2°. Si lex sit lata ex hac ratione, quòd præsumat aliquid frequenter aut aliquàndo accidere, vel saltem periculum esse, ne subinde accidat, ac ideo generaliter lata sit, supposità veritate istius præsumptionis, lex obligabit etiam directè in illis casibus singularibus, in quibus præsumptio falsa est; nam Legislator ad tollendos abusus, justè lege sua tollit omnem usum tanquam medium aptum ad obtinendum finem intentum: hinc lex Tridentini irrita reddens matrimonia clandestina, obligat etiam in illis casibus, in quibus

essant incommoda, ob quæ lex illa lata est. Pariter lex rritam faciens professionem solemnem ante annum 16 obigat, quantumcumque sit doli capax profitens ante illam ætatem: talis quoque est lex prohibens Clericis ingressum abernæ: imò tales sunt pleræque leges.

De his legibus intelligitur hoc commune dictum: "Cessante fine legis negativè sive in particulari, non ideo cessat lex."

Quomodo intelligitur hoc dictum: idem est judicium in oro poli, id est, conscientiæ, et in foro fori, id est, in judiio fori externi?

R. Illud verum est in illis casibus, quibus forum externum non nititur præsumptione falsâ; ubi dum innititur, diersum potest esse judicium.

. 36. DE OBLIGATIONE LEGIS IRRITANTIS.

Lex irritans. II. *Undenam dignoscatur.* III. *Quomodo differat à prohibente tantùm.* IV. *Irritatio fieri potest duobus modis.* V. *Non cessat ob quodvis periculum.* VI. *Exceptio.* VII. *Possunt cessare quatenùs prohibentes.*

QUÆNAM lex dicitur vulgò irritans, id est irritum aciens?

I. R. Illa, quæ actum, quem prohibet, simul reddit invalidum, seu sinè effectu: ita lex naturæ prohibens matrimonium inter matrem et filium est lex "Irritans:" item lex positiva Ecclesiæ prohibens matrimonium inter consanguineos quarti gradûs lineæ collateralis; quia efficit, ut matrimonium inter illos sit invalidum: et generatim tales leges sunt, quæ statuunt impedimenta derimentia matrimonium, et quæ irrita reddunt testamenta aliosve contractus, si quædam solemnitas aut conditio servata non fuerit.

Undenam dignoscitur, legem aliquam esse irritantem?

II. R. Ex eo, quòd utatur his aut similibus verbis: "Irritamus, nullius valoris esse decernimus, irritum declaramus, &c." pariter si lex certam aliquam formam præscribat necessariò in contractu servandam. Tandem cognoscitur ex usu et consuetudine observata.

III. Lex "irritans" differt à lege prohibente tantùm; quia hæc reddit quidem actum, quem prohibet, illicitum, sed non invalidum: hinc capitulo AD APOSTOLICAM "de Regularibus" dicitur: "Multa fieri prohibentur quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem:" et ita lex

vetans matrimonium tempore adventùs, est prohibens tantùm: tales etiam sunt plures leges naturæ; sic res uni promissa, illicitè, sed tamen validè traditur alteri.

Obj. Jus naturæ non repugnat sibi ipsi: atqui repugnaret sibi ipsi, si actum, quem prohibet, approbaret esse validum: ergo omnis lex prohibens est simul "irritans."

R. Neg. minorem: quia lex naturæ id non facit sub eadem ratione; nam prohibet actum, quatenùs est contra legem superioris prohibentem: approbat verò actum ut validum, quatenùs non est contra aliquam legem "irritan-"tem."

Quomodo potest lex positiva irritum, seu invalidum reddere illud, quod secundùm jus naturæ est validum?

IV. R. Illa, quæ sunt de jure naturæ præcipiente vel prohibente, non potest Legislator humanus irrita facere; sed, cûm sint plurima de jure naturæ permittente tantùm, hæc potest lex positiva ob certas rationes reddere irrita, tum præscribendo actibus quasdam formulas, defectu quarum erunt irriti, ut fit in testamentis, et in contractibus minorennium; tum etiam inhabiles reddendo personas ad agendum vel contrahendum, ut facit. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. "De Reformatione Matrimonii," ubi inhabiles reddit clandestinè matrimonium contrahere volentes.

V. Notandum, speciale esse pro legibus irritantibus, quæ immediatè latæ sunt propter bonum commune, nempe illas, quatenùs tales, non cessare ob ignorantiam invincibilem, aut quodcumque periculum damni, infamiæ, mortis, alteriusve mali; ita ut actus factus, v. g. metu mortis contra legem irritantem adhuc sit invalidus, tum quia id exigit commune bonum majus, tum ne malitiosi per timorem inutiles reddant omnes leges "irritantes."

VI. Dictum est: "Quæ immediatè latæ sunt propter "bonum commune;" quia si "irritatio" tantum facta sit in vindictam culpæ, tum causa, quæ excusat à culpa, etiam impedit "irritationem;" ita si quis Beneficiatus, ex oblivione inculpabili omittat, v. g. Vesperas et Completorium, facit fructus suos, licèt detur lex "irritans" fructuum acquisitionem ab iis factam, qui officium omittunt. Ita Suarez.

VII. Notandum tamen leges "irritantes" aliquando cessare, quatenùs sunt simul prohibentes, ob periculum mortis aut alterius gravis mali: unde si quis, v. g. metu mortis attentet contractum contra legem "irritantem," contractus quidem erit invalidus, ipse tamen non peccabit, nisi contractus esset jure naturæ prohibitus, vel cederet in contemptum Religionis, scandalum proximi, &c. Vide quæ diximus Num. 86. "de Matrimonio."

N. 37. DE OBLIGATIONE LEGIS AFFIRMATIVÆ ET NEGATIVÆ.

I. *Leges affirmativa et negativa* II. *Semper obligat.* III. *Affirmativa non ad semper.* IV. *Negativa non semper.*

QRÆNAM lex dicitur affirmativa, quæ negativa?

I. R. Affirmativa est, quæ præcipit actum positivum, v. g. auditionem Missæ: negativa, quæ prohibet actum, v. g. "Non furtum facies." Vide Numerum 11.

Quomodo obligat lex affirmativa, quomodo negativa?

R. Commune Scholasticorum responsum est hoc: leges affirmativæ obligant semper, sed non ad semper: negativæ obligant semper et ad semper.

Explica terminos.

II. R. Lex dicitur obligare "semper;" quia nullo unquam tempore licet aliquid agere, quo lex directè redderetur inefficax pro illo tempore, quo est implènda: sic lex recitandi Horas Canonicas obligat Sacerdotem, ne abjiciat Breviarium; præceptum restitutionis obligat, ne pecuniæ dilapidentur; præceptum audiendi Missam, ne quis voluntariè se ægrotum faciat, ut ita Missam non audiat.

III. Lex affirmativa dicitur obligare semper, sed "non "ad semper;" quia per se loquendo non præcipit, ut actus omni tempore et omni momento ponatur, sed solùm ut tempore determinatio ponatur: sic Horæ Canonicæ non debent recitari per diem integrum, sed statutis temporibus.

Potest tamen lex affirmativa quodam respectu dici obligare ad semper, inquantùm nempe includit negativam, vel si respiciat universalitatem actionum, sive si actus virtutis virtualiter perseverare debeat: sic charitas Dei debet semper durare actu vel virtute hic in terris.

IV. Lex negativa dicitur obligare "ad semper;" quia per se nullum est momentum, quo liceat actum prohibitum ponere: ita nullo unquam tempore licet furari, &c.

N. 38. DE OBLIGATIONE LEGIS MORALIS, PŒNALIS ET MIXTÆ.

I. *Lex moralis,* II. *Pœnalis,* III. *Et mixta.* IV. *C pulativè mixta obligat ad utrumque.* V. *Error vu* VI. *Disjunctiva ad alterutrum.* VII. *An detur purè pœnalis.*

QUÆNAM lex dicitur moralis?

I. R. Illa, in qua directè exprimitur directio morum, non pœna: ut hæ: "Deum adora, Non concupisces," &c.

II. Pœnalis est, quâ directè exprimitur pro transgressoribus pœna, non directio morum: talis est hæc Exodi cap. 21. V. 17. "Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte "moriatur."

III. Lex mixta est, quâ directio morum exprimitur et simul pœna: hæc subdivitur in mixtam copulativè et mixtam disjunctivè.

Mixta copulativè est illa, quâ directio morum et pœna exprimuntur copulativè, ut hæc Genesis cap. 2. v. 17. "De "ligno scientiæ boni et mali ne comedas: in quocumque "enim die comederis ex eo, morte morieris."

Disjunctivè mixta est illa, in qua directio morum et pœna exprimuntur disjunctivè: talis est lex, quæ dicit in quadragesima abstinendum esse à lacticiniis, vel dandum assem aut orandum.

An leges pœnales obligant in conscientia?

IV. R. Lex pœnalis copulativè mixta obligat ad utrumque, id est, et ad actum moralem et ad pœnam hoc sensu, quòd primò tanquam lex moralis obliget ad actum legis ponendum: si autem omittas, peccas, et insuper obligaris sustinere pœnas: hoc modo obligant leges de solvendis tributis, et plures aliæ, tam civiles quàm Ecclesiasticæ.

V. Hinc refutandus est perniciosus error vulgi opinantis leges illas non obligare in conscientia, eò quòd pœna eis adjuncta est; cùm tamen legislator pœnam annectere soleat, in signum se velle inducere obligationem severam.

Error iste refutari potest hoc simili: furto annexa est pœna patibuli, et tamen fur peccat furando: ergo, &c.

An ergo agentes contra leges istas non satisfaciunt, si parati sint solvere pœnam vel mulctam deprehensi?

R. Negativè; quando scilicet sunt leges mixtæ copulativè; quia illæ obligant ad utrumque.

VI. Lex disjunctivè mixta obligat ad alterutrum in lege præscriptum, nempe ut vel actus ponatur, vel mulcta solvatur; quia ad veritatem disjunctivæ affirmativæ sufficit, ut una pars verificetur. Similes leges occurrunt in statutis confraternitatum.

An lex purè pœnalis obligat in conscientia?

VII. R. Cum Steyaertio, si per legem purè pœnalem intelligas illam, in quia sola pœna quidem exprimitur, sic tamen ut implicitè aliquid præcipiat vel prohibeat: tunc in conscientia obligat, quia est vera lex, et potest quoad sen-

sum resolvi in mixtam copulativè vel disjunctivè; ita hæc lex: "Qui maledixerit patri, &c. morte moriatur," resolvitur in mixtam copulativè, quia implicite prohibet, ne quis maledicat patri, &c.

Si verò per legem purè pœnalem intelligas constitutionem, quæ nullam inducit obligationem in conscientia, nequidem disjunctivè, qualia statuta S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. admittit in ordine Prædicatorum, et qualia etiam habentur in confraternitatibus, ubi pia quædam et utilia practitantur; ne tamen conscientiis novum onus injiciatur, pia illa exercitia tantùm proponuntur, non præcipiuntur, et tantùm decernitur aliqua compensatio in non observantes: conceditur, tales leges non obligare in conscientia: verùm videtur simul dicendum, eas non esse veras leges, et pœnam appositam non esse pœnam propriè dictam, sed quandam operis omissi compensationem, ut sic quantùm ad pia exercitia non videantur minùs fecisse, quàm alii, qui illa statuta observarunt.

N. 39. DE OBLIGATIONE AD PŒNAM LEGIS.

I. *Pœna sententiæ latæ,* II. *Sententiæ ferendæ,* III. *Qualis sit, dignoscitur ex verbis legis.* IV. *In dubiis censetur pœna sententiæ ferendæ.* V. *Pœna sententiæ ferendæ non statim subeunda.* VI. *Si sententiæ latæ, prærequiritur aliquando sententia declaratoria.* VII. *Aliquando non.* VIII. *Differentia inter sententiam condemnatoriam et declaratoriam.*

DUPLICITER in legibus pœna decernitur, scilicet vel per modum "sententiæ latæ," vel per modum "sententiæ "ferendæ."

I. Pœna dicitur "sententiæ latæ," quæ incurritur eo ipso, quo transgressio legis vel peccatum committitur, absque omni ulteriori sententiâ: talis est excommunicatio annexa hæresi externæ.

II. Pœna "sententiæ ferendæ" est, quæ non sic ipso facto incurritur, sed statuitur infligenda per sententiam Judicis postea ferendam: talis est pœna patibuli respectu furti.

Undenam dignosces, utrùm pœna sit sententiæ latæ, an ferendæ?

III. R. Ex verbis legis: atque ita censetur pœna sententiæ latæ, si lex utitur verbis indicativi modi, præsentis vel præteriti temporis, v. g. "excommunicamus, sciat se "esse excommunicatum, &c."

Pariter si dicatur in lege: "ipso jure, ipso facto, ex "tunc;" item dum Legislator sibi aut legi vim talis pœnæ attribuit, ut si dicat: "Authoritate nostrâ, vel virtute "præsentium sit excommunicatus."

Si autem lex utatur verbis futuri temporis, vel tantùm comminatoriis, aut verbis modi imperativi, judicatur pœna esse sententiæ ferendæ, v. g. si dicatur: "Excom-"municabitur, sub pœna excommunicationis, excommuni-"cetur, &c."

IV. Si dubium sit, an pœna sit sententiæ latæ, an ferendæ, censetur tantùm esse ferendæ, juxta Reg. 49. juris in 6. "in pœnis benignior est interpretatio facienda," item, juxta legem 56. de Regulis Juris Civilis: "Semper in du-"biis benigniora sunt præferenda."

An ille, qui deliquit contra legem pœnalem, tenetur statim pœnam subire ante sententiam Judicis?

V. R. Distinguendo: Si pœna sit tantùm sententiæ ferendæ, non tenetur eam subire, donec per sententiam Judicis ad ipsam fuerit condemnatus: ratio est, quòd in hoc casu lex pœnam non infligat, sed tantùm decernat infligendam per sententiam Judicis: ita si quis committat crimen, cui annexa est bonorum privatio sententiæ ferendæ, bonis non privabitur, nisi per sententiam condemnatoriam: imò licitum ipsi est sententiam ferendam avertere et subterfugere.

Si pœna sit sententiæ latæ, non requiritur nova sententia condemnatoria: quæritur tamen, an tunc ulteriùs non requiratur sententia declaratoria?

VI. R. 1°. Si pœnæ sint tales, ut in executione requirant actionem ipsius rei seu delinquentis, qualis est, v. g. traditio bonorum suorum in manus fisci, talem pœnam regulariter reus subire non tenetur ante sententiam Judicis declaratoriam.

Ratio est, quòd lex debeat esse moraliter possibilis, et naturæ humanæ accommodata: jam autem nimis durum et inhumanum foret, si quis bonis suis antea legitimè acquisitis teneretur seipsum spoliare. Idem dicendum de privatione officii, beneficii, &c.

VII. 2° Si pœna sententiæ latæ nullam transgressoris actionem postulet, sed tantùm consistat in aliqua privatione juris, privilegii aut commodi, tunc illa pœna sententiæ latæ habet suum effectum absque ulteriori sententia declaratoria. Ratio est, quod Legislator possit ipso facto infligere pœnas:

ergo ubi hoc in lege sua declarat, reus pœnas privativas subire tenetur; cùm hoc non adeo naturali inclinationi repugnet.

Hoc certum est apud omnes pro pœnis Ecclesiasticis sententiæ latæ; quales sunt excommunicatio, suspensio, irregularitas, &c. hinc qui patravit crimen, cui annexa est excommunicatio sententiæ latæ, verè in foro interno excommunicatus est ante sententiam declaratoriam, quæ si detur, etiam ut talis in foro externo vitari debet.

Excipitur irregularitas orta ex infamia; quia nemo censendus est jure infamis nisi post sententiam declaratoriam, ait Concina.

Quænam est differentia inter sententiam Judicis condemnatoriam et declaratoriam?

VIII. Hæc, quòd sententia condemnatoria cadat super ipsam pœnam; et hinc pœna debetur à die sententiæ: sententia verò declaratoria non cadit super pœnam, sed solùm super crimen commissum, declarans, quòd quis revera tale crimen commiserit, ac adeo pœnam illi appositam contraxerit, unde post sententiam declaratoriam pœna retrotrahitur ad tempus commissi criminis, et alienationes ab illo tempore factæ rescinduntur.

N. 40. DE QUALITATE OBLIGATIONIS LEGUM.

I. *Talis actus, quale motivum formale legis.*

QUALIS seu cujus virtutis aut speciei est actus legis?

I. R. Est istius virtutis, ex cujus motivo formali lex lata est, non autem semper istius speciei aut virtutis, ad quam materia actûs spectat; nam virtutes et actus virtutum ex objecto seu motivo formali discerni debent.

Sic observatio jejunii quadragesimalis est actus virtutis abstinentiæ, et observatio jejunii naturalis ante Sacram Communionem est actus virtutis Religionis: similiter cessatio ab opere servili die Festo, est actus Religionis. Ratio omnium est, quia ex talium virtutum motivo formali Ecclesia ista præcipit.

Quòd autem legislativa potestas possit præcipere ex motivo formali cujuscumque virtutis, ex eo probatur; quia aliter finem suum, qui est bonum temporale vel spirituale subditorum, assequi non posset; non datur enim alicujus virtutis actus, quin aliquando ad finem potestatis legislativæ sit necessarius, aut saltem conducat plurimùm.

Hinc patet cujus speciei peccatum committat, qui legem aliquam transgreditur, nimirum peccat contra illam virtutem, ex cujus motivo formali lex aut præceptum fertur: sic laborans serviliter die Festo, vel non jejunus communicans, nisi in casibus exceptis, peccat contra virtutem Religionis.

An ille laborans serviliter die Festo non peccat contra obedientiam Ecclesiæ præcipienti debitam?

R. Non peccat peccato speciali contra virtutem obedientiæ; quia Ecclesia non tulit istam legem ex motivo formali virtutis obedientiæ; nam Ecclesia per illam legem non directè intendit in subditis bonum obedientiæ, sed cultum Religionis.

Agit quidem ille contra obedientiam generalem; verùm illa in particulari præcepto determinatur ad præceptam virtutem, et ita ille non committit duo peccata specie distincta, sed unicum contra Religionem.

Peccaret autem speciali peccato contra obedientiam, si lex ex motivo formali obedientiæ lata esset; sed talem de facto nullam esse legem Ecclesiæ, opinatur Oviedo.

In præceptis tamen privatorum illud sæpe contingit, v. g. si Pater prohibeat filiæ, ne domo exeat, et non indicet ullum motivum formale alterius virtutis, neque aliam rationem, quàm superioritatis, nempe, quia sic vult: observatio talis præcepti erit actus solius virtutis obedientiæ, et prævaricatio erit peccatum contra obedientiam tantùm.

Si autem Pater declaret, se illud præcipere ex motivo formali obedientiæ, et simul ex motivo formali castitatis, cujus violandæ periculum subesse posset sic exeundo, tali casu observatio ponitur in duplici virtute, et sunt virtualiter duo præcepta, unde filia exeundo peccabit contra obedientiam et contra castitatem; quia, illud præceptum facit, materiam præceptam etiam spectare ad virtutem castitatis, tanquam medium aptum ad eam conservandam.

Hinc nota, quòd aliqui actus per se et ex objecto opponantur alicui virtuti, ut ebrietas temperantiæ: alii opponantur per accidens tantùm ratione legis vel præcepti, sicut esus carnium die jejunii eidem virtuti temperantiæ opponitur: et ita etiam exitus ille in casu prædicto est contra virtutem castitatis per accidens: ratione scilicet præcepti, licèt fortè filia nullum actum venereum commisisset.

Ex dictis collige, Confessarium circa præcepta particularia gravia meritò interrogare, quare vel ad quem finem superior præceperit aut prohibuerit, ut sic cognoscatur motivum formale præcepti, et species peccati.

Pari modo judicabis, si superior jubeat recitari Litanias Lauretanas ex formali motivo religionis et simul ex formali motivo virtutis pœnitentiæ, scilicet præceptum illud esse virtualiter duplex, et proinde observationem actûs esse duplicis virtutis, omissionem verò duplex specie peccatum.

Si verò idem juberet ex solo formali motivo pœnitentiæ, erit unicum præceptum et omissio tantùm unum peccatum contra virtutem pœnitentiæ.

Neque obstat, quòd recitatio Litaniarum debeat esse actus religionis, ut satisfiat præcepto ex motivo formali pœnitentiæ lato; adeoque videatur præceptum esse virtualiter duplex, et omissio duplex peccatum: respondetur enim, quòd, cùm recitatio ex motivo religionis non præcipiatur, actus, quatenùs est religionis, se habeat ad præceptum merè materialiter, ut purum medium ordinabile ad pœnitentiam.

Finaliter observa, actum observationis legis aut præcepti, ex intentione operantis posse habere honestatem variarum virtutum: sic servans legem jejunii potest intendere honestatem virtutis obedientiæ, pœnitentiæ, &c.

E converso potest quis in prævaricatione legis intendere plures malitias.

N. 41. DE QUANTITATE OBLIGATIONIS LEGIS.

I. *Obligatio tanta, quanta materia,* II. *Præsertim in lege æterna et naturali.* III. *An lex humana possit in materia gravi obligare sub levi.* IV. *Debet constare de obligatione levi.* V. *Promissio rei gravis potest obligare sub levi.* VI. *Idem est in voto non solemni.* VII. *Non tamen in juramento.*

QUANTA est legis obligatio?

I. R. Per se loquendo leges in materia gravi obligant sub gravi, et in materia levi sub levi peccato.

II. Hæc responsio semper subsistit in lege æterna et naturali respectu materiæ propriæ istarum legum.

An aliud sit de lege positiva, nunc inquirimus.

Atque in primis certum est, Legislatorem humanum in materia gravi posse obligare sub mortali, dicente Apost. ad Rom. cap. 13. V. 2. "Qui resistit potestati, Dei ordinationi "resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:" accedit praxis et apprehensio communis, v. g. circa Missam die festo, horas canonicas, jejunium, &c.

III. An Legislator humanus in materia gravi possit obligare sub levi, controvertitur: Sylvius et Van Roy negant: Suarez, Neesen, Steyaert, Daelman aliique probabiliùs affirmant.

Probatur 1°. potest Legislator materiæ gravi nullam apponere obligationem: cùm liberum ipsi sit, in illa materia legem ferre vel non ferre: ergo videtur etiam liberum ipsi esse materiæ gravi gravem vel levem obligationem apponere. Favet S. Thomas 2. 2. quæst. 105. art. 2. quantitatem obligationis ex intentione Legislatoris repetens.

Probatur 2°. quidam ordines Religiosi habent statuta in materia satis gravi extra vota principalia, quæ tantùm sub levi obligant, utì jejunium monasticum in quibusdam: ergo &c.

Nec obest, quod adversarii dicunt, tunc istud jejunium parum conducere ad finem Religionis, adeoque formaliter esse materiam levem: etenim semper verum est, tale jejunium esse materiam de se gravem, ita ut sub mortali præcipi potuisset.

Obj. I. Obligare simpliciter non pendet à libera voluntate Legislatoris, eo ipso quo legem condit: ergo etiam quantitas obligationis non pendet ab ejus voluntate, eo ipso quo legem condit in materia gravi.

R. Neg. conseq. quia de essentia legis aliqua est obligatio; sed de ejus essentia non est obligatio gravis in materia gravi.

Obj. II. Lex naturalis et æterna in materia gravi obligant sub gravi; atqui lex humana debet illis esse conformis: ergo, &c.

R. Dist. maj. lex naturalis et æterna obligant sub gravi in materia gravi sibi propria, conc. maj. in materia gravi legis positivæ non præcipientis sub gravi, neg. maj.

Ratio est, quia materia propria legis naturæ est intrinsecè talis, independenter à voluntate cujuscumque Legislatoris; unde necessariò sequitur obligatio proportionata; materia autem propria legis positivæ non est intrinsecè talis, sed est de se indifferens, adeoque non mala nisi ex voluntate Legislatoris: atque hinc lex humana est conformis legi æternæ; quia æterna dictat, obligationem in materia legis positivæ non esse majorem, quàm Legislator vult.

Obj. III. Supponatur, obligationem gravem pro bono communi esse omnino necessariam: saltem tunc Legislator non poterit obligare sub levi.

R. In isto casu id quidem licitè non poterit; si tamen faciat, subditi eximentur ab obligatione gravi "à lege

"humana proveniente," sicuti eximerentur ab omni obligatione, si Legislator legem omnino necessariam non conderet.

Dictum est: "A lege humana proveniente:" quia si singularis actio omnino necessaria esset pro bono communi, quod rarum est, tunc lex naturæ gravem obligationem induceret.

Obj. IV. Legislator non potest in materia levi obligare sub gravi: ergo nec in materia gravi potest obligare sub levi.

R. Disparitas est, quòd materia levis quà talis non est capax obligationis gravis, et ideo talis lex foret injusta, cum Legislator potestatem suam excederet: verùm materia gravis legis humanæ est capax obligationis gravis et nullius: ergo etiam obligationis levis.

Obj. V. Talis lex, si ferretur, non esset equidem tuta agendi regula; quia sententia est tantùm probabilis: ergo, &c.

Respondet Steyaert, unum horum fore practicè tutum, si talis lex ferretur, nempe eam vel obligare, sub levi, vel nullo modo obligare, seu non esse veram legem: etenim vel talis lex est possibilis, et tantùm obligabit sic sub levi: vel est impossibilis, et tunc invalida erit illa lex; quia cùm Legislator in materia gravi voluerit obligare sub levi, et hoc sit impossibile, nil omnino efficiet.

V. Notandum practicè, leges humanas in materia gravi semper habendas esse ut obligantes sub gravi, nisi constet contrarium de mente Legislatoris.

An admitti potest promissio rei gravis, v. g. 100 florenorum, obligans solùm sub levi, si promittens se tantùm sub levi obligare velit?

VI. R. Juxta plures affirmativè, modò promittens illud expressè declaret, et aliter promittere nolit: sola tamen restrictio interna non sufficeret; quia contractus inter homines circa temporalia valent secundùm externa.

VII. Idem dici potest de voto rei gravis, dum vovens noluit aliter se obligare, quàm sub levi peccato, et votum non sit solemne; nam voto solemni Ecclesia adjecit obligationem gravem, neque aliter tale votum acceptat. Quòd si quis vovendo solemniter voluisset se tantùm obligare sub levi, cum tali ageretur, sicut, cum eo, qui nullo modo voluisset vovere, quia votum solemne non emisisset.

VIII. Quantùm ad juramentum non videtur admittendum obligans sub levi tantùm, quidquid velit jurans, tum quia obligatio juramenti non oritur ex intentione jurantis, sed ex ipso juramento, tum quia minima falsitas infert Deo gravem irreverentiam, qui in testem vocatur.

N. 42. DE MATERIA LEVI SUB OBLIGATIONE GRAVI.

I. *Nisi aliunde fiat gravis.* II. *Exemplar.* III. *Requisita pro obligatione gravi.*

AN Legislator humanus in materia levi potest obligare sub gravi?

Responsio negativa est communis et certa, dummodo materia sit undequaque levis.

Probatur 1°. Quia talis lex non esset conformis legi æternæ et naturali, quæ in materia levi tantùm obligant sub levi.

2°. Quia, ut lex obliget sub gravi, requiritur capacitas materiæ, sed materia undequaque levis non est capax obligationis gravis.

3°. Talis lex non tenderet ad bonum commune, sed magis illud destrueret; cùm præberet occasionem ruinæ et onus intolerabile.

I. Dictum est in responsione: "Dummodo materia sit "unduquaque levis;" quia materia de se levis potest reddi gravis ex fine aliisque circumstantiis, eò quòd, v. g. ad finem gravem notabiliter conducat; et eatenus res de se levis potest præcipi vel prohiberi sub gravi.

II. Sic Deus Gen. cap. 2. prohibuit Adæ sub gravi esum de fructu ligni scientiæ boni et mali, et tamen esus istius fructûs erat res secundùm se levis; sed fiebat gravis ex fine, ad quem ordinabatur, qui erat recognitio superioritatis Dei et subjectionis hominis erga Deum.

Similiter præcipitur sub gravi parum aquæ admiscendum vino consecrando in Missa, quod quidem secundùm se leve est, sed redditur grave propter Mysteria et sacras significationes, quæ in illa mixtione continentur. Vide Conc. Trid. Sess. 22. cap. 7.

Furtum unius gallinæ aut alterius rei levioris quandoque prohibetur sub pœnâ mortis militibus tempore belli, ex hoc fine, ne hominibus ob similia aufugientibus, exercitui necessaria desint.

Nota, ut lex humana sub gravi obliget, requiri hæc tria:

III. 1°. Ut materia sit licita et conveniens bono communi.

2o. Ut materia sit gravis, saltem ex fine.

3°. Ut Legislator velit sub gravi obligare.

Quomodo transgressio legis etiam levissimæ possit esse mortalis ratione scandali, contemptûs aliarumve circumstantiarum, colligitur ex dictis Num. 166. "de Peccatis" et sequentibus.

N. 43. DE MATERIA GRAVI ET LEVI.

I. *Gravitas vel levitas materiæ.* II. *In se,* III. *Vel relativè ad finem legis.*

QUÆNAM materia dicitur gravis, quænam levis respectu legis?

I. R. Materia potest dici gravis aut levis dupliciter: primò considerata secundùm seipsam, secundò considerata relativè ad finem legis.

II. Gravitas et levitas materiæ secundùm se noscitur ex his duobus: primò ex quantitate materiæ præsertim in legibus justitiæ aut contractuum: sic nummus aureus dicitur materia gravis, unus solidus materia levis, &c.

2°. Ex qualitate seu dignitate materiæ, prout accidit in materia consecrata, et in eis, quæ directè repugnant Virtutibus Theologicis, &c. Vide latiùs Num. 193. "de Peccatis."

III. Materia dicitur gravis vel levis relativè ad finem legis inquantùm multùm aut parum conducit, seu utilis est ad finem legis gravem: sic materia secundùm se levis fit gravis in exemplis esûs fructûs vetiti et furti Num. præced. relatis: sic etiam ingressus in tabernas sub gravi prohibetur Clericis ex gravi motivo seu fine: sic potest sub gravi prohiberi Religiosis ingressus in mutuam cellam vel in aliquam domum; et ita quædam observantur sub gravi apud Franciscanos, quæ apud alios tantùm obligant sub levi, eò quòd apud priores illa multùm conducant ad rigidiorem disciplinam, quam profitentur.

E contra materia secundùm se gravis fit materia levis respectu alicujus legis ex eo, quòd parum conducat ad istius legis finem formalem: sic respectu legis prohibentis efferre grana vel pecunias è patria, unus saccus aut unus aureus reputatur materia levis; quia illa parum conducunt ad finem legis, qui est, ne patria granis aut pecuniis destituatur. Constituunt tamen illa materiam gravem respectu legis prohibentis furtum.

Eodem modo, ut sciatur quænam pars alicujus materiæ debeat judicari gravis vel levis respectu legis, considerari debet, utrùm illa pars sit secundùm se gravis vel levis; item utrùm multùm conducat an parum ad finem legis: sic tertia pars Missæ, imò sola consecratio reputatur materia gravis respectu legis Ecclesiæ, ita ut qui alterutrum voluntariè negligeret, præcepto auditionis Missæ non satisfaceret.

N.44. DE OBLIGATIONE GRAVI COGNOSCENDA EX VOLUNTATE LEGISLATORIS.

I. *Ex forma verborum.* II. *Ex sensu authorum et praxi.*

UNDENAM cognoscitur, an Legislator velit legem suam obligare sub gravi?

R. 1°. Si materia sit gravis vel in se vel ex parte finis, judicatur Legislatorem velle obligare sub gravi conformiter ad materiam, nisi constet de contrario, ut dictum est Num. 41.

3°. Si pœna per legem imposita sit gravis, putà mortis, mutilationis, exilii, privationis bonorum, excommunicationis, suspensionis, &c.

Obj. Lib. 2. Reg. cap. 6. Oza punitus est morte, quia tetigerat Arcam; atqui tamen inde non potest absolutè inferri, eum peccasse mortaliter: ergo ex gravi pœna non rectè concluditur, culpam fuisse gravem.

R. Distinguendo consequens: ergo ex gravi pœna non rectè concluditur culpam fuisse gravem, dum illa pœna per modum legis adjuncta est legi, nego consequentiam: dum pœna aliunde ex alio capite post delictum infligitur, concedo totum: hoc modo percussus est Oza ad terrorem aliorum: et sic argumentando multùm aberrârunt amici Job, volentes ex gravibus pœnis aut potiùs pœnalitatibus, quas Job sustinebat, concludere, gravia ab eo peccata esse commissa.

I. 3°. Colligitur voluntas obligandi graviter, si Legislator utatur severioribus verbis, vel strictiori verborum formâ, v. g. si præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, sub interminatione divini judicii, sub indignatione omnipotentis Dei, &c.

II. 4°. Pro cognoscenda obligatione gravi vel levi in lege humana, prudenter recurritur ad sensum veterum et modernorum Scriptorum, item ad praxim timoratorum. Vide N. 156. "de Peccat."

Ex his concluditur, quinque præcepta Ecclesiæ obligare sub gravi: quia et materia gravis est, et adest voluntas graviter obligandi.

Confirmatur ex condemnatione proposit. 52. inter damnatas ab Innocentio XI. "Præceptum servandi festa non "obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus."

Hæc verba, "præcipio, mando, prohibeo, interdico, non liceat, tenebuntur," &c. possunt importare gravem vel levem obligationem, prout, etiam hæc: "statuimus, volumus, ordinamus, &c."

Verba: "debet et oportet" sæpe denotant præceptum, ut Exodi c. 12. v. 42. "Hanc (noctem) observare debent omnes filii Israel," et Joan. c. 3. v. 7. "Oportet vos nasci denuo:" aliquando non important verum præceptum, sed tantùm aliquod debitum honestatis, decentiæ aut alterius accidentis, ut 1. ad Cor. cap. 11. v. 19. "Oportet hæreses esse;" et Levit. cap. 11. v. 2. "Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis," id est, quæ comedere licet.

Similiter verba imperativi modi: "fac, cave, ne facias," &c. non semper important verum præceptum, sed aliquando solum desiderium, consilium, vel modum adhortationis: quomodo dicit Christus Matth. cap. 19. v. 21. "Vade, "vende quæ habes, et de pauperibus;" et Paulus 1. ad Cor. c. 7. v. 27. "Noli quærere uxorem," quæ tantùm sunt consilii, non præcepti.

Aliquando etiam modus imperativus est signum postulantis in subditis, v. g. dum oramus: "adjuva nos, miserere "nobis," &c.

N. 45. DE LEGE OBLIGANTE CUM PERICULO AUT JACTURA VITÆ.

I. *Lex naturæ obligat cum periculo vitæ.* II. *Ordinariè non sic obligat lex positiva.* III. *Aliquando tamen sic obligat.* IV. *Corollaria.* V. *Lex obligat cum damno famæ, &c.*

AN et quæ leges obligant cum periculo vel jactura vitæ?

I. R. Lex æterna et naturalis semper obligat cum periculo et jactura vitæ; quia contra eam agere, semper est malum, cùm lex illa sit immutabilis: hinc potiùs mortem amplecti debemus, quàm committere idololatriam, fornicationem, mendacium, &c.

Obj. Lex naturalis reddendi depositum, servandi secretum et similes non obligant cum periculo vitæ: ergo, &c.

R. Neg. cons. quia non est casus legis naturæ, dum depositum est rddendum cum periculo vitæ: vel tali cum periculo servandum foret secretum: proinde dicendum, illas expressiones esse nimis generales, nec adæquatè jus naturæ exprimere. Vide Num. 15.

II. Secundò leges positivæ sive divinæ, sive humanæ, ordinariè non obligant cum jactura vel periculo vitæ: sic lex divina de integritate materiali confessionis cum periculo vitæ amittendæ non obligat.

Sic etiam leges Ecclesiasticæ cum periculo vitæ non obligant, imò nec cum periculo minoris mali, v. g. nocumenti sanitatis, damni æstimabilis in bonis fortunæ, &c.

Ita etiam Christus Dominus explicavit legem veterem Matth. cap. 12. excusando Discipulos ex necessitate spicas vellentes Sabbato, item Lucæ cap. 14. v. 5. dicens: "Cujus " vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, et non continuò " extrahet illum die sabbati?"

Nec obest, legem obligare sub peccato, quod magis vitari debet, quàm vitæ periculum; quia in similibus casibus lex cessat, adeo ut nequidem materiale peccatum committatur.

III. Dictum est leges possitivas "ordinariè" non obligare cum periculo vitæ; quia dantur casus, in quibus cum tali periculo obligant: ad quos cognoscendos hæ duæ regulæ ex Sylvio statui possunt:

Prima: quando bono communi hic et nunc est utilius servari legem, quam servari vitam hominis privati, sive quando mors hominis judicatur minoris considerationis, quàm violatio legis in illo casu; tum lex etiam cum discrimine vitæ obligat.

Secunda: quando violatio legis cederet in contemptum Dei, Religionis, Fidei, Ecclesiæ vel Potestatis legislativæ, aut in scandalum proximi; iterum lex cum tali periculo servanda erit.

IV. Hinc sequitur primò, legem divinam de profitenda fide, dum interrogamur à potestate publica, obligare etiam cum certa jactura vitæ.

2°. Legem divinam obligare Pastores, ut in gravi necessitate ponant animam suam pro ovibus suis, administrando eis cum periculo vitæ Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis.

3°. Si quis adigatur ad agendum contra leges Ecclesiasticas in contemptum Ecclesiæ, etiamsi metus mortis ei incutiatur, abstinendum esse, v. g. à carnibus, prout fecit Eleazarus 2. Machab. cap. 6. præeligens mori, quàm edere carnes porcinas in contemptum legis cum scandalo adolescentium.

4°. Legem civilem ordinariè obligare cum periculo vitæ militem, utì stationem suam servet; quia bonum commune prævalens vitæ militis hoc requirit.

Obj. Est præceptum juris naturæ conservandi vitam; atqui lex naturæ prævalet legibus positivis: ergo, &c.

R. Est præceptum juris naturæ conservandi vitam hoc sensu, quòd nemo sibi mortem inferre, vel absque justa causa se mortis periculo exponere possit: verùm dum adest justa causa prævalens bono vitæ, tum lex naturæ dictat, licitum se se mortis periculo exponere.

V. Colliges ex dictis, quandonam lex aliqua obliget cum dispendio vel periculo honoris, famæ aut bonorum temporalium, scilicet sic obligat primò in omnibus illis casibus, in quibus obligat cum periculo vitæ.

2°. Sic lex obligat generaliter, quando bonum famæ, honoris aut fortunæ, minoris est considerationis, quàm bonum, quod ex legis observatione habetur.

Da casum, ubi lex obligat cum damno famæ, non cum periculo vitæ.

R. Casus esse potest, ubi lex restituendi famam alterius, injustè læsam obligat; item lex præcipiens integritatem materialem confessionis obligat cum aliquali damno famæ, non cum periculo vitæ.

N. 46. DE OBLIGATIONE CONSTITUTIONIS CARTHUSIANORUM.

I. *Possunt edere carnes, si alii cibi non suppetant.* II. *Sed dum adsunt alii cibi, nunquam.*

AN constitutio Carthusianorum, quâ ipsis sub gravi prohibetur omnis esus carnium, obligat in extremo vitæ periculo?

I. R. Si alii cibi non adsint, licitè manducant carnes, imò illas manducare tenentur, ne fame pereant; quia illorum constitutio hunc casum comprehendere non potest, cùm non possit obligare, ut fame intereant. Idem foret, si non adessent alii cibi nisi venenati, quia illi non sunt naturaliter apti ad vitam sustentandam.

II. Si verò alii cibi suppetant, non licet illis manducare carnes, etiamsi ex Medicorum judicio illarum esus foret necessarius ad vitam servandam. Ratio est, quòd constitutiones eorum ab Ecclesia approbatæ esum carnis severissimè prohibeant; quam prohibitionem etiam locum habere pro hoc casu, interpretatur antiqua istius ordinis consuetudo.

Deinde rigor ille est necessarius ad conservandum vigorem et decorem illius instituti, quæ facilè prolaberentur, si vel in uno casu dispensaretur, uti eventus sæpius in aliis ordinibus Religiosis, tum etiam aliquando in hoc ipso docuit, quod à gravissimis hujus instituti Patribus se accepisse refert Vasquez.

Obj. Carthusianus, qui non habet cibum præter carnes, tenetur vesci carnibus, ut supra dictum est: atqui dum sinè carnibus non potest vitam servare, idem est illi, ac si nullos alios cibos haberet; ergo tunc licitè comedit carnes.

R. Nego minorem: nam licèt alii cibi judicentur non profuturi, equidem sufficientes sunt de se, et serviunt ad vitam sustentandam: unde licèt ægrotus fortè moriatur ex morbo, non potest tamen dici mori præ fame, ac proinde non est idem, ac si nulli cibi adessent: itaque esus carnium in casu tantùm considerari potest ut medicina; verùm sicuti ægrotus non tenetur ad medicinas pretiosissimas, licèt aliæ videantur non profuturæ, ita nec Carthusianus ad esum carnium, qui instituto ejus plurimum obstaret, disciplinam enervando, &c.

N. 47. DE MATERIA SEU OBJECTO LEGIS.

I. *Materia legis sunt actus humani.* II. *Etiam interni respectu legis naturalis et divinæ.* III. *Item respectu legis humanæ indirectè.* IV. *Respectu legis Ecclesiasticæ etiam directè.*

QUÆNAM est materia seu objectum legis?

I. R. Materia legis sunt generatim omnes actus humani, qui præcipi vel prohiberi possunt, eorumque omissiones; etiam actus de se indifferentes, inquantùm ordinari possunt ad virtutem vel vitium.

Rejicitur impium Machiavelli dogma, qui asserit omne id, quod Reipublicæ utile est, quamvis injustum sit, esse materiam legis humanæ: etenim lex naturalis et divina, quæ omne iniquum prohibent, præponi debent omni legi humanæ; et prorsus falsum est, rempublicam, ut ipse vult, aliter conservari non posse. Vide Suarez lib. 3. "de Leg." cap. 12.

Hic præcipuè quæritur, an actus interni sint materia legis?

II. R. 1°. Certum est actus qualescumque internos esse materiam legis æternæ, naturalis et divinæ: patet ex præcepto Decalogi NON CONCUPISCES, &c.

III. 2°. Certum quoque est, legem humanam saltem indirectè posse præcipere vel prohibere actus internos, inquantùm præcipit vel prohibet actum externum, cui internus essentialiter vel tanquam conditio "sine qua non" conjunctus est: sic lex præcipiens recitationem Horarum Canonicarum saltem indirectè præcipit attentionem internam, sinè qua recitatio non esset oratio, quæ tamen præcipitur: idem est de præceptis auditionis Missæ, Communionis, &c.

3°. Quæstio controversa est, an lex humana possit directè præcipere vel prohibere actus merè internos, separatos ab actibus externis, quales sunt meditatio, actus fidei, contritionis, opinio, suspicio, &c.

Suarez, Wiggers, Neesen aliique adhærent sententiæ negativæ, et se fundant in S. Thom.

Sylvius in 2. 2. quæst. 104. art. 5. Steyaert, Van Roy, Daelman, La Croix, &c. admittunt quidem, legem civilem non posse directè præcipere aut prohibere actus merè internos, quia directè et immediatè pro fine suo habet bonum commune Reipublicæ et tranquillitatem ejus externam.

IV. Docent tamen, legem Ecclesiasticam id posse: quia leges Ecclesiasticæ non tantùm externa respiciunt; sed earum finis proprius est interior hominis ordinatio ad cultum Dei et beatitudinem æternam, quæ perficiuntur per actus internos, adeoque potest lex Ecclesiastica obligare ad actus merè internos, sicuti Lex divina ad illos obligat.

Probatur 2°. Ecclesia dispensat in votis merè internis, et damnans doctrinam aliquam ut hæreticam, erroneam, scandalosam, &c. prohibet, ne quis aliter credere aut sentire audeat, uti Trid. Sess. 6. 6. et 13. in proemio, Clemens XI. in Bulla " Unigenitus," &c.

3°. Superiores Religiosorum solent præcipere actus merè internos, ut meditationem, intentionem Missæ, &c.

Tandem illa potestas videtur data à Christo Matth. 16. v. 19. dicente ad Petrum: " Quodcumque ligaveris super " terram, erit ligatum et in Cœlis."

Objicitur præcipuè authoritas S. Thom. dicentis 1. 2. quæst. 91. art. 4. in " Corp." " De his potest homo legem " ferre, de quibus potest judicare: judicium autem homi- " nis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, " sed solùm de exterioribus actibus, qui apparent:" Similia habet quæst. 100. art. 9. in " Corp." et 2. 2. quæst. 104. art. 5. in " Corp." ubi dicit: " In his, quæ pertinent ad " interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini " obedire, sed solùm Deo."

Authores varias adferunt solutiones: 1°. Dicunt S. Thomam loqui de potestate humana secundùm usum ordinarium, quia non solet actus merè internos præcipere aut prohibere.

2°. Dicunt eum loqui de potestate humana naturali secundùm se considerata, cujusmodi est potestas civilis: de potestate verò Ecclesiastica ibidem non agere, sed eam comprehendere sub lege divina, quia est specialiter à Deo.

3°. Dicunt S. Thomam tantùm velle potestatem humanam non posse sufficienter ordinare actus interiores, scilicet quoad vim coactivam: cum quo stat, eam id posse quoad vim directivam.

Simile habetur capitulo SICUT TUIS "de Simonia," ubi dicitur: Ecclesia non judicat de occultis, scilicet judicio forensi seu contentioso.

Tandem quidam respondent, rationes S. Th. non esse convincentes; quia simul stat, quòd quis possit aliquid præcipere et tamen transgressorem nequeat punire, v. g. si altior superior sibi pœnam reservaverit: sic etiam, licet Legislator humanus non possit conscientiam judicare, neque pœnam æternam infligere, equidem verè in conscientia et sub peccato mortali obligare potest, ut dictum est Num. 33. ergo pariter licet Superior Ecclesiasticus judicare non possit de internis, obligare tamen ad illa potest.

Deinde actus externi occulti verè prohibentur ab Ecclesia, et quidem aliquando sub pœna excommunicationis, et tamen de illis Ecclesia in foro externo haud magis judicare potest, quàm de internis.

QUÆSTIO VI.

DE FINE ET MODIS IMPLENDI LEGEM.

N. 48. DE FINE ET MODIS IMPLENDI LEGEM.

I. *Finis extrinsecus non cadit sub præcepto.* II. *Intrinsecus sub præcepto cadit.* III. *Sic ut positivè non impeditur.* IV. *Item modus intrinsecus.* V. *Non modus extrinsecus.*

AN finis legis vel præcepti cadit sub præcepto?

R. Alius est finis intrinsecus legis, sive ad quem res præcepta ex natura sua tendit: alius extrinsecus, qui merè dependet ab intentione Legislatoris. Plures finem intrinsecum confundunt cum motivo formali proximo.

I. Finis extrinsecus legis vel præcepti non cadit sub præcepto seu sub obligatione, et de hoc fine verificatur illud vulgare dictum: "Finis non cadit sub præcepto," item istud: "Præcepta dantur de mediis, non de fine."

Sic Ecclesia præcipiens jejunium quadragesimale intendit subditos inducere ad orationes ferventiores, eleëmosynas, &c. quas si quis omittat, non ideo contra legem jejunii peccat; quia iste finis seu intentio est extrinseca, nec cadit sub præcepto jejunii.

II. Finis intrinsecus legis cadit sub præcepto hâc ratione, quòd ille finis positivè et directè excludi nequeat ab actu legis; nam eatenùs est de substantia actûs præcepti; non tamen ita semper cadit sub præcepto, ut semper debeat positivè effectu sequi: v. g. finis intrinsecus jejunii est maceratio carnis ejusque ad spiritum subjectio; jam autem etiamsi aliquando per accidens caro effectivè non maceretur, modò quis jejunium de se macerativum observet, implet præceptum jejunii.

III. Contra legem itaque ageret et peccaret, qui faceret aliqua, quæ directè et ex natura sua impediunt finem legis intrinsecum, quia, ut dictum est Num. 37. quævis lex prohibet omne id, quod directè et positivè finem legis excludit, seu legem inutilem reddit; quod si liceret, frustra darentur leges et præcepta, et apertè liceret agere in fraudem legis.

Hinc, qui cum voluntaria distractione legit Horas Canonicas, agit contra præceptum Ecclesiæ, quia positivè excludit finem intrinsecum, qui est mentis in Deum elevatio. Similiter per confessionem aut communionem sacrilegam non satisfit præceptis Ecclesiæ ob eandem rationem.

An modus præcepti cadit sub præcepto?

IV. R. Juxta distinctionem statim datam: modus intrinsecus legis vel præcepti, hoc est pertinens ad substantiam actûs aut virtutis præceptæ, cadit sub obligatione: sic sub præcepto justitiæ cadit, ut justa fiant justè, seu ut servetur æqualitas virtutis justitiæ, juxta illud Deuteron. cap. 16. V. 20. "Justè, quod justum est, persequêris;" sub præcepto temperantiæ cadit, ut fiat temperanter, seu, quod idem est, servato medio virtutis.

V. Modus extrinsecus alicujus legis aut præcepti non cadit sub obligatione illius legis vel præcepti, cui est extrinsecus, quamvis possit cadere sub alio præcepto, et ita licèt præceptum justitiæ jubeat, ut actus fiat justè, non tamen jubet, ut fiat piè aut ex charitate; quia pietas et charitas sunt modi extrinseci justitiæ.

Assertiones has docet S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 4. ad 1. "Dicendum, inquit, quòd sub præcepto, quod "datur de actu alicujus virtutis non cadit modus, quem "habet ille actus ex alia superiori virtute: cadit tamen sub "præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ "virtutis."

His positis, quæritur de variis modis, an omni præcepto sint intrinseci, an extrinseci: præcipui sunt sequentes:

1us. Quo opus fit ex charitate; 2us. Quo opus fit ex habitu et firmiter; 3us. Quo fit delectabiliter et ex lætitia; 4us. Quo opus fit scienter et voluntariè ex electione; 5us. Quo fit ex intentione satisfaciendi legi aut præcepto; 6us. Quo fit honestè sine peccato.

N. 49. DE MODIS CHARITATIS, HABITUS, ET DELECTATIONIS.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 9. *et* 10.

I. *Operari ex charitate non cadit sub quolibet præcepto.* II. *Utì nec operari ex habitu,* III. *Vel delectabiliter.*

AN modus, quo opus fiat ex charitate, cadit sub præcepto?

I. R. Cum S Thom. art. 10. modum charitatis cadere sub speciali aliquo præcepto, putâ diligendi Deum, et referendi omnia in Deum.

Verùm modus ille non cadit sub quolibet alio præcepto; quasi non posset satisfieri alteri præcepto sine charitate; potèst enim satisfieri, v. g. præcepto jejunii sine charitate: quia charitas est modus et forma extrinseca isti præcepto; et actus aliarum virtutum substantialiter esse possunt sine charitate: hinc damnata est propositio 16. inter Bajanas: "Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate."

An modus, quo opus fiat ex habitu et firmiter cadit sub præcepto?

II. R. S. Thom. quæst. cit. art. 9. in "Corp." negativè; neque enim, ait, ab homine neque à Deo punitur tanquam transgressor, qui debitum parentibus honorem impendit; quamvis non habeat habitum pietatis: neque dubium est quin actus virtutis naturalis poni possit sine habitu; imò etiam actus virtutis supernaturalis exerceri potest sine habitu ejusdem, per auxilium gratiæ actualis supplentis vicem habitûs.

III. Similiter modus, quo opus fiat delectabiliter et cum lætitia, non cadit sub quolibet præcepto: ita qui jejunium observat cum timore et tristitia aliqua, satisfacit præcepto jejunii.

Ille tamen modus operandi delectabiliter cadit sub aliquo speciali præcepto divino, dicit S. Thom. art. cit. ad 3. juxta illud Psalmographi: "Servite Domino in lætitia:" tum nempe juxta Sylvium, quando quis tenetur ad charitatem.

N. 50. DE MODO OPERANDI SCIENTER ET VOLUNTARIE.

I. *Præceptis negativis satis fit nescienter.* II. *Affirmativis tantùm per actum liberum.*

AN modus, quo opus fiat scienter et voluntariè seu liberè, cadit sub præcepto?

I. R. Legibus et præceptis negativis satisfieri potest nescienter seu observatione negativâ, id est, sufficit omittere, quod prohibetur, sive hoc fiat scienter et voluntariè sive non: ita dormiens satisfacit præceptis jejunandi, non furandi, &c.

Omittens tamen non potest esse invitus seu habere voluntatem contrariam; quia illa est contra legem.

II. Legibus vel præceptis affirmativis satisfieri debet per actum humanum liberum et bonum saltem "secundùm "quid;" non tamen requiritur voluntarium cum scientia actuali, sed sufficit voluntarium virtuale et implicitum: et ita satisfit præcepto orationis cum distractione involuntaria; et è contra per actum positum ab amente, aut simpliciter involuntarium legi non satisfit.

Obj. I. Dum amens facit id, quod lex jubet, non transgreditur legem: ergo eam implet.

R. Neg. conseq. Ratio est, quòd inter ista duo, legem transgredi, et legem implere, detur medium, scilicet negativè, vel per accidens agere respectu legis, quod non est implere, nec transgredi legem.

Obj. II. Per restitutionem involuntariam et coactam, quæ fit per sententiam Judicis, satisfit præcepto restitutionis: ergo, &c.

Probatur antecedens: ille debitor non tenetur ampliùs restituere: ergo præcepto restitutionis satisfecit.

R. Neg. antec. Non enim in casu ille præcepto restitutionis satisfecit, imò voluntariè contra illud egit: non tenetur quidem ampliùs restituere, sed hoc ideo, quia non habet ampliùs alienum, sicque remota est materia restitutionis; estque casus, quo lex cessat per substractionem materiæ.

N. 51. DE INTENTIONE SATISFACIENDI LEGI.

I. *Intentio implendi legem.* II. *Juxta plures non requiritur.* III. *Juxta alios requiritur.* IV. *Casus.*

I. AN ad legem implendam requiritur, ut actus præceptus fiat ex intentione satisfaciendi legi, v. g. an audiens Missam

die Festo, debet illam audire ex intentione satisfaciendi legi Ecclesiæ?

II. R. Suarez, Herincx, Neesen, Billuart, Antoine, &c. docent, non requiri ullam intentionem satisfaciendi præcepto: imò volunt, cum contraria voluntate non satisfaciendi adhuc præceptum impleri, modò ponatur actus legis quoad substantiam, ita ut audiens unicam Missam die Festo satisfaciat præcepto Ecclesiæ, etsi expressè et positivè nolit satisfacere.

Sylvius, quamvis intentionem satisfaciendi non requirat, negat tamen satisfieri, dum adest intentio contraria non satisfaciendi.

III. Boudart, Steyaert, Daelman et Collet requirunt aliquam intentionem satisfaciendi, non quidem actualem, sed virtualem vel implicitam, aut saltem interpretativam.

Probant 1°. Quia actus hominis ultra ejus intentionem non operatur: ergo si nullam habeat intentionem satisfaciendi, non satisfacit.

2°. Fatentibus adversariis, qui ad Sacrum tenetur ex voto, audiendo Sacrum, non satisfacit voto, si velit non satisfacere; quia scilicet ipsi liberum est prorogare voti obligationem: atqui non minùs liberum videtur homini prorogare obligationem de audienda Missa; nihil enim allegari potest, quo quis adstringatur ad satisfaciendum legi de audienda Missa, per primæ, cui adfuerit, auditionem.

Neque sufficit, quòd, qui sic Missam audivisset cum intentione contraria, postea mutans intentionem, velit per Missam ante auditam satisfacere; quia actus præteritus, qui non habuit conditiones requisitas ad adimplendum præceptum, non potest eas nunc induere, cùm, utpote præteritus, non sit ampliùs in operantis potestate.

Obj. I. Impletio legis non dependet à voluntate subditi, dum ponit actum â lege præceptum: ergo, &c.

R. Neg. antec. nam subditus ratione dominii, quod habet in actus suos, per intentionem contrariam reddit auditionem Missæ planè gratuitam, et ne sit actus legis impletivus: licèt ergo transire possit, actum quoad substantiam positum sufficere, dum nihil obstat; in casu equidem obstat contraria voluntas, quâ actus legi subtrahitur; sicque debitum manet per alium actum legem implendi.

Obj. II. S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 9. in "Corp." dicit, quòd modus ille non cadat sub præcepto humano: "Ut aliquis operetur volens et eligens et propter hoc "eligens:" ergo, &c.

R. Nego conseq. quia S. Thom. tantùm vult, modum illum in legibus humanis non cadere sub præcepto per se et directè, cùm sit internus. Vide Num. 47.

Obj. III. Saltem opinio requirens aliquam intentionem satisfaciendi, nata est causare varias anxietates, et ex illa sequitur, quòd qui audit Missam, ignorans vel non reflectens esse diem Festum, teneatur audire aliam.

R. Neg. antec. nam in similibus casibus habetur intentio quædam virtualis aut saltem interpretativa satisfaciendi; quia si scivisset esse Festum, satisfacere voluisset.

Deinde, licèt in particulari Festum ignoretur, adhuc tamen impletio præcepti in generali implicitè intendi potest ex eo, quòd quis generaliter intendat diebus Festis Missam audire: sicuti quis ignorans quasdam fidei veritates contentas in Scriptura S. dicitur tamen eas implicitè credere in hac universali, quâ credit omnia, quæ in Scriptura S. continentur. Verùm sicuti illa fides implicita sæpe tantùm est habitualis, sic etiam illa intentio: et ita convenit cum interpretativa; tandem dici potest cum Wiggers, quòd, licèt formaliter legem non implevisset ob defectum intentionis, tamen aliam Missam audire non teneatur, quasi ob subtractionem materiæ; quia Missam jam audivit, et Ecclesia in hoc casu censetur indulgere, illudque eò magis admitti potest, quia est communis Theologorum sententia, quæ in jure positivo humano sæpe determinat sensum legis.

IV. Aliquis tenerioris conscientiæ, dum die Festo audit Missam cum aliqua distractione licèt involuntaria, cogitat: audiam aliam Missam obligationis; interim prosequitur in eadem Missa audienda cum debita attentione: quæritur, an revera teneatur aliam Missam audire?

R. Neg. non enim habuit intentionem contrariam non satisfaciendi, et virtualiter per primam, si possit, voluit satisfacere, tantùmque secundam audire proposuit, si fortè per primam non satisfecisset. Idem judicandum de Horis Canonicis in simili casu.

N. 52. DE MODO, QUO ACTUS LEGIS FIAT HONESTE ET SINE PECCATO.

I. *Per actum undequaque malum non satisfit legi.* II. *Sed debet esse bonus saltem secundùm quid.*

AN per actum malum potest satisfieri legi?

I. R. Per actum malum undequaque, sic ut nequidem bonus sit in aliquo genere virtutis, vel rectitudinis, non

potest satisfieri legi, quia non ponitur actus præceptus quoad substantiam: ita per Communionem sacrilegam non satisfit legi; quia præcipitur devota Communio.

II. Legi particulari (exceptâ lege charitatis Dei, cui repugnat omne peccatum) potest satisfieri per actum malum, si tamen bonus sit in illo genere virtutis vel rectitudinis, quam lex præcipit, seu quam lex respicit ex fine intrinseco, vel motivo formali proximo: sic præcepto justitiæ satisfit per actum formaliter justum, seu positum secundùm rectitudinem et regulas justitiæ, licèt ille actus aliunde, v. g. ex fine aliave circumstantia iracundiæ, aversionis, &c. sit malus: ratio est, quòd actus præceptus ponatur quoad substantiam; nam pro justitia privatim considerata sufficit actum esse justum: et removere ab illò actu malum, v. g. iracundiæ, non spectat directè ad virtutem justitiæ, sed ad virtutem temperantiæ: similiter legi Ecclesiæ de jejunio satisfieri potest per actum positum secundùm rectitudinem virtutis abstinentiæ, etiamsi actus aliunde habeat defectum, v. g. vanæ gloriæ.

Obj. I. Dum actus est malus, non ponitur actus præceptus.

Probatur: lex præcipit actum bonum, non malum: ergo, &c.

R. Dist. assump. Lex præcipit actum bonum "secundùm quid" et in certo genere rectitudinis, conc. assumpt. lex particularis præcipit actum undequaque bonum, nego assumpt.

Unde non dicitur, per actum malum, quatenùs est malus, satisfieri legi, sed quatenùs habet rectitudinem vel bonum virtutis quæ præcipitur: sic per actum injustum non satisfit legi justitiæ, nec per actum intemperantiæ legi temperantiæ, quia rectitudo præcepta hic deficit, et nulla virtus repugnat sibi ipsi.

Itaque propriè et formaliter loquendo, nemo peccando satisfacit legi, sed peccans potest satisfacere legi particulari in rectitudine virtutis, contra quam non peccat: potest enim plerumque rectitudo unius virtutis simul stare cum defectu contra aliam virtutem, et sic potest haberi rectitudo quæ præcipitur, licet simul habeatur defectus, seu peccatum contra aliam virtutem.

Obj. II. Saltem legibus Ecclesiæ non potest satisfieri per actum malum.

Probatur: Ecclesia non tantùm præcipit rectitudinem virtutis, sed etiam intendit actus simpliciter bonos: ergo, &c.

R. Nego assumpt. Ratio est, quòd illa intentio Ecclesiæ tantùm spectat ad finem extrinsecum legis, non ad intrinsecum: finis autem extrinsecus non cadit sub præcepto, juxta dicta N. 48.

Si verò quodam casu Ecclesia præciperet actum simpliciter et undequaque bonum, et hoc declararet; tum isti præcepto non satisfieret per actum malum; quia non poneretur actus præceptus.

Notandum, nunquam satisfieri legi per actum malum, dum aliqua circumstantia istius actûs positivè et directè excludit finem intrinsecum legis, vel motivum formale proximum præcipientis: ita per Communionem sacrilegam non satisfit præcepto Ecclesiæ; quia directè excluditur finis intrinsecus, qui est unio cum Christo.

Pariter si superior aliquis indixisset jejunium ad placandum Deum in aliqua calamitate, non satisfieret præcepto per jejunium relatum ad finem licèt venialiter tantùm malum, si finis ille sit unicus, et non duplex, ob quem actus possit simul esse bonus et malus juxta supra dicta "de "Actibus Humanis" Num. 69. Ratio est, quòd ille finis malus directè repugnat motivo formali proximo præcipientis, quod est placare Deum; etenim actu malo non placatur Deus, sed potiùs irritatur.

N. 53. AN UNICO ACTU POSSIT SATISFIERI PLURIBUS PRÆCEPTIS.

I. *Unico actu satisfit pluribus præceptis.* II. *Nisi cadant super diversam materiam.*

I. RESP. 1°. Unico actu potest satisfieri pluribus præceptis, dum illa præcepta vel obligationes cadunt super eandem materiam particularem, sive super eundem actum; quia, dum plura præcepta non exigunt nisi unum actum, ponendo illum actum, ponitur totum, quod exigunt: hinc Sacerdos beneficiatus unâ Horarum recitatione satisfacit ordini et beneficio.

II. 2°. Si plura illa præcepta vel obligationes cadant super diversam materiam, sive super distinctos actus, tunc satisfit illis unico actu; quia ista præcepta exigunt plures actus, ac adeo non satisfit unico: hic qui vovit jejunium aut Missam ex speciali motivo, non satisfacit per jejunium aut Missam aliunde præceptam.

Undenam dignosci potest, plura præcepta cadere super eandem vel diversam materiam?

R. Ex intentione præcipientis expressa, ex verbis, consuetudine, aut aliis circumstantiis: quibus attentis, si dubium restet, judicandum est plura præcepta cadere super diversam materiam; tum quia hoc est tutius, tum quia regulariter præceptum novum superveniens solet cadere in novam seu aliàs non præceptam materiam; jam autem, ut habet Regula 45. juris in 6. "Inspicimus in obscuris, quod est "verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit."

Ita Confessarius solet pro pœnitentia imponere opera aliunde indebita, quia intendit injicere novum onus in pœnam peccatorum: si autem secùs aliquando facit, solet id expressè declarare.

Quid si Confessarius injungat pro pœnitentia, ut Pœnitens per mensem singulis diebus intersit Sacro et nihil aliud exprimat: an satisfaciet unico Sacro die Festo?

R. cum Antoine et Collet affirmativè: quia, ut observat Collet, tunc Confessarius præsumi potest concedere, ut pœnitens satisfaciat unico actu præcepto Ecclesiæ et ipsius Confessarii, dum pœnitentia adhuc satis longa manet, ut videri possit peccatis proportionata, quod locum habet in casu posito.

Aliud est, si alioquin pœnitentia injuncta nulla aut penè nulla remaneret; tunc enim Confessarius præsumeretur imposuisse obligationem diversam ab aliunde contracta: et hinc, si Confessarius injungat operario, ut v. g. per tres menses diebus Dominicis audiat Sacrum, tenebitur, nisi aliud exprimat, illis diebus duas Missas audire.

Si quis verò unico actu intenderit satisfacere pluribus obligationibus, censebitur satisfecisse majori et magis urgenti.

Si quis autem uni obligationi præ alia satisfacere intenderit, isti, non alteri satisfecisse judicatur, nisi cum expressa voluntate implendi unam, habuisset voluntatem implicitam aut interpretativam implendi alteram: et ita qui vovit audire Missam cui interfuit die, quem ignorabat esse festivum, satisfacit præcepto Ecclesiæ, non voto.

N, 54. AN EODEM TEMPORE POSSIT SATISFIERI PLURIBUS PRÆCEPTIS PER PLURES ACTUS?

I. *Licet recitare Horas sub Missa de præcepto.* II. *Tamen nisi adsit justa causa, non convenit.*

RESP. affirmativè, modò illi actus sint inter se compatibiles, et præcepta illa non sint diversis temporibus affixa:

ratio est, quia totum hìc habetur, quod Legislatores præcipiunt; sic se mutuò non impediunt peregrinatio ex voto et recitatio Divinii Officii ex præcepto Ecclesiæ. E converso se invicem impediunt cantare in choro et excipere Confessiones: item confiteri sacramentaliter, et die Festo audire Missam sunt actus incompatibiles, saltem dum confessio est prolixior; quia impedit attentionem requisitam ad devotam Missæ auditionem.

I. Solet hìc inquiri, utrùm ille, qui tempore Missæ obligationis recitat Horas Canonicas, eodem tempore satisfaciat utrique obligationi?

Responsio affirmativa hodiedum est communis: quia attentio ad auditionem Missæ requisita et sufficiens est, quâ quis animum applicat ad Deum colendum per preces, meditationes aut alios pios mentis affectus: hæc autem attentio non impedit neque excludit attentionem requisitam ad Horas Canonicas: eodem modo sicuti recitatio Rosarii ex usu piorum non censetur impedire attentionem ad Missam.

Accedit, Ecclesiam non præcipere, ut fideles verbis Missæ intendant, sed ut, verbis etiam non auditis, piè et devotè intersint Sacrificio.

Hinc docent Sylvius, Henricus à S. Ignatio, &c. sub Missa obligationis recitari etiam posse preces aliunde debitas, v. g. ex voto vel pœnitentia Sacramentali.

II. Sed, inquit Steyaert, in Clericis, quos ad sensum verborum in Horis, et ad mysteria in Sacrificio Missæ attendere decet, nullo modo utraque functio simul citra necessitatem convenit: unde Cajetanus et Navarrus dicunt, esse peccatum veniale, si id fiat sine justa causa. Et sanè indicium foret exiguæ charitatis erga præcepta Deum colendi in illis, qui hoc sine causa facerent, maximè cùm tales tempus, cui pepercerunt, soleant in otio et nugis terere.

QUÆSTIO VII.

DE MODIS QUIBUS LEX CESSAT.

N. 55. DE MODIS QUIBUS LEX CESSAT.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *et* 97.

I. *Lex cessat variis modis.* II. *Non tamen morte Legislatoris.* III. *Statuta Synodalia non cessant morte Episcopi.*

PATET ex hactenùs dictis circa legem, præcipuè humanam, varia debere considerari, ut verba legis, voluntatem Legislatoris, usum, necessitatem, consuetudinem, &c. ex quibus fit, ut aliquando lex aut pars legis mutetur.

I. Hinc necesse est quærere de variis modis, an et quomodo per illos lex cesset ex toto vel ex parte: et primò agemus de interpretatione legis, 2°. De epikeia, 3°. De abrogatione legis, 4°. De derogatione, 5°. De irritatione legis, 6°. De consuetudine contraria, 7°. De cessatione finis, 8°. De dispensatione, 9°. De privilegiis, 10°. De mutatione materiæ vel subjecti, 11°. De necessitate, et tandem de impotentia seu impossibilitate.

Priùs tamen inquirendum est, an statuta sive leges expirent morte legislatoris: quæ quæstio præcipuè instituitur de Statutis Episcopalibus?

II. R. Legem de se esse perpetuam, nec cessare morte Legislatoris, dictum est initio hujus tractatûs, et fusè probat Suarez lib. 1. "de legibus" cap. 10. Quantùm ad statuta seu constitutiones Episcopales, in primis certum est, inquit Benedictus. XIV. lib. 13. "de Synodo Diœcesana" cap. 5. constitutiones factas ab Episcopo in Synodo in robore suo permanere, quamvis Episcopus è vita discesserit, vel Episcopatu se abdicaverit, aut ad aliam Ecclesiam sit translatus.

III. Quantùm ad statuta ab Episcopo extra Synodum facta, et per simplex edictum promulgata, Barbosa et alii quidam Canonistæ putant ista cessare per obitum Episcopi: at meliùs censent alii, ut idem Pontifex eodem loco dicit, qui illis statutis eandem tribuunt perpetuitatem, quam omnes concedunt statutis Synodalibus; quia statuta Sydonalia vim suam unicè obtinent ab authoritate et jurisdictione Episcopi:

atqui eadem est authoritas et jurisdictio Episcopi extra, quàm intra Synodum: ergo institutiones extra Synodum factæ, etiam de se sunt perpetuæ.

Accedit expressa decisio Gregorii IX. in capitulo ultimo "de officio Legati."

Hanc eandem potestatem condendi statuta de se perpetua competere Capitulo "Sede vacante" docet Reiffenstuel "de Constitutionibus" parag. 4. Num. 70.

N. 56. DE INTERPRETATIONE LEGIS.

QUID est interpretatio legis?

R. Est explicatio verborum legis quoad eorum sensum à Legislatore intentum.

Est autem interpretatio triplex.

Prima dicitur authentica seu authoritativa, quæ fit vel ab ipso Legislatore vel ab ejus successore aut superiore: atque hæc eandem vim habet, ac ipsa lex, si debitè promulgetur.

Altera dicitur usualis, quæ fit per usum et consuetudinem populorum: usus autem et consuetudo in interpretandis legibus plurimum valent, unde dicitur lege SI DE INTERPRETATIONE, Digestorum lib. 1. tit. 3. "Optima legum interpres est consuetudo."

Tertia interpretatio vocatur doctrinalis, quæ fit à Doctoribus, vel à legum peritis: hæc quidem per se non fecit sensum legis, sed tamen, ut notat Steyaert, communis interpretatio Doctorum in legibus humanis, superiore non contradicente, non tantùm indicium est, quis sit sensus legis; sed, etiamsi ab initio alius sensus fuisset, censeri potest jam talis esse sensus, præsertim si populi consuetudo accesserit.

Huc referri potest interpretatio facta per judicem, quæ facit jus in casu particulari; eique partes litigantes tenentur obsequi, nisi ad judicem superiorem appellaverint.

An lex cessat per interpretationem?

R. Patet ex dictis, legem propriè non cessare per interpretationem, si nihil aliud concurrat, sed illam solùm dare sensum legis.

Quomodo fieri debet legis interpretatio?

R. Interpretatio authentica, quæ fit per Legislatorem, majori certè fieri potest libertate, quàm ea, quæ fit per inferiorem: hinc ea, quæ doctrinalis vocatur, fieri debet secundùm regulas juris, inter quas variæ assignantur, videlicet regula 15. juris in 6: "Odia restringi, favores convenit ampliari," inquantùm nempe verba legis et circumstantiæ permittunt.

Regula 18. juris in 6. "Quæ à jure communi exorbitant, "nequaquam ad consequentiam sunt trahenda:" adeoque quod à jure communi recedit, strictæ est interpretationis.

Odiosa censetur lex pœnalis, item correctiva juris: pariter inter odiosa habentur dispensationes et privilegia privatis data contra legem communem.

Mens et voluntas Legislatoris dicuntur esse spiritus et anima legis: et hinc, dum de illis constat, eas potiùs sequi debemus, quàm verba legis.

In jure positivo non licet argumentari à pari, vel à fortiori aut ab identitate rationis ad casus disparatos.

Extensio tamen ordinariè fieri solet, primò in correlativis: sic quia maritus et uxor sunt correlativa, si vir liberetur à debito reddendo uxori adulteræ, pariter uxor eximitur à reddendo debito marito adultero.

2°. In illis, quæ in jure æquiparantur; sic excommunicatio percussoris Clerici extenditur ad mandantem.

3°. In connexis et subordinatis; sic lex, quibus permittit condere testamentum, iis concedit, ut faciant codicillum, et dispensatus in quadragesima, ut edat carnes, censetur dispensatus pro esu ovorum et lacticiniorum.

Quando lex agit de casu vel persona solùm per modum exempli, quod legem declarat, non ideo ad istum casum vel personam limitatur.

Item si in judiciali interpretatione aliqua controversia in lege non exprimatur, proceditur à simili in alia lege expressa.

Quomodo in lege naturæ detur simplex interpretatio dictum est Num. 16. Idem est de lege positiva divina.

N. 57. DE EPIKEIA.

S. Thom. quæst. 69. *art.* 6.

I. *Epikeia.* II. *Differt ab interpretatione.* III. *Non datur in lege naturali et divina,* IV. *Sed in lege humana.*

QUID est epikeia?

I. R. Est benigna et æqua interpretatio legis, quâ contra verba et sensum legis sequimur mentem habitualem Legislatoris.

Adeoque erit locus epikeiæ, dum occurrit casus particularis lege generaliter latâ comprehensus, quem si Legislator prævidisset, lege suâ comprehendere noluisset. Exemplum ponit S. Th. art. citato in "Corp." Si in civitate obsessa statuatur, ut portæ maneant clausæ, per epikeiam licebit aperire portam, ut civis civitati multùm utilis introducatur: item usu venit epikeia, dum in casu subitaneo nimis difficile esset legem servare,

In quo differt epikeia à simplici interpretatione?

II. R. 1°. In eo, quòd interpretatio sequatur mentem, quam Legislator habuit: epikeia verò non sequatur mentem, quam habuit; sed quam habuisset vel rationabiliter habere debuisset, si hunc casum prævidisset.

2°. Differt in eo, quòd interpretatio det sensum legis: epikeia verò à sensu legis recedat.

Notat S. Thom. loco citato, quòd epikeia soleat habere locum in casibus subitaneis, in quibus non est tempus petendi dispensationem aut interpretationem superioris: et hinc consequens est, pro facienda epikeia requiri ad minus tantam rationem, quanta pro dispensatione necessaria est, cùm sit quasi quædam relaxatio legis præsumpta.

An et quænam lex cessat per epikeiam?

III. R. Epikeia non habet locum in lege naturali, ut dictum est Num. 16. neque etiam in lege divina: quia, cum sit circa casum non prævisum, est quasi quædam correctio et emendatio legis: jam autem in lege divina omnis casus est à Deo prævisus, et correctio cadere nequit in ordinationem divinam.

IV. Ast lex humana per epikeiam cessare potest; quia Legislator humanus omnes casus particulares non potest prævidere. Id tamen rarò obtinet in legibus "irritantibus," eò quòd illæ non cedant particularibus necessitatibus juxta dicta Num. 36.

N. 58. DE ABROGATIONE, DEROGATIONE ET IRRITATIONE LEGIS.

I. *Abrogatio et derogatio* II. *Fiunt per Legislatorem.* III. *Quid si lex à superiore confirmatur.*

QUID est abrogatio legis?

I. R. Est totius legis revocatio, vel abolitio.

Quid est derogatio legis?

R. Est revocatio vel subtractio partis legis, remanente alterà parte in vigore.

Quisnam potest abrogare legem aut derogare?

II. R. Directè id possunt Legislator, ejus successor et superior eorum: item contraria consuetudo legitimè præscripta, de qua infra.

Nota, abrogationem et derogationem legis humanæ esse validas; etiamsi fiant sinè causa; quia lex patiens abrogationem vel derogationem à voluntate Legislatoris dependet: erunt tamen illicitæ, si fiant sinè justa causa; quia non nisi gravi de causa leges sunt immutandæ.

Lex posterior ejusdem Legislatoris, successoris vel superioris eorum abrogat vel derogat legi priori, inquantùm illi est contraria. Quandoque tamen debet illius derogationis mentio fieri in posteriori lege, ut censeatur priori derogare: sic constitutio Pontificia generalis non derogat legi particulari alicujus loci, nisi clausula derogatoria exprimatur, juxta cap. 12. " de Constitutionibus " in 6. quia leges particulares, quæ sunt extra jus commune, supponuntur à Principe ignorari.

Verùm constitutiones Pontificiæ generales derogant statutis Concilii generalis, licèt nulla illius mentio fiat, ut probat Fagnanus in capit. NONNULLI " de Rescriptis." Aliud est de rescriptis Pontificiis, quæ non derogant constitutionibus Concilii generalis, nisi ipsius Concilii expressa mentio fiat, ut docet idem Author.

Potest Episcopus abrogare decreta Synodi Diœcesanæ, quia non nisi ab Episcopo lata sunt et vim suam habent: verùm nequit Archi-Episcopus leges Episcoporum Suffraganeorum abrogare aut rescindere, cùm veram in illorum Diœcesibus jurisdictionem non habeat: neque potest, quamvis Concilio Provinciali præsideat, ejusdem constitutiones abrogare; quia latæ sunt à corpore mystico, quod est altioris jurisdictionis, quàm in singulis reperitur Episcopis. Hinc infert Cozza, Archi-Episcopum non posse abrogare jejunium in Synodo Provinciali indictum. Vide Bened. XIV. lib. 13. " de Synodo Diœces." cap. 5. num. 8.

An Legislator potest adhuc abrogare legem suam, dum hæc est confirmata ab altiore superiore, v. g. à Pontifice vel à Rege?

III. R. Si confirmatio sit essentialis, talis nempe, ut per illam superior legem illam faciat esse suam, non potest Legislator ampliùs legem illam abrogare: si verò confirmatio tantum sit accidentalis, facta in favorem Legislatoris, et ad majorem legis splendorem, potest eam legislator abrogare. Consule Bened. XIV. " de Synod. Diœces." lib. et cap. mox citatis, qui ibid. Num. 9. 10 et 11. alias adhuc adfert distinctiones.

Quid vulgò intelligitur per irritationem legis?

R. Est abolitio legis facta ab eo, cujus est eam habere ratam. Itaque superior potest irritare seu abolere leges inferioris; sic Papa potest irritare seu efficere, ut lex Episcopi nullius sit roboris: ratio est, quòd quælibet res plus dependet à causa universali, quàm a proxima.

Inferior verò non potest irritam facere legem sui Superioris, uti nec abrogare aut ei directè derogare: et sic Episcopus non potest derogare legibus juris canonici.

Hactenùs dicta proponuntur in hoc exemplo: Magistratus prohibet incedere vesperi sine lumine sub pœna unius aurei: si revocet prohibitionem, erit abrogatio legis; si revocet solàm pœnam, erit derogatio: et si Rex tollat illam prohibitionem, erit irritatio seu abolitio legis.

In quibus legis datur abrogatio, derogatio, aut irritatio?

R. In lege æterna et naturali nulla ex tribus datur; quia lex illa est necessaria et immutabilis.

In lege positiva divina non datur irritatio; quia non datur Deo superior; potest tamen admitti abrogatio, quatenùs lex vetus per Christum finem accepit et abrogata est.

Lex humana per abrogationem et irritationem cessat tota et in universali; per derogationem verò cessat pars aliqua legis, etiam in universali.

N. 59. DE CONSUETUDINE CIRCA LEGEM.

S. Thom. quæst. 97. art. 3.

I. *Consuetudo* II. *Differt à non usu legis.* III. *Cessat lex per consuetudinem dupliciter.* IV. *Nempe viâ conniventiæ.*

QUID est consuetudo contra legem?

I. R. Consuetudo contra legem negativam, est frequentatio actuum humanorum ejusdem rationis contra legem continuata à communitate in casibus legis observandæ.

Consuetudo contra legem affirmativam, est omissio actuum humanorum ejusdem rationis, contra legem continuata, in casibus legis observandæ; vocatur etiam desuetudo.

II. Ab his differt merus "non usus" legis, qui est negatio simplex actuum legis, eò quòd non occurrat casus legis observandæ: sic dum lex præcipit, ut accipientes beneficium præstent juramentum juxta formularium Alexandrinum, si intra 10 annos nullus Beneficium accipiat, et sic illud juramentum non frequentetur, erit merus non usus legis, qui etiamsi longissimo tempore continuatus, nil mutat circa legem.

An et quomodo cessat lex per consuetudinem legi contrariam?

III. R. Cessat, et quidem duplici modo, nempe viâ conniventiæ, et viâ præscriptionis: posterior reperitur in jure Canonico, capitulo finali lib. 1. Decret. tit. 5. et in jure civili, lege DE QUIBUS Digestorum "de Leg."

Quid requiritur, ut lex cesset per consuetudinem contrariam viâ conniventiæ?

IV. R. Ut accedat personalis consensus Legislatoris, successoris aut superioris eorum, expressus vel implicitus, verbo vel facto aut alio quocumque signo manifestatus.

Judicatur adesse talis consensus Legislatoris, si legis observantiam non urgeat, vel transgressores non puniat, ubi facilè et convenienter potest: item si ipso vidente et non contradicente palam agatur contra legem, juxta axioma: "qui tacet, consentire videtur," ubi nempe erat locus et occasio contradicendi. Aliàs si Legislator toleret, quia hìc et nunc non potest, aut non expedit contradicere vel impedire, ex tali silentio non rectè deduces consensum personalem sufficientem. Vide "de Voluntario," Num. 29.

Non requiruntur pro hac via conditiones necessariæ ad præscriptionem contra legem, sequenti Num. allegandæ; nam viâ conniventiæ lex cessat per consensum personalem Legislatoris ut causam: solus autem consensus Legislatoris sufficit, ut lex tollatur; itaque hìc non requiritur diuturnum tempus aut bona fides.

N. 60. DE REQUISITIS UT LEX CESSET PER CONSUETUDINEM VIA PRÆSCRIPTIONIS.

I. *Et viâ præscriptionis.* II. *Tria ad hoc requiruntur.* III. *Pro civili requiruntur decem anni.* IV. *Pro canonica juxta aliquos quadraginta.* V. *Juxta alios etiam tantùm decem.* VI. *Quomodo consuetudo possit esse rationabilis.* VII. *Nihil potest circa legem naturæ.* VIII. *Humanàm variè mutat.* IX. *Quid abusus.*

I. SICUTI lex cessare potest per consuetudinem contrariam viâ conniventiæ, sciente et non contradicente superiore, ita etiam cessare potest per consuetudinem contrariam viâ præscriptionis, superiore consuetudinem illam in particulari ignorante.

Ad hoc tamen conditiones aliquæ requiruntur, nempe:

II. 1°. Ut contraria consuetudo sit rationabilis: qualis censebitur juxta Suarez, si non repugnet juri naturali aut divino, et à jure Canonico non reprobetur, neque peccandi licentiam præbeat, aut aliâ ratione communi utilitati obsit.

2°. Ut consuetudo sit legitimo tempore continuata.

3°. Juxta plures etiam debet concurrere bona fides, quâ actus contra legem reputentur liciti.

Quantum temporis requiritur, ut consuetudo viâ præscriptionis legem abroget?

III. R. Ad præscribendum contra legem civilem sufficiunt 10 anni; quia jura ad inducendam consuetudinem requirunt longum tempus; sed lege SUPER LONGI codicis "de præscriptionibus," decennium continuatum dicitur longum tempus: ergo, &c.

IV. Ad præscribendum contra legem Ecclesiasticam multi cum Fagnano exigunt 40 annos: quia lex Ecclesiastica est jus quoddam seu res immobilis Ecclesiæ: atqui res immobilis Ecclesiæ tantùm præscribitur 40 annis, juxta cap. DE QUARTA extra "de præscriptionibus:" ergo, &c.

V. Non improbabiliter tamen, ut ait Bened. XIV. lib. 13. "de Synodo Diœces." cap. 5. num. 4. plerique ex recentioribus opinantur sufficere 10 annos, quia non est inducenda discrepantia inter jus civile et Canonicum, dum non habetur expressa dispositio juris in contrarium: atqui talis hìc non habetur: ergo, &c.

Nec valet, inquiunt, comparatio præscriptionis, quâ res immobilis ab Ecclesia aufertur; nam aliàs lex à Pontifice lata non posset abrogari viâ præscriptionis nisi per consuetudinem 100 annorum; cùm tantum temporis requiratur ad præscribendum contra bona et jura Ecclesiæ Romanæ. Hanc sententiam propugnant Lessius, De Lugo, Reiffenstuel, &c. eamque Suarez practicè certam reputat pro præscriptione contra legem Canon. nunquam usu receptam; quamquam requirat 40 annos ad præscribendum contra legem Ecclesiasticam, quæ antea fuit in viridi observantia.

Si tempus interrumpatur per contrarium actum judicialem, v. g. punitionis, sententiæ, &c. debet rursum de novo inchoari; adeo ut priores anni non possint computari; aliud verò est, dum præscriptio dormit, quod fieri potest, si ei superveniat merus non usus legis, de quo numero præcedenti; tunc enim, si postea iterum reviviscat, priores anni computari possunt cum posterioribus, non computatis intermediis, quibus dormivit.

An requiritur bona fides?

R. Negant aliqui, ut Vallensis, Reiffenstuel, &c. eò quòd aliàs nulla consuetudo contra legem præscribere posset, cùm moraliter impossibile sit, ut consuetudo à subditis non inchoetur malâ fide.

Verùm Suarez, Danes, Daelman, et plures alii bonam fidem requirunt, sicuti ad omnem aliam præscriptionem.

Neque verum est, impossibile esse, quin consuetudo malâ fide inchoetur; nam fieri potest, ut qui primi agunt contra legem, ob materiam aut quasdam circumstantias legis mutatas sibi persuadeant legem cessare: sicque ab initio poterit esse bona fides, et ab initio curret præscriptio. Deinde quamquam ab initio sæpe bona fides deest, paulatim tamen succedente consuetudine poterunt successores bonâ fide contra legem agere, et tunc ab illo solùm tempore incipiet currere præscriptio.

Quomodo consuetudo potest esse rationabilis, quæ est contra legem etiam rationabilem?

VI. R. Quia possunt duo opposita esse simul rationabilia ob diversos fines quos respiciunt. Deinde, ut notat Steyaert, rationabilitas consuetudinis non adeo in positivo, quàm in negativo sita est, nempe in eo, quòd talis consuetudo nec juri divino, nec bono communi adversetur, ut dictum est in initio hujus Numeri.

An consuetudo viâ præscriptionis tollit legem sine consensu Legislatoris?

R. Non requiritur in hac præscriptione ejus consensus personalis, sed sufficit legalis, qui continetur in legibus præscriptionem permittentibus.

Quasnam leges potest consuetudo tollere?

VII. R. Nihil potest circa legem naturæ, quia immutabilis est.

2°. Nihil etiam potest circa legem positivam divinam; quia hæc eminenter excedit omnem potestatem humanam: imò nec viâ conniventiæ consuetudo quidquam efficere potest; et licèt Deus sæpe differat punire, non ideo tamen legem relaxat, cùm constet eum pœnas pro altera vita reservare: hinc desuetudo frequentandi Sacramenta non mutat legem divinam.

Consuetudo tamen priorum meritò attenditur, pro recta interpretatione legis divinæ.

VIII. 3°. Lex humana viâ præscriptionis vel conniventiæ tolli potest, et generatim omnes alias mutationes pati, v. g. ut cesset pœna, non lex; ut cesset pars legis, non tota lex; ut materia gravis fiat levis, et contra; ut lex copulativè mixta fiat disjunctivè mixta, &c. adeo ut generatim dicere liceat, consuetudinem posse in lege humana totum illud, quod potest Legislator. Ita consuetudine in Belgio introductum est, ut liceat vesci carnibus diebus Sabbati à Nativitate Domini usque ad festum Purificationis inclusivè.

Hinc inquiunt Suarez, Wiggers, Billuart et alii quidam, lex pœnalis mixta copulativè per consuetudinem potest fieri mixta disjunctivè aut purè pœnalis tantùm, ita ut possit tolli culpa in conscientia, relictâ pœnâ impropriè dictâ seu mulctâ, ad quam transgressor deprehensus justè cogi possit: exemplum ponit Wiggers in venatione, quam communitas frequentat, ut sibi licitam, et tamen Dominus exigit à venantibus mulctam ut sibi debitam; ita ut utrimque utantur jure suo, et communitas ad venandum, et Dominus ad mulctandum. Idem quidam applicant in defraudatione tributorum pro illa parte, quâ excederent justam quotam istius hominis.

Verùm in censuris Ecclesiasticis, pœna mortis, infamiæ, et similibus id obtinere nequit: ratio est, quòd hæ pœnæ ab homine illatæ necessariò et intrinsecè supponant culpam.

Hinc etiam consuetudo viâ præscriptionis tollere potest leges irritantes: actus tamen contra legem irritantem facti, etsi bonâ fide, sunt invalidi, donec tempus præscriptionis fuerit impletum.

An consuetudo contra legem potest præscribere, si hæc feratur cum hac clausula: "Non obstante quâcumque "consuetudine in contrarium?

R. Affirmativè, quia hæc clausula communiter intelligitur de consuetudine existente tempore, quo lex fertur, et non censetur se extendere ad consuetudinem futuram. Quòd si clausula illa etiam extendatur ad consuetudinem futuram, tunc tantùm efficit, ut consuetudo sequens non tam facilè possit judicari rationabilis, sed potiùs corruptela vel abusus: facit etiam, ut non tam facilè præsumi possit consensus Legislatoris.

Si legi naturali aut divinæ adjungatur lex humana, illud, quod est legis humanæ, per consuetudinem modis præfatis cessare potest: sic cæremoniæ accidentales Sacramentorum mutari possunt, et pro parte mutatæ sunt, uti etiam canones pœnitentiales, &c. eodem quoque modo pœna per legem humanam adjuncta legi naturali aut divinæ tolli potest.

Quid est abusus seu corruptela?

IX. R. Est continuata frequentatio actuum peccaminosorum contra legem.

N.61. DE CONSUETUDINE LEGEM INDUCENTE.

I. *Consuetudo legem inducens* II. *Debet esse rationabilis positivè,* III. *Cum intentione se obligandi.* IV. *Recapit ulatio.*

AN et quomodo consuetudo potest inducere novam legem?

I. R. Affirmativè, et iterùm duplici viâ, scilicet viâ præscriptionis, et viâ conniventiæ.

II. Verùm præter conditiones supra requisitas, ut consuetudo legem tollat viâ præscriptionis, hic insuper requiritur, ut consuetudo sit rationabilis, non tantùm negativè, sed etiam positivè, utilisque bono communi, et ut habeat conditiones ad legem justam requisitas.

III. Deinde requiritur in populo intentio se obligandi, sive ut consuetudo frequentetur à communitate aut majori ejus parte eo animo, ut inde lex vel obligatio introducatur.

Hinc notari potest, fortè plures consuetudines esse, quæ non habent vim legis, quàm quæ illam habeant: primi generis sunt consuetudo audiendi tres Missas in festo Nativitatis Domini, sumendi aquam benedictam in introitu et exitu Ecclesiæ, portandi Sacros Cineres feriâ quartâ Cinerum, &c. quia talia ex mera devotione frequentantur: posterioris generis consuetudines, quæ vim legis habent, sunt varia festa consuetudine introducta: item plurimæ consuetudines locorum, vulgò "Costuymen," gallicè "Coutumes," ideo dictæ "consuetudines juris," aut "jus "moribus introductum."

Leges sic consuetudine introductæ subsunt dispositioni Legislatoris illius, qui in illa materia potest leges ferre; ita ut eas possit abrogare, derogare, &c. possunt etiam abrogari consuetudine contrariâ; quia lex et consuetudo tam efficaces sunt contra priorem consuetudinem, quàm ipsa fuerat.

Dic summatim, quid possit consuetudo circa legem humanam?

IV. R. Potest leges interpretari, et dicitur optima legum interpres.

2°. Potest tollere legem totam, vel etiam pro parte tantùm.

3°. Potest mutare legem quoad sensum, obligationem, &c.

4°. Tandem potest novam legem inducere.

N. 62. DE CESSATIONE LEGIS PER CESSATIONEM FINIS.

I. *Finis legis.* II. *Quandonam cesset.* III. *Et quomodo.* IV. *Si cesset totalis et in universali, cessat lex.* V. *Secùs, si tantùm cesset partialis.* VI. *Neque si cesset totalis in particulari negativè tantùm.* VII. *Dum cessat contrariè, etsi in particulari tantùm cessat lex.* VIII. *Quæ leges hoc modo cessant.*

I. PRÆNOTANDUM, hic non agi de fine legis extrinseco; certum namque est, propter illius cessationem non cessare legem, sed agitur de fine legis intrinseco, seu potiùs de motivo formali proximo, ob quod lex lata est; ita ut per finem legis hic intelligatur bonum illud, quod lex respicit ex fine intrinseco seu motivo formali proximo.

Quandonam dicitur cessare finis legis?

II. R. Quando finis sive bonum illud jam obtentum est, vel quando id obtineri non potest; sic si preces præcipiantur pro sanitate Regis, cessat finis legis, si Rex convaluerit, aut mortuus sit.

III. Porro finis legis cessare potest "contrariè" vel "negativè" tantùm: et tandem cessare potest finis "adæquatus" seu totalis vel "partialis" tantùm, et tandem cessare potest in "universali" vel in "particulari" tantùm.

Cessat in "universali," quando cessat respectu totius communitatis, vel respectu majoris vel principalioris partis: si tantùm cesset respectu unius vel paucorum de communitate, dicitur cessare in particulari.

Cessat "negativè" seu "contradictoriè," cùm observatio non est ampliùs utilis ad finem, ob quem lex lata est; "contrariè" verò, dum observatio legis noxia est et damnosa.

Cessat "adæquatè," dum cessat quoad omnem finem: "inadæquatè," dum non cessat quoad omnem finem.

An cessante fine cessat lex?

IV. R. 1°. Cessante fine legis totali seu adæquato in universali, sive ille cessat contrariè, sive negativè tantùm, cessat ipsa lex etiam in universali: ratio est, quòd lex tum fiat inutilis communitati saltem respectivè ad id, quod intendebat: sic cessante morbo Regis, cessant preces pro sanitate ejus indictæ: sic etiam per Christi mortem cessavit lex vetus, quia in illo tanquam in figurato impleta est, juxta illud ad Rom. cap. 10. V. 4. "Finis legis Christus."

V. Si cesset finis legis partialis, sive in universali cesset sive in particulari, modò maneat alius finis legis sufficiens, lex nec in universali, nec in particulari cessabit. Sic non cessat lex Baptismi, licèt adultus jam foret justificatus: pariter si, v. g. jejunium sit indictum ad obtinendum finem belli et aeris serenitatem, perseverabit adhuc jejunium durante bello, licèt aeris serenitas jam sit obtenta.

VI. Quinimò, licèt cessaret finis totalis in particulari "negativè," non ideo cessaret lex, nequidem respectu illius particularis, pro quo finis cessat negativè: ratio est, quia inter membra communitatis debet esse conformitas morum et stabilitatis legum.

Deinde leges non feruntur de aliquo opere præcisè, quia in hac vel illa persona illud opus conducit de facto ad bonum commune; sed quia natum est conducere, et ut plurimùm conducit ad bonum commune. Adde, quod alias sequerentur varia incommoda, cùm unusquisque facilè sibi persuaderet, finem legis respectu suî non obtinere. Vide Num. 35.

In re non differunt Herincx, Billuart, et alii quidam volentes, quòd, dum finis lègis cessat tantùm neg. in particulari, revera nunquam cessat totalis finis legis; quia semper manet iste finis, ut sit conformitas inter membra communitatis.

Exempla obvia sunt: sic lex jejunii non cessat respectu illius, qui est sufficienter maceratus: prohibitio librorum hæreticorum non cessat respectu illius, pro quo non est periculum perversionis: impedimentum clandestinitatis non cessat respectu illius, qui procedit sine fraude.

Obj. Cessante fine legis totali in universali negativè, cessat lex in universali: ergo cessante fine totali in particulari negativè, etiam cessabit lex in particulari.

R. Neg. conseq. disparitas data est, scilicet quòd maneat ratio uniformitatis, dum finis legis cessat tantùm in particulari, nulla verò ratio maneat dum cessat in universali.

Aliud est de præcepto alicui particulari dato, quod in simili casu cessare potest; uti et lex innixa falsæ præsumptioni ex dictis Num. 35.

Obj. II. Cessat lex correptionis fraternæ in particulari, dum finis emendationis cessat in particulari: ergo, &c.

R. Neg. suppos. nam talis casus non comprehenditur sub lege correptionis fraternæ, quæ tantùm obligat, dum est spes emendationis.

VII. Cessante fine legis "contrariè," etiamsi in particulari tantùm, cessat ipsa lex: ita si prægnans jejunando

noceret fœtui, cessat finis legis jejunii respectu ipsius contrariè, et proinde legem illam servare non tenetur.

Itaque duo sunt casus, in quibus cessante fine cessat lex, scilicet 1°. Ubi finis legis cessat adæquatè in universali, et tunc lex etiam in universali cessat: 2°. Dum finis legis cessat in particulari contrariè, ipsa lex consequenter etiam in particulari cessat.

An lex jejunii cessat contrariè respectu illius, cui comestio piscium non servit ad macerationem, sed est majus libidinis incentivum?

R. Neg. non enim, inquit Steyaert, lex illa jubet comedere pisces: et qui tum infirmus est, olus manducet: quod si non possit, dispensationi locus erit.

Quænam leges possunt cessante fine cessare?

VIII. R. Lex positiva vetus cessavit priori modo, leges humanæ cessare possunt utroque modo: lex naturæ neutro modo cessare potest, cùm ejus finis sit necessarius.

N. 63. DE DISPENSATIONE IN LEGIBUS.

S. Thom. quæst. 97. art. 4.

I. *Dispensatio* II. *Differt ab epikeia.* III. *Abrogatione.* IV. *Item à licentia.* V. *In quibus legibus detur.*

QUID est dispensatio?

I. R. Est relaxatio legis in casu particulari per authoritatem superioris, manentibus materiâ et lege non mutatis in communi.

II. Notandum 1°. dispensationem supponere obligationem, ad quam tollendam requiritur authoritas Superioris, quod locum non habet in epikeia.

III. 2°. Per dispensationem nihil minui de lege in communi; quia casus dispensatus vi legis adhuc obtinet pro reliquis subditis, vel, si pro hac vice dispensatum sit pro tota communitate, pro omnibus adhuc obtinet in futurum: quod non fit in abrogatione, derogatione aut irritatione legis.

IV. Dispensatio non est propriè dicta licentia; hæc enim legem non relaxat, sed adfert conditionem, quâ positâ, lex nunquam obligavit.

In quibus legibus datur dispensatio?

R. 1°. Non datur in lege æterna et naturali ex dictis Num. 16.

V. 2°. Quoad legem positivam divinam, dicit S. Thom. art. cit. ad 3. quòd in præceptis divinis nullus possit dis-

pensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret: verùm dispensatio illa non præsumitur, nisi miraculis, aut aliâ viâ non minùs efficaci probetur, ut dicit Innocent III. cap. 12. "de Hæreticis" lib. 5. Decret. tit. 7.

Quòd Ecclesia potestatem habeat relaxandi vota et juramenta, probatur ex generali concessione Christi Matth. cap. 16. "Quodcumque solveris super terram," &c. accedit perpetua praxis Ecclesiæ. Non est tamen propriè dicta dispensatio, sed mutatur materia, quatenùs Deus per Superiores Ecclesiæ renuntiat juri suo, sicque spontè cessat obligatio.

3°. In lege humana propriè locum habet dispensatio propter variationem casuum et circumstantiarum, quæ Legislator prævidere non potest.

Quænam requiruntur ad legitimam dispensationem?

R. Hæc tria, authoritas dispensantis, voluntas dispensandi manifestata, et justa dispensandi causa.

N. 64. QUISNAM POSSIT IN LEGE DISPENSARE?

I. *Potestas dispensandi est ordinaria* II. *Vel delegata.* III. *Pontifex dispensat in omnibus, quæ sunt juris Ecclesiastici.* IV. *Episcopus in legibus Synodi Diœcesanæ.* V. *Etiam provincialis.* VI. *Et cum seipso.*

I. PRÆNOTANDUM, authoritatem dispensandi esse duplicem, ordinariam nempe et delegatam.

Ordinaria est, quæ alicui competit ratione officii vel muneris: talem habet Legislator respectu suæ legis, item ejus successor; quia lex ab eorum voluntate pendet. Similiter qui superior est in jurisdictione legislativa, dispensat in lege inferioris vel subalternati Legislatoris: ratio est, quia potestas universalior eminenter continet omnem potestatem inferiorem.

II. Potestas delegata est, quæ alicui competit ex concessione habentis ordinariam prout in hac Patria dispensationes Romanæ in impedimentis matrimonii committi solent Officiali Episcopi.

Ex his deduces sequentia.

III. 1°. Summus Pontifex, cùm sit superior universalis Ecclesiæ, dispensat in omnibus legibus, quæ sunt juris Ecclesiastici; adeoque in legibus suorum prædecessorum Episcoporum, Conciliorum omnium etiam generalium, idque independenter an Pontifex sit supra Concilium; quia equidem juxta omnes est Caput Ecclesiæ, Custos Canonum, et dispensatur totius œconomiæ Ecclesiasticæ.

Dictum est, Pontificem posse dispensare in omnibus, quæ sunt juris Ecclesiastici; nam in illis, quæ sunt fidei vel morum, dispensare non potest, cùm illa sint Juris Divini.

IV. Episcopus Jure ordinario dispensat in legibus Synodi Diœcesanæ, etiam à Pontifice approbatæ, ait Steyaert: sed Diœcesanam Synodum non solere à Pontifice approbari, tradit Bened. XIV. lib. 13. "de Synodo Diœces." cap. 3. Num. 6 et 7.

V. Episcopus etiam pro sua Diœcesi dispensat in legibus Concilii Provincialis, idque ex usu et voluntate ipsius Concilii; quamvis eas abrogare non possit, ut dictum est Num. 58.

Si tamen Synodus Provincialis confirmata foret à Pontifice "in forma specifica," seu in confirmatione essentiali, de qua dictum est Num. mox citato; tunc Episcopus dispensare non posset, ut vult Benedict. XIV. lib. cit. cap. 5. n. 11. ex Fagnano: oppositum tamen videtur verisimilius; nam Pontifex Synodum approbando simul approbare videtur potestatem dispensandi, quam Synodus Episcopis tribuit.

Ordinarius loci, v. g. Episcopus, dispensat etiam in legibus communibus cum vagis in Diœcesi sua existentibus, item cum peregrinis; plerique tamen sustinent, eum cum peregrinis dispensare non posse in votis, juramentis aut aliis impedimentis singularibus; quia hoc nihil confert ad bonum territorii, et dispensationes illæ obreptioni vel subreptioni facilè sunt obnoxiæ: aliud est de vagis, cùm illi nullibi domicilium habeant.

Potestas dispensandi censetur favorabilis, adeoque largæ interpretationis: ast dispensatio, quæ datur privatis, censetur odiosa, unde in dubio est restringenda.

VI. Qui potest dispensare in lege propria vel in lege aliena cum sibi subditis, potest in eisdem legibus dispensare cum seipso; cùm sit pars ejusdem communitatis, nec deterioris conditionis, quam subditi. Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 8. in "Corp."

Inferior non potest dispensare in lege Superioris, nisi ex potestate à Superiore accepta explicitè vel implicitè: et sic Episcopus non potest dispensare in legibus Summi Pontificis vel Concilii generalis, aut Ecclesiæ universalis, nisi id concedat Pontifex, Concilia vel Canones, legitima consuetudo, &c.

N. 65. DE CASIBUS, IN QUIBUS EPISCOPUS DISPENSAT IN LEGE VEL JURE PONTIFICIO.

I. *Episcopus dispensat in legibus pontificiis.* II. *Dum Papa expressè id concedit,* III. *Vel à jure tribuitur,* IV. *Vel consuetudo obtinet,* V. *Aut materia sit levis aut frequenter occurrens.* VI. *In casu necessitatis.* VII. *Item juxta plerosque in dubio.* VIII. *An in iis aliquid possint Pastores.*

QUANDONAM Episcopus potest dispensare in legibus pontificiis aut universalis Ecclesiæ?

I. R. Id potest in his casibus:

II. 1°. Quando Pontifex illud expressè concedit: et sic solent Episcopis Belgii et Germaniæ dari quædam facultates singulis quinquenniis renovandæ, quæ referuntur in Tractatu "de Pœnit." Num. 232.

III. 2°. Quando illud à jure tribuitur, sicut à Tridentino Sess. 24. cap. 6. "de reform." conceditur Episcopis, ut possint dispensare in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepto casu homicidii voluntarii, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.

Etiam Episcopus, ut docent Suarez, Sylvius, Pontius, Reiffenstuel, Collet, &c. potest dispensare, quando lex aut Canon generaliter dicit, posse fieri dispensationem non expressâ personâ: ratio est, quòd id frustra diceretur, si intelligi deberet de potestate pontificia, cùm ipse certè dispensare possit: ergo deferri debet ad Episcopos. Hàc ratione dispensat Episcopus in votis Pontifici specialiter non reservatis.

Id tamen suas patitur exceptiones: et ita Episcopus dispensare non potest, quando ex contextu verborum, stylo curiæ vel consuetudine aliud apparet, ut fit in Conc. Trid. Sess. 24. cap. 5. "de Reform." ubi quamvis Concilium generatim concedat facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii, quando hoc bonâ fide et adhibitis solemnitatibus contractum fuerit, hoc tamen solum Pontificem, non Episcopos concernit.

IV. 3°. Dispensant Episcopi, quando consuetudo legitima id obtinuit, et hâc ratione Episcopi Belgii dispensant in pluribus quàm alii.

V. 4°. Episcopi dispensare solent in legibus Ecclesiæ quoad materias leves aut frequenter occurrentes; nimis enim onerosum foret, in levibus et frequenter occurrentibus

recurrere ad superiorem: sic Episcopi dispensant in observatione jejunii, Festorum, &c.

VI. 5°. Dispensant Episcopi in casu necessitatis, quæ non patitur moram recurrendi Romam vel ad alium authorisatum: hinc dispensat Episcopus quandoque in impedimentis matrimonii, ut dicitur in Tract. "de Matrimonio" Num. 122.

VII. Plerique etiam, ut Sylvius, Layman, Neesen, Reiffenstuel et Fagnanus in cap. VENIENS "de filiis presbyterorum," volunt, Episcopum posse dispensare in casibus, in quibus dubium est, an dispensatio sit necessaria; potest, inquiunt, tunc dispensare ad cautelam; sed Steyaert, quem sequuntur Pauwels et Daelman, hanc conclusionem, ut dubiam tractat: formaliter tamen resolvit, praxim ex consuetudine nota Pontifici excusari posse.

Notant interim Pyrrhus, Corrardus et Sanchez nullibi reperiri, Episcopum eatenùs posse dispensare in casu dubio impedimenti dirimentis matrimonium.

An hæ facultates Episcoporum sunt ordinariæ, an delegatæ tantùm?

R. Juxta Suarez et Reiffenstuel potestas Episcoporum dispensandi quinque posterioribus casibus est ordinaria; quia dicta potestas competit Episcopis ratione sui muneris et officii pastoralis, estque perpetua; unde et eam aliis possunt delegare.

Inferunt, dictam potestatem etiam competere Capitulo "sede vacante:" quia Capitulum "sede vacante" omnia ea exercere potest, quæ jure communi pertinent ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, nisi quæ speciatim jure prohibentur.

An pastores vel alii directores animarum, non habentes jurisdictionem Episcopalem, possunt dispensare in legibus Ecclesiæ?

VIII. R. Neg. aliquid tamen obtinet in Parochiis, præsertim ruralibus, ubi Pastores de consensu Episcopi solent dispensare circa frequentiores casus præceptorum jejunii et festorum; in civitate verò, ubi moratur Episcopus, solet pro esu ciborum vetitorum diebus jejunii recurri ad Episcopum, et pro laboribus servilibus exercendis diebus festis ad Officialem.

Attamen pro dispensatione in jejunio quadragesimali, ut toti Diœcesi liceat esus carnium, recurri debet ad Episcopum, et aliquando ad Sedem Apostolicam cum expositione rationum in locis, ubi Episcopus dispensandi non habet facultatem.

N. 66. DE JUSTA CAUSA DISPENSATIONIS.

I. *Justa causa* II. *Moraliter expendenda.* III. *Dispensatio debet dirigi ad bonum commune.*

QUID intelligitur per justam causam vel sufficientem rationem dispensandi?

I. R. Necessitas aliqua, utilitas vel pietas rationabiliter movens ad dispensandum. Vide Trid. Sess. 25. cap. 18. "de Reformatione."

Quanta debet esse illa necessitas, utilitas vel pietas, ut dispensetur?

II. R. Quantitas illa determinari non potest; sed moraliter est consideranda, attentis circumstantiis legis, personarum, temporis, &c.

Constat, necessitatem tantam esse non debere, ut obligatio legis per se cesset vel tollatur; quia tunc dispensatione opus non est, sed tantùm declaratione vel interpretatione.

Ab alia parte, licèt adsit justa causa certò sufficiens ad dispensandum, non tamen ideo adest causa sufficiens ad agendum contra legem propriâ authoritate; sed ut licitè procedatur, necesse est, ut præcedat dispensatio Superioris, per quam lex relaxetur: et in hoc etiam dispensatio differt ab epikeia et præsumptione licentiæ.

Nota bené, quòd aliquando jus aut lex ad valorem actûs requirat consensum Superioris actualem et explicitum, ita ut tali casu insufficiens et inefficax sit omnis epikeia et præsumptio licentiæ; v. g. ad assistendum matrimonio duorum alterius Parochiæ, pro jurisdictione audiendi confessiones, &c.

III. Monet S. Thom. quæst. 97. art. 4. ad 1. ut dispensatio non fiat in præjudicium boni communis, sed ex intentione, ut ad bonum commune proficiat, et ex alia parte compensetur communi saluti, quod per dispensationem ei subtrahitur. Vide Pauwels "de dispensatione Legum" Num. 46.

Mandat Concil. Trident. Sess. 25. cap. 18. "de Reformatione," ut dispensatio præstetur gratìs, et aliter facta subreptitia censeatur. Ibi tamen non prohibetur, quominùs expensæ solvantur, et quædam compensatio seu eleëmosyna, aut etiam mulcta injungatur.

N. 67. DE DISPENSATIONE DATA SINE CAUSA.

I. *Sine causa dispensans peccat.* II. *Graviter in materia gravi.* III. *Quænam hìc sit materia gravis.*

AN peccat superior dispensans sine causa?

I. R. Affirmativè, quia non est fidelis et prudens dispensator, qualem requirit Christus Dominus Lucæ cap. 12. 2°. Quia abutitur potestate sibi datâ in ædificationem, et eam convertit in destructionem; unde S. Bernardus lib. 3. "de Consideratione" ad Eugenium III. cap. 4. vocat eam crudelem dissipationem.

3°. Quia eximendo eum ab onere communi, qui non erat eximendus, committit vitium acceptionis personarum.

II. Existimat Sylvius, talem de se peccare mortaliter contra justitiam legalem et distributivam, ac contra bonum commune, dum in materia gravi sine causa dispensat; etenim sequitur, aut saltem nata est sequi gravis offensio fidelium: cùm facilè sibi quisque licere persuadeat, quod aliis, quos sine causa ab onere legis solutos videt. Accedit, dispensationem unius sæpius redundare in gravamen aliorum, ut in legibus tributariis.

Hinc infert Collet, eum, qui dispensationem sine causa datam non revocat quoad usum futurum, tamdiu peccare, quamdiu non revocat, sicut fur peccat, quamdiu restituere negligit.

Sanchez putat, Superiorem in propria lege sine causa dispensantem tantùm peccare venialiter: quod verum esse potest in casu, ex quo non sequitur scandalum aut notabile gravamen aliorum, sed ubi potestatem suam solummodo prodigit.

Si materia sit levis, in qua sine causa dispensatur, per se loquendo committitur tantùm peccatum veniale.

Quænam materia hìc reputatur gravis, quæ levis?

III. R. Sylvius gravitatem vel levitatem materiæ repetere videtur ex gravi vel levi prohibitione legis humanæ: Peringuè et Billuart eam desumunt à gravi vel levi turpitudine proveniente ex non conformitate membrorum in observantia legis; adeo ut passim tantùm leviter peccet dispensans sine causa in lege sub gravi obligante, si inde non oriatur gravis difformitas inter membra communitatis.

Hinc deduces, eum, qui dispensationem petit sine legitim causa, conformiter ad prædicta graviter vel leviter peccar quia petendo inducit superiorem ad tale peccatum. Ite ubi ultrò oblatam acceptat, peccat consentiendo et coop

rando peccato alterius: peccat etiam eâ utendo, etiamsi valida sit; quia agit contra jus naturæ dictans, ne unum membrum sine causa sit difforme alteri ejusdem communitatis.

Poterit tamen subditus sæpius excusari, vel quia petit bonâ fide existimans se justam habere causam; vel etsi dubitet, se tamen, et rationes in petendo allegatas, subjicit examini et judicio Superioris.

Notat Steyaert è contrario fieri posse, ut peccet petens, et non dispensans; quia ipsa improbitas petentis et periculum ne rejectus pejùs agat, potest esse justa causa dispensandi, ut sic evitetur majus malum.

Quid judicandum de validitate dispensationis sine causa?

R. Dum inferior dispensat in lege sui Superioris sine justa causa, dispensatio illa est invalida, ex qualicumque potestate dispensaverit, sive ordinariâ, sive delegatâ: ratio est, quia Superior non censetur inferiori concedere potestatem dispensandi sine causa, cùm illam sine peccato concedere non possit.

Hinc sequitur, Episcopum sine justa causa dispensantem in legibus Ecclesiæ aut Pontificis, invalidè dispensare: similiter Pontificem invalidè dispensare in votis et juramentis, dum non adest justa causa.

2°. Superior verisimiliùs dispensat validè, quamvis illicitè in lege sua, prædecessoris et inferioris sine justa causa, dum insufficientiam causæ novit; quia lex non tantùm in fieri, sed etiam in conservari dependet à voluntate Legislatoris: ergo, sicut eam sine causa validè potest abrogare, ita etiam validè poterit aliquem à legis vinculo sine causa eximere: sic Papa validè sine justa causa dispensaret in legibus à se vel à Prædecessoribus suis latis.

Quoad pœnas magis certum est, v. g. Pontificem sine justa causa validè absolvere à Censuris, Irregularitatibus, &c.

Obj. I. Lex lata sine causa rationali et utili bono communi est nulla: ergo dispensatio sine causa rationabili et utili etiam nulla est.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quòd valida legis cessatio non requirat utilitatem boni communis, sicut institutio legis, ad quam necessaria est voluntas Legislatoris et utilitas boni communis; quorum unum si deficiat, lex cessat.

Obj. II. Potestas dispensandi non est data in destructionem, sed in ædificationem: ergo non potest sine causa dispensare; quia sic dispensans utitur suâ potestate ad destructionem.

R. Dist. conseq. ergo non potest sine causa dispensare licitè, conc. totum: ergo non potest sine causa dispensare validè, neg. consequentiam: neque tali casu est potestas, quæ cedit in destructionem, sed abusus potestatis, sicuti contingit in abusu potestatis liberi arbitrii.

Sanctus Bernardus talem dispensationem vocat quidem dissipationem; sed hoc, quia illicita est, non quia invalida: sicuti dicitur de prodigo, quòd sua bona dissipet, etiam dum validè ea elargitur.

Obj. III. Inferior dispensans in lege Superioris sinè justa causa, invalidè dispensat: ergo etiam Superior ipsius, qui est inferior respectu Dei.

R. Neg. conseq. disparitas est, quòd inferior accipiat potestatem restrictam, nimirum dispensandi tantùm, ubi est justa causa: in casu verò, ubi Superior dispensat in propria lege, Deus quidem vult, ut tantùm justâ subsistente causâ dispenset, sed illa voluntas Dei ipsum solum Legislatorem, non legem afficit; nam aliàs diceretur lex divina.

Nota, Concilium Trid. Sess. 25. "de Reform." cap. 18. dicere dispensationem sine causa datam censendam esse "subreptitiam," quia scilicet practicè non potest præsumi, Legislatorem spontè voluisse dispensare sine causa; non enim potest supponi, Superiorem scienter voluisse peccare: hoc tamen non impedit, quin dispensatio sit valida, si Legislator absolutè voluerit dispensare sine causa.

Hinc etiam dictum est supra: "Dum novit insufficientiam causæ;" aliàs enim dispensatio obreptitia vel subreptitia censeretur.

Pro directione conscientiæ videtur cum Layman dispensatio valida, si dispensans nullâ subreptione vel obreptione deceptus, judicet justam adesse causam, licèt erraret; quia tunc habet voluntatem absolutam dispensandi.

N. 68. DE DISPENSATIONE SUBREPTITIA ET OBREPTITIA.

I. *Dispensatio subreptitia.* II. *Obreptitia.* III. *Causa finalis.* IV. *Stylus Curiæ.*

QUÆNAM dispensatio dicitur subreptitia?

I. R. Illa, quæ obtenta est per subticentiam veri, quod ex natura vel convenientia rei, aut ex stylo curiæ exprimi debeat.

II. Obreptitia dicitur, quæ obtinetur per narrationem falsi. In jure tamen obreptio et subreptio sæpe confunduntur.

Subreptio vel obreptio potest intervenire circa tria: 1°. Circa causam finalem dispensationis. 2°. Circa causam impulsivam. 3°. Circa ea, quæ requiruntur de jure vel stylo curiæ.

Quænam dicitur causa finalis dispensationis?

III. R. Illa, quæ principaliter movet superiorem ad concedendam dispensationem; ita ut, illâ sublatâ, dispensatio vel nullo modo fuisset data, vel non sine onere et compensatione, aut saltem non in tali forma. Vocatur etiam causa motiva.

Impulsiva dicitur, quæ quidem allicit Superiorem ad faciliùs gratiam concedendam, sed quâ sublatâ, equidem absolutè et in eadem forma eam concederet.

Utriusque causæ exemplum sit hoc: quis dat eleëmosynam pauperi, quam eò libentiùs impertit, quia existimat eum probæ vitæ: paupertas est causa finalis, et probitas causa impulsiva.

IV. Stylus Curiæ dicuntur conditiones illæ et regulæ, quæ in dispensatione petenda et concedenda observari debent.

Requisita ex stylo curiæ pro dispensationibus matrimonialibus vide in Tract. "de Matrim."

Nota in communi dispensatione, quæ conceditur ob causas seu rationes propositas, exprimi, vel saltem subintelligi debere hanc clausulam: "Si preces veritate nitantur." His positis quæritur:

N. 69. AN DISPENSATIO OBREPTITIE VEL SUBREPTITIE OBTENTA SIT VALIDA?

I. *Sententia Steyaertii.* II. *Sententia Sanchez.* III. *Sententia Reiffenstuel.* IV. *Quæ præfertur.* V. *Quid dum una causa finalis est vera, altera falsa.* VI. *Subreptio in stylo curiæ vitiat.* VII. *Quid faciat error in nomine.* VIII. *Causæ Romæ additæ.* IX. *Debent verificari.*

I. RESP. Variant Authorum opiniones: Steyaert, Daelman et alii apud Sanchez lib. 8. "de Matrim." disp. 21. generaliter dicunt dispensationem esse invalidam, sive subreptio aut obreptio sit circa causam finalem, sive circa impulsivam tantùm. Ratio illorum est, quòd hæc conditio:

"Si precés veritate nitantur," sit generalis, et quòd hæc particularis dispensatio non aliter data censeatur.

Nec obest, inquiunt, quòd nihilominus data fuisset dispensatio sinè ista causa impulsiva; quia equidem jam non sic data est, et insuper sæpe nescitur, quænam causa apud dispensantem habita sit ut finalis: verùm dici potest, ex usu causas illas aliquatenùs cognosci.

II. 2°. Layman, La Croix, et plurimi alii cum Sanchez respondent distinguendo, scilicet dispensationem esse invalidam, si obreptio vel subreptio sit circa causam finalem: validam verò, si tantùm sit circa causam impulsivam. Prior pars certa est. Pro secunda parte dicunt, quòd, cùm Superior equidem rectè et licitè dispensasset, et ad dispensandum motus fuerit sufficienti ratione, illa obreptio vel subreptio ejus valorem non tollat.

Ad clausulam: "Si preces veritante nitantur:" respondent, eam intelligi de causa finali.

Quantùm ad jus naturæ hæc sententia videtur satis recta, non quantùm ad jus positivum; sicut contractus ex errore circa causam impulsivam jure naturæ subsistit.

III. 3°. Van Roy, Bossuyt, Reiffenstuel et alii duplici distinctione nituntur quoad dispensationes et rescripta Pontificia, et dicunt, dispensationem semper esse invalidam, si subreptio vel òbreptio sit circa causam finalem, etiamsi illa subreptio vel obreptio accidisset per simplicitatem vel ignorantiam sinè ulla culpa.

Si autem illa subreptio vel obreptio sit circa causam impulsivam tantùm, subdistinguunt: nempe vel facta est per simplicitatem aut ignorantiam, et tunc dispensatio erit valida, modò sufficiens causa finalis subsistat: vel facta est per fraudem aut malitiam, et tunc dispensatio erit invalida, licèt sufficiens causa finalis subsistat, idque non ex jure naturæ, sed ex jure positivo in perversitatis pœnam. Vide cap. 20. SUPER LITERIS lib. 1. Decret. tit. 3. ex quo hæc distinctio desumpta est.

IV. Hanc tertiam sententiam multi amplectuntur: eamque secuti sumus in Tr. "de Matrim." N. 127.

Quid si pro dispensatione allegatæ fuerint duæ causæ finales, una vera, altera falsa, et sic impetrata sit dispensatio?

V. R. Si neutra causa finalis se solâ sufficiat, sed tantùm simul junctæ, dispensatio erit nulla: si autem vera causa se solà sufficiens est, Sanchez, Bonacina, Sylvius, &c. dispensationem putant validam: atque hæc sententia, siquidem non ex fraude vel malitia, sed ex simplicitate vel ignorantia hoc contigerit, satis apparet probabilis ex præcitat

cap. Super Literis: Pontas eam reputat invalidam, quia licèt dispensatum fuisset propter causam veram, si sola fuisset exposita, equidem de facto dispensatum est propter utramque simul: unde dispensatio saltem videtur dubia, ac adeo eâ uti non licet. Vide "de Matrimonio" Num. citat.

VI. Quando subreptio committitur circa illa, quæ absolutè requiruntur de jure, vel ex stylo curiæ illius, in qua dispensatur, dispensatio erit invalida, idque ex positiva voluntate dispensantis, qui absolutè non intendit dispensare, nisi stylus istius curiæ vel jus illud observetur, licèt causa finalis sufficiens subsisteret, et stylus ille inculpabiliter ignoretur. Vide plura huc spectantia Num. 128. et sequentibus "de Matrimonio."

An omnis falsitas exposita vel veritas occultata, etiam per fraudem, facit dispensationem obreptitiam vel subreptitiam?

R. Negativè, dum nempe veritas aut falsitas illa est extrinseca et impertinens ad causam dispensandi: v. g. si in supplica dicatur, supplicantem esse consanguineum dispensantis, vel taceatur, supplicantem non esse timoratum, licèt fortè superior non dispensasset, si illa cognovisset.

An error in nomine aut prænomine supplicantis vitiat dispensationem?

VII. R. Omnes resolvunt, ab errore isto de jure eam non vitiari, modò satis constet de persona: Pyrrhus tamen docet, ex stylo Curiæ Romanæ errorem nominis dispensationem vitiare, quod De Justis et La Croix restringunt ad dispensationem in forma pauperum. Vide Num. 128. "de "Matrimonio."

Quid judicandum, dum in rescripto dispensationes Romæ adjunguntur falsæ causæ, seu rationes, quas supplicans non exposuit?

VIII. R. Id nunquam fieri ab ipso Pontifice vel ab Officio dispensante, sed aliquando ab ipsis "agentibus" in Curia Romana contra voluntatem Pontificis; unde Pius V. et Benedictus XIV. decrevêre, tales puniendos ut reos de crimine falsi.

IX. Dum autem illud fieret, tunc rationes illæ etiam deberent verificari coram Commissario, Officiali, vel Confessario dispensante; aliàs dispensatio foret nulla: error tamen in proëmio rescripti illud non semper vitiat.

Expone præcipua in exemplo.

R. Supponatur, Joannem Diaconum ad impetrandum dispensationem in ordine ad contrahendum matrimonium

exposuisse, 1°. Per illud futurum in regno hæredem Catholicum, ubi alias succederet hæreticus: 2°. Suam fragilitatem ad conservandam castitatem, et 3°. Se non habere beneficium ex quo sustentetur.

Causa finalis in hac dispensatione est hæres Catholicus, causa impulsiva potest esse fragilitas, sed carentia beneficii est quid impertinens.

Adeoque si prima ratio falsa sit, dispensatio juxta omnes erit invalida; quia est obreptio circa causam finalem: si tertia ratio allegata sit falsa, dispensatio non erit idcirco invalida, quia est falsitas impertinens: si allegatum secundum sit falsum, verisimiliùs est distinguendum cum Authoribus tertiæ sententiæ supra.

N. 70. AN, CESSANTE CAUSA DISPENSATIONIS FINALI TOTALI, ETIAM DISPENSATIO CESSET?

I. *Cessante causâ ante datam dispensationem, hæc nulla est.* II. *Non, si cesset post effectum irrevocabilem.* III. *Casus controversus.*

I. RESP. Distinguendo: si tota causa finalis cesset, ita ut non maneat justa causa sufficiens, antequam data sit dispensatio, vel eo tempore, quo fiebat legis relaxatio, dispensatio cessat, seu potiùs nulla est, etiamsi causa substitisset, dum petebatur; quia sinè causa data est: sic si petatur dispensatio, ut proles nata legitimetur, proles autem moriatur ante dispensationem datam vel ante executionem Literarum per Commissarium, dispensatio nulla est.

Si verò non esset nata proles, dum petebatur dispensatio, sed nascatur ante executionem Literarum, dispensatio est valida, inquiunt Pyrrhus et Reiffenstuel, eò quòd dispensatio hodiedum dari soleat in forma commissoria, sicque non sit vera dispensatio, nisi quando executioni mandatur, unde sufficit, tunc causas verificari. Pontius tamen et De Justis docent, secundùm usum Curiæ Romanæ causas debere subsistere, dum rescriptum dispensationis Romæ expeditur, pro quo Collet adfert lib. 1. "de dispensationibus" c. 6. rescriptum sibi Româ, datum 19. Januarii anno 1741. Unde si proles nata sit ante rescriptum Pontificis, valet dispensatio; secùs dicendum, si post rescriptum, etsi ante executionem Literarum.

II. Quòd si causa finalis solùm cessat post actum dispensationis validæ, subdistinguendum est: vel dispensatio

jam habuit suum effectum irrevocabilem, aut saltem non commodè revocabilem, et hoc casu non cessat dispensatio: sic aliquis licitè perseverat in matrimonio cum dispensatione ad legitimandam prolem contracto, licèt proles moriatur; vel alia ratio finalis cesset post contractum matrimonium.

Vel dispensatio est implicitè aut explicitè conditionata et restricta ad tempus, quo causa subsistet; et tali casu cessante causâ, cessat dispensatio. Patet ex dispensatione pro esu carnis in quadragesima ob infirmitatem, quæ cessat cessante infirmitate; quia materia est divisibilis, et dispensatio implicitè conditionata.

His tanquam certis præsuppositis, quæstio controversa superest, an dispensatio legitimè data stante justâ causâ, cesset, si cesset causa, priusquam impetrantes dispensatione utantur: v. g. dispensatum est cum consanguineis, ad matrimonium contrahendum ob solam prolis legitimationem, et hæc ante contractum matrimonium moritur.

III. R. Steyaert, Neesen, Sanchez et Marcus Paulus Leo docent, dispensationem illam cessare, adeoque matrimonium iniri non posse; quia prole mortuâ, dispensatio non fuisset concessa: ergo nec rationabilitur continuatur, cùm res adhuc sit integra seu matrimonium necdum contractum. Deinde cessante causâ, cessat effectus.

Suarez, Sylvius, Daelman, Billuart, Collet, &c. docent hanc dispensationem non cessare; quia obligatio semel absolutè extincta non reviviscet sinè novo Legislatoris actu. Deinde, ut habet regula 37. juris in 6. "Factum legitimè, "retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo "non potuit inchoari."

Obj. Cessante causâ, cessat effectus: ergo, &c.

R. Dispensatio non pendet à justa causa in conservari, sed liberatio à lege perseverat, donec eam Legislator per actum contrarium tollat, cùm non sit conditionata.

Instabis: continuatio dispensationis sinè causa est illicita, quia concessio dispensationis sinè causa est illicita: ergo Superior censendus est tantùm dispensasse sub conditione, si causa perseveraret.

R. Neg. antec. Disparitas est, quia continuatio dispensationis non est aliquis novus actus, sed ipsa concessio non revocata, quæ cùm fuerit legitima, talis erit etiam continuatio: neque alia videtur mens dispensantis.

Hæc secunda sententia est quidem probabilior, sed tamen non videtur practicè certa: Hoc certum est, cessante causâ impulsivâ tantùm, non cessare dispensationem: idemque videtur dicendum, si causa finalis pro parte tantùm cesset.

Nota, dispensationem cessare posse aliis modis, ut per revocationem Superioris, et per renuntiationem dispensati: hæc tamen renuntiatio acceptari debet à Superiore, si onus, in quo est dispensatum, non pendeat à voluntate dispensati; quòd si inde pendeat, ut v. g. votum, sufficit renuntiatio etiam merè interna. Item cessare potest ob defectum conditionis requisitæ vel non adimpletæ.

An executio dispensationis expiret morte concedentis vide apud Sanchez lib. 8. disputat. 28. Heriacx "de Privilegiis" disputatione 8. La Croix. Hæc quæstio præcipuè versatur circa dispensationes obtentas in dataria, quæ morte Pontificis expirat; quantùm ad pœnitentiariam, hæc non extinguitur, ut proinde mortuo Pontifice dispensationes in ea obtineri et obtentæ executioni mandari valeant.

N. 71. DE PRIVILEGIIS.

I. *Privilegium.*

QUID est privilegium?

I. R. Est constitutio Principis continens specialem favorem præter vel contra jus commune. Est jus quoddam instar legis stabile; unde vocari solet lex privata, "etymologicè" privatio legis.

Privilegium aliud est personale, quod immediatè conceditur personæ, et ratione ipsius personæ; cujus signum est, si persona illa nomine suo proprio exprimatur.

Aliud reale, quod immediatè conceditur rei, loco, officio: ut dignitati, ratione cujus redundat in personam, ad quam illa res, officium, &c. pertinent: sic si detur licentia benedicendi Vestes Sacerdotales Joanni, qui est Plebanus, est privilegium personale; si autem detur Plebano vel Plebanatui, est reale et devolvitur ad successores.

Privilegia, quæ certo hominum generi vel communitati alicui conceduntur, ut minorennibus, Academiis, &c. realia reputantur, unde et transeunt ad successores.

Aliud privilegium dicitur contra jus, quod derogat juri communi vel alicujus tertii, ut sunt exemptiones Religiosorum: aliud præter jus, quo conceditur facultas aliqua illis, quibus illa de jure non competit, sed sine ullius damno, neque contra aliquam legem: tale est privilegium absolvendi à reservatis.

Quomodo fieri debet privilegiorum interpretatio, restringendane sunt, an amplianda?

R. 1°. Privilegium derogans juri communi regulariter reputatur odiosum, adeoque est retringendum; nisi cederet in favorem Reipublicæ aut Religionis, vel motu proprio foret concessum, ut latè probat Suarez. lib. 8. "de Legibus" cap. 27. hinc privilegia privatis data contra legem communem censetur regulariter odiosa, ut dictum est Num. 56.

Verùm privilegia, quibus Religiosi eximuntur à jurisdictione Ordinariorum contra jus commune, à multis reputantur favorabilia Religioni, ac adeo amplianda: ast utrum ista exemptio non plus noceat Religioni, quàm prosit, meritò dubites. Certè S. Bernardus lib. 3. "de Considera- "tione" ad Eugenium III. cap. 4. in exemptiones illas tanquam Ecclesiæ et ipsis etiam Religiosis plurimùm nocivas, vehementissimè invehitur.

2°. Privilegium præjudicans juri alicujus tertii, sub ea ratione odiosum est et consequenter restringendum.

3°. Privilegium, quod solùm est præter jus, censetur favorabile, et proinde ampliandum.

Nota, privilegia inserta juri communi non haberi ut jus privatum, sed ut commune; unde et regulas juris communis sequuntur. Vide quæ de Interpret. Legum dicta sunt supra Num. 56.

Quomodo privilegia acquiruntur?

R. Per specialem concessionem Superioris.

2°. Per ipsum jus ratione statûs, conditionis, loci, &c.

3°. Per consuetudinem.

4°. Per acquisitionem rei, officii, &c. cui privilegium annexum est.

Quomodo privilegia cessant seu amittuntur?

R. 1°. Privilegium personale extinguitur morte privilegiati: reale verò amittitur per amissionem rei, et desinit per interitum rei, cui annectebatur.

2°. Privilegia gratuita, non concessa ex contractu oneroso, possunt cessare per abrogationem aut revocationem Superioris: quòd si privilegium sit onerosum aut remuneratorium, revocari nequit, nisi gravis interveniat causa, et fiat compensatio.

Notandum, per legem posteriorem non derogari privilegiis in jure communi non contentis, nisi clausula derogatoria exprimatur: verùm per legem posteriorem generalem derogatur privilegiis in jure communi contentis, inquantùm lex illis contraria est, etsi id non exprimat; quia, ut dictum est, hæc privilegia regulas juris communis sequuntur. Vide Num. 58.

3°. Per renuntiationem privilegiati, dum nempe renuntiare valet; nam, si privilegium non respiciat solius privilegiati commodum, sed commune, non valet renuntiatio: et ita Clericus non potest renuntiare privilegio canonis.

4°. Per consuetudinem contrariam, si privilegium cedat in gravamen aliorum.

5°. Per illius abusum, accedente sententiâ Judicis.

6°. Cessante causâ finali contrariè, aut deficiente aliquâ conditione requisita.

Nota in hac parte regulam 16. Juris in 6. "Decet "concessum à Principe beneficium esse mansurum: unde "deducitur, privilegium regulariter non cessare morte "concedentis."

Nota 2°. hanc propositionem Num. 76. inter damnatas ab Alexandro VII. "Regulares possunt in foro consci-"entiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per "Conc. Trid."

Nota 3o. Urbanum VIII. revocasse omnia privilegia vivæ vocis oraculo quibuscumque personis concessa. Ita La Croix.

N. 72. DE CESSATIONE LEGIS PER MUTATIONEM MATERIÆ VEL SUBJECTI, PER IMPOTENTIAM, &c.

I. *Cessat lex per mutationem materiæ,* II. *Et subjecti.* III. *Item ob impotentiam vel necessitatem,* IV. *Et quandoque ob minores causas.*

QUOMODO potest lex cessare per mutationem materiæ?

I. R. Ex eo, quòd materia legis sit illicita aut impossibilis, v. g. si quis die Festo sit in loco, ubi nusquam Missa celebratur: et quidem si legis materia constanter et in communi fiat impossibilis, illicita aut inutilis, cessabit lex in universali.

Quomodo cessat lex per mutationem subjecti?

II. R. Ex eo, quòd subditus secundùm aliquid mutatur, v. g. si desierit esse subditus mutando locum, respectu legis localis; vel aliter desierit esse pars communitatis, aut illius qualitatis et conditionis hominum, pro quibus lex erat posita: ut si quis desinat esse miles, liberatur à legibus militaribus: si quis fiat Religiosus, liberatur à lege, v. g. excubiarum, &c.

Quomodo cessat lex per impotentiam vel necessitatem?

III. R. Ob similia lex cessat, quatenùs impotentia aut necessitas excusat à formali legis transgressione, juxta hæc axiomata: "ad impossibile nemo tenetur; et, "necessitas non habet legem." Ita infirmus excusari potest ab auditione Missæ die festo, et fur à restitutione.

IV. Imò quædam leges positivæ, quatenùs sunt tantùm præcipientes aut prohibentes, non "irritantes," ob minores causas cessant, v. g. ob extraordinariam magnamque difficultatem adimplendi legem, ob damnum vel incommodum notabile in fama aut bonis imminens ex observatione legis, ob periculum mortis, morbi, &c. Vide Num. 45.

An peccat ille, qui se voluntariè reddit impotentem, vel ponit aut non tollit impedimentum adimplendi legem?

R. Distinguendo: si illud faciat ex justa causa, non peccat: sic potest quis licitè ex justa causa aggredi iter per mare, ubi non erit occasio audiendi Missam die Festo.

Si autem illud faciat sine justa causa, peccat; ut si quis dilapidando pecuniam se reddat impotentem ad restituendum, solvenda tributa, &c. pariter peccant excommunicati, qui præ negligentia sibi non procurant absolutionem ad Sacrum, v. g. audiendum diebus Festis et Dominicis, ad communicandum in Paschate, &c. Ratio est, quòd lex obligat etiam ad media ordinaria adhibenda, et impedimenta voluntaria removenda.

N. 73. AN, CESSANTE PARTE LEGIS, CESSET TOTA LEX?

RESP. Distinguendo: si res præcepta sit moraliter individua, cessante parte legis, cessat tota lex: atque ita qui integrè non potest confiteri, extra necessitatem non debet confiteri partem.

Si verò res præcepta sit divisibilis, cessante una parte legis, non ideo cessabit tota lex: sic, licèt lex jejunii cesset quoad eam partem, quâ prohibet plures refectiones, non ideo cessabit quoad aliam partem, quæ vetat esum carnis: similiter qui debet 100. quæ solvere non potest, tenetur ad 20, si possit: "Hinc damnata est hæc propositio ordine 54. ab Innocentio XI. "Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem."

Axiomata illa: "Major pars trahit ad se minorem, et "accessorium sequitur suum principale," tunc tantùm vera sunt, dum ista sunt inter se indivisè connexa, et eadem est utriusque ratio: hìc autem non est eadem utriusque ratio, neque indivisè connectuntur.

Notandum tamen, hìc non esse scrupulosè procedendum, sed debere intelligi de parte aliquo modo notabili in eadem materia, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur.

Deinde, cùm sæpe difficillimum sit determinare, an et quousque quis legem servare possit, v. g. infirmus: ad gravissimos conscientiæ scrupulos evitandos, jure præsumitur de mente æqui Legislatoris, eum ad partem, dum ita rigorosè quæri debet, obligare non velle.

N. 74. REPETITIO BREVIS.

QUOMODO cessat lex?

R. 1°. Per abrogationem cessat tota lex in universali.

2°. Per irritationem cessat lex vel pars legis in universali.

3°. Per derogationem cessat pars legis in universali.

4°. Per Epïkeiam cessat lex in particulari casu.

5°. Per consuetudinem cessat lex vel pars legis in universali, idque dupliciter, scilicet viâ conniventiæ, et viâ præscriptionis.

6°. Cessante fine legis totali in universali, cessat etiam lex in universali.

7°. Cessante fine legis totali in particulari contrariè, cessat etiam lex in particulari.

8°. Per dispensationem cessat lex tota vel ejus pars respectu illorum, quibuscum est dispensatum.

9°. Per Privilegium cessat tota lex vel ejus pars respectu privilegiati.

10°. Per mutationem materiæ vel subjecti desinit lex obligare.

11°. Leges non irritantes cedunt necessitati, sive leges humanæ non obligant cum periculo vitæ, neque etiam communiter cum periculo minoris damni, exceptis casibus Num. 45.

Quotuplici modo lex humana constituitur?

R. Duplici, 1°. Per expressam voluntatem Legislatoris, aut communitatis, ubi hæc est superior: 2°. Per consuetudinem tum viâ conniventiæ, tum viâ præscriptionis.

Quandonam quis incipit lege obligari?

R. Dum lege debitè promulgatâ, quis incipit esse subditus Legislatori in materia istius legis, sive id fiat ratione loci, sive ratione alterius conditionis. Vide Num. 24. et sequentes.

QUÆSTIO VIII.

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

N. 75. DE LEGE VETERI.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 98.

I. *Lex positiva divina.* II. *Lex vetus* III. *Habet Deum authorem.*

QUID est lex positiva divina?

I. R. Est lex, quæ à libera Dei voluntate immediatè procedit.

Dividitur apud S. Thomam, quæst. 91. art. 5. in Corp. sicut perfectum et imperfectum, in legem novam et veterem.

Quænam dicitur lex vetus?

II. R. Strictè sumpta describi solet: "Lex à Deo data "per Moysen populo Israëlitico:" vocatur vulgariter VETUS TESTAMENTUM.

Lex vetus sic sumpta complectitur tempus circiter 1500 annorum, quod effluxit à data lege per Moysen, usque ad adventum Christi Domini.

Si lex vetus latiùs sumatur, comprehendit omnia præcepta, quæ Deus ante Christi adventum tradidit homini lapso, sive ante sive post Moysen.

Tempus, quod effluxit à lapsu Adami usque ad legem Moysi datam in monte Sinaï, complectitur tempus circiter 2500 annorum juxta textum Hebraïcum, sed juxta Græcum ferè 4000. Vocatur communiter tempus legis naturæ; quia non erat quædam lex Religionis solemniter edita: licèt leges quædam positivæ divinæ datæ fuerint, v. g. Noë de non edendo carnem cum sanguine, et Abrahamo de Circumcisione; similiter videntur fuisse quædam leges circa Sacrificia offerenda, cùm esset discretio inter animalia munda et immunda, item circa remedium adhibendum contra peccatum originale.

Quis est author legis veteris?

III. R. De fide est contra Manichæos aliosque hæreticos, solum Deum esse authorem legis veteris; unde dicit Christus Matth. cap. 15. V. 6. "Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram."

Hæc lex quoad omnes suî partes Deum habet immediatum Authorem et Legislatorem; sed Angeli tanquam proximi Dei Ministri eam Moysi tradiderunt, juxta illud Actorum cap. 7. V. 53. "Accepistis legem in dispositione Angelorum:" Moyses autem illam annuntiavit et promulgavit populo.

Obj. I. Christus Matth. cap. 8. V. 4. dicit: "Offer munus, quod præcipit Moyses:" ergo, &c.

R. Præcepit Moyses tanquam Dei Minister, populo legem promulgando, quam Deus condiderat.

Obj. II. Matth. cap. 19. V. 8. dicit Christus: "Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras:" ergo hæc lex fuit à Moyse.

R. Permisit illud Moyses authoritate Dei Legislatoris, non authoritate propriâ. Ex his colligitur, quo sensu lex vetus dicatur Mosaïca.

Obj. III. Ad Hebr. cap. 1. dicit Apostolus: "Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio:" atqui in Filio locutus est tanquam in Legislatore: ergo et in Prophetis tanquam in Legislatoribus.

R. Sufficit comparatio in aliquibus, nec debet esse in omnibus: est ergo paritas in officio promulgandi, cum quo consistit, Filium promulgasse legem suam propter identitatem naturæ divinæ; Prophetæ autem per varias multiplicesque figuras, visiones et oracula à Deo authore accipiebant mandata proponenda populo.

Obj. IV. Finis legis divinæ est salus animarum et felicitas æterna, ut docet S. Th. q. 98. art. 1. in "Corp." atqui finis legis veteris erat merè temporalis; nusquam enim lex proponit præmia æterna, sed tantùm temporalia: ergo illa lex non fuit à Deo.

R. Neg. subs. nam finis proximus legis veteris fuit instruere populum Dei, eum retrahere à peccatis et instituere in cultu veri Dei: hæc autem conducunt ad felicitatem æternam, quæ erat finis ultimus, quem Deus per illam legem intendebat, ut patet Matth. cap. 19 ubi cuidam interroganti, "Quid faciam, ut habeam vitam æternam?" Christus respondet: "Serva mandata," apertè significans, eum per observantiam mandatorum legis posse consequi vitam æternam, adeoque legem ad finem vitæ æternæ ultimatè esse ordinatam: non quòd esset medium per se necessarium aut sufficiens ad salutem, cùm gratiam non daret; sed saltem erat medium aliquale licèt imperfectum, inquantùm viam salutis ostendebat. Nec obstat, legem strictè sumptam non proposuisse præmia æterna, sed solùm tem

poralia: nam hoc ideo factum est, quòd temporalia essent magis proportionata carnali isti populo; deinde, quia vita æterna non erat præmium operum legis, sed operum gratiæ sicque promissio vitæ æternæ non ad veterem, sed ad novam legem pertinebat.

Sed cum his bene consistit, homines sub lege veteri constitutos habuisse promissionem vitæ æternæ, non quidem ex lege, sed ex Patribus seu ex traditione; ab initio enim mundi illa promissio fidelibus facta est et per traditionem ad Judæos pervenit, ut colligitur ex Tob. cap. 2. Isai. cap. 64. Dan. cap. 12. Sap. cap. 5. variisque aliis locis, quod clarè Apostolus confirmat ad Heb. cap. 11. enumerans longam seriem justorum ab Abele incipiens, et per Patriarchas progrediens usque ad Prophetas, quas omnes dicit operatos fuisse intuitu vitæ æternæ. Vide Suarezium lib. 9. "de Lege divina," cap. 3 et 6.

N. 76. DE BONITATE ET SUBJECTIS LEGIS VETERIS.

S. Thom. quæst. 98. *art.* 1 *et* 4.

AN lex vetus fuit bona?

R. Affirmativè, estque de fide contra Simonem magum et Manichæos; nam juxta dicta Num. præcedenti, data est à Deo ad instructionem populi Judaïci, et ad Rom. cap. 7. V. 12. dicitur: "Lex sancta et mandatum sanctum;" deinde Christus eam verbis et etiam factis, dum nempe eam observavit, docuit esse bonam.

Obj. Ad Romanos c. 4. V. 15. de lege veteri dicitur: "Lex iram operatur;" 2. ad Corinth. c. 3. V. 7. et 9. vocatur: "Ministratio mortis et damnationis;" et V. 6. dicitur: "Litera occidit:" ergo, &c.

R. Cum S. Thoma art. 1. ad 2. quòd lex vetus illa fecerit, non effectivè et causaliter, sed occasionaliter; sicut mandata Superiorum sæpe sunt occasio peccati; etenim ex cognitione legis, quæ non conferebat gratiam, concupiscentia fræni impatiens crevit juxta hoc vulgatum:

"Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata."

Occasio autem hæc fuit non data, sed accepta ab hominibus.

Quinam subjecti erant legi veteri?

R. Lex illa data erat soli populo Israelitico, et solus ille populus per se lege illâ ligabatur: per accidens autem obligabantur etiam Proselyti sive Gentiles illi, qui per circumcisionem populo Judaïco erant adscripti.

Hinc notandum, legem Mosaïcam non fuisse universalem, ac Ecclesiam universalem tunc formatam fuisse partim ex Judæis, partim ex Gentilibus incircumcisis. Et ita Job, Naaman Syrus, et alii fuerunt cultores Dei et fideles.

Obj. Gentiles debebant observare Decalogum æquè ac Judei : ergo legi veteri subjiciebantur.

R. Dist. anteced. Gentiles debebant observare Decalogum et præcepta moralia, quatenùs erant legis naturæ, cujus præceptis omnes homines subjiciuntur, conc. antec. quatenùs spectabant ad legem Mosaïcam, neg. antec. Unde ait S. Thom. art. 4. in "Corp." quantùm ad illa, quæ lex vetus superaddebat (legi naturæ) non tenebantur aliqui ad observantiam legis veteris, nisi solus populus Judæorum.

Inferes : ergo non erat ratio, cur Gentilis fieret Proselytus, cùm lex esset merum onus.

R. S. Thom. ibid. ad 3. Gentiles perfectiùs et securiùs salutem consecutos fuisse sub observantiis legis, quàm sub sola lege naturali : nunc Laïci transeunt ad Clericatum et Sæculares ad Religionem, quamvis absque hoc possunt salvari.

Nota ex S. Thom. art. 1. ad 3. quòd quamvis lex vetus gratiam non conferret, tamen hominibus sub lege constitutis non deesset gratia, per quam salvari poterant ; et sic Deus non deficiebat hominibus, quia eis daret auxilia salutis.

Conclude, legem veterem quà talem, non fuisse necessariam necessitate medii ad salutem, sicut lex nova necessaria est.

N. 77. DE VARIETATE PRÆCEPTORUM LEGIS VETERIS.

S. Thom. quæst. 99.

I. *Cæremonialia,* II. *Et Judicialia.*

QUOTUPLICIA erant præcepta legis veteris ?

R. Triplicia, nempe moralia, cæremonialia et judicialia.

Moralia dicebantur præcepta legis naturæ, etiam illa, quæ mediatè et remotè ad legem naturæ reducuntur : et ita præcepta actuum Fidei, Spei et Charitatis, aliarumque Virtutum supernaturalium præceptis moralibus annumerantur ; quia naturalis lex supernaturali lumine illustrata dictat, præfatos actus esse frequentandos.

Quæstione 100. art. 3. in "Corp." docet S. Th. Deca logum convenienter componi ex secundariis juris natur

principiis, non ex primis; quia hæc hominibus sunt satis nota: non etiam ex remotioribus, ne multiplicitas præceptorum pareret confusionem.

Docet insuper eodem loco, omnia præcepta moralia contineri in præceptis Decalogi; nam illa, quæ sunt prima et communia, continentur in eis, sicut principia in conclusionibus proximis; remotiora autèm è converso continentur in eis, sicut conclusiones in suis principiis: et ad 1. addit, tali sensu omnia præcepta referri posse ad duo præcepta, charitatis Dei videlicet et proximi, ex quibus dicitur universa lex pendere.

I. Præcepta cæremonialia erant, quibus certi ritus ad cultum divinum ordinati præscribebantur, cujusmodi erant præcepta de Sacrificiis, Sacramentis et Festivitatibus.

II. Judicialia vocabantur, quæ modum justitiæ administrandæ et servandæ inter homines determinabant: alia erant Principum ad subditos, alia subditorum ad invicem: quædam populi Israelitici ad extraneos, quædam ad domesticos.

N. 78. DE DECALOGO.

I. *Decalogus*, II. *Habet decem præcepta.* III. *Primum præceptum.* IV. *Non habebis Deos alienos.* V. *Coram me.* VI. *Non facies, &c.* VII. *Ergo sum Dominus Deus tuus.* VIII. *Secundum præceptum.*

QUID est Decalogus?

I. R. Est collectio seu Summa præceptorum, quæ à Deo fuerunt tradita, et tabulis lapideis insculpta.

Quænam sunt præcepta Decalogi?

R. Illa, quæ Exodi cap. 20. et Deut. cap. 5. enumerantur: "Ego sum Dominus Deus tuus," &c.

Quot sunt præcepta Decalogi?

II. R. Certum est esse decem; sed de divisione eorum varias opiniones refert S. Thom. q. 100. art. 4. in "Corp." et tandem ex S. Aug. q. 71. in Exodum concludit, meliorem esse illam distinctionem, quâ præcepta, quæ hominem ordinant ad Deum, dicantur esse tria, et cætera, quæ hominem disponunt rectè ad suum proximum, ponantur esse septem.

Hic computandi modus hodiedum est usitatus, et conformis Catechismo Romano: atque hinc communiter sustinetur primæ tabulæ insculpta fuisse tria priora præcepta, et secundæ septem posteriora.

Quodnam est primum Decalogi præceptum?

III. R. Primum et maximum est hoc: "Non habebis "Deos alienos coram me," &c.

Quid prohibetur hoc præcepto?

IV. R. Prohibetur quodcumque aliud præter Deum verum pro Deo habere; et quocumque modo alteri rei tribuere id, quod soli Deo convenit: particulæ enim, "Deos "alienos," æquivalent his, "Deos alios," ut patet ex textu Hebræo et Græco.

Prohibetur itaque hoc præcepto Idololatria, divinitatis et omnis cujuscumque nominis superstitio.

V. Additur "coram me:" quod denotat Deum ubique esse præsentem, et simul magnam habet emphasim ad significandum, injuriam illam augeri ex eo, quòd fiat palam et directè in Dei præsentia.

Quid prohibet hæc pars: "Non facies tibi sculptile?"

VI. R. Idem, quod præcedentia, "Non habebis Deos "alienos;" nam, ut docet S. Aug. quæst. 71. in Exodum, est tantùm explicatio aliqua partis præcedentis, prohibens fieri idola et imagines more Gentilium, qui illas consecrabant, et consecratione vim aliquam divinam illis includi autumabant, ut patet ex Cicerone in Verrem: unde et illas cultu adorabant.

Ex quo patet, hinc nil deduci posse contra cultum imaginum; nam et ipsa S. Scriptura non simpliciter prohibet sculptilia et imagines, sed tantùm hoc sensu, ne quis ea adoret, seu colat cultu latriæ: hoc autem modo Christiani non venerantur imagines, nec quamdam virtutem eis inesse credunt.

Proba, non fuisse prohibitum ipsas imagines facere.

Probatur: nam Exodi cap. 25. V. 18. legimus, à Moyse jussu Dei facta esse simulacra et imagines Cherubim juxta Arcam Domini; et 3. Regum cap. 6. à Salomone in Templo idem fuisse factum: item Numerorum 21. jussu Dei erexit Moyses Serpentem æneum, ut illius aspectu sanarentur morsi à serpentibus ignitis.

Deinde, etiamsi Hebræis quodcumque imaginum genus fuisset vetitum, præceptum illud eatenùs fuisset cæremoniale, adeoque jam cessaret, ut notat S. Thomas quæst. 100. art. 7. ad 2. Vide hæc latiùs in Tractatu "de Incarnatione."

Quidnam præcipitur primo Decalogi præcepto?

R. Cum Catechismo Romano hoc: "Me verum Deum "coles, sive me solum verum Deum habebis fide, spe et "charitate, et me solum adorabis cultu latriæ."

Quid sibi volunt hæc: Ego sum Dominus Deus tuus?

VII. R. Non sunt propriè unum ex decem præceptis, nec pars præcepti, sed proëmium seu titulus demonstrans authoritatem illius, qui legem fert. Potest illa præfatio etiam sic intelligi, ut tacitè comprehendat præcepta actuum fidei, spei et charitatis; si enim Deus est, illi honor, timor, et obedientia debentur, atque in eum homo tendere debet fide, spe et charitate.

Additur pronomen "tuus;" quia Deus speciali titulo est Deus Fidelium et Electorum.

Quodnam est secundum præceptum?

VIII. R. Hoc: "Non assumes nomen Domini Dei tui "in vanum."

Quid illo præcepto prohibetur?

R. Ut nemo, ait Catechismus Romanus, Divinum nomen contemnat: nemo illud in vanum assumat, nevè per ipsum aut falsò, aut frustra, aut temerè juret.

Per nomen Dei hic intelligitur, non nuda vox significans Deum, sed res significata per illam, hoc est Deus ipse, seu Majestas Divina, vel ejus attributa.

Unde observa, nomen illud, licèt positum sit in singulari, tamen de omnibus, quæ Deo tribui solent, intelligi debere: ita Catechismus Romanus.

Prohibitur igitur hoc præcepto perjurium ac omne juramentum imprudenter ac temerè emissum sacrilegium, blasphemia et omnis Divini Nominis inanis assumptio.

Quid præcipit hoc secundum præceptum?

Respondet Catechismus Romanus nomen Dei esse honorandum, ac per illud esse sanctè jurandum: honoratur autem et laudatur Nomen Dei per actus fidei, spei et charitatis, et per quævis opera bona, præsertim per publicam confessionem et prædicationem Divini Nominis, per decantationem Divinarum Laudum, dicendo tam in adversis, quàm in prosperis: "Sit nomen Domini benedictum:" per invocationem Divini Nominis, per juramentum sanctè præstitum. Vide Catechismum Romanum parte 3. ad 2. Decalogi præceptum Num. 90.

N. 79. DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

I. *Tertium præceptum.*

QUODNAM est tertium præceptum?

I. R. Hoc: "Memento, ut diem Sabbati sanctifices."

Cujus juris est illud præceptum, naturalis an positivi?

R. Cum S. Th. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1. illud esse partim juris naturalis, et partim juris positivi: est juris naturalis, quantùm ad hoc, ut aliquod tempus vitæ suæ homo deputet ad vacandum Divinis; sed inquantùm hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum communis beneficii creationis mundi, sic est præceptum cæremoniale et juris positivi.

Quare in hoc præcepto specialiter additur hoc verbum "memento?"

R. Quia hoc præceptum, inquantùm cæremoniale, est positivum; et sic non est inditum in cordibus hominum cum creatione naturæ, sed memoriâ teneri debet.

2°. Quia illud est commemorativum maximi beneficii præstiti. Vide S. Th. q. 100. a. 7. ad. 5.

Notandum hoc præceptum quatenùs cæremoniale, aliquam mutationem accepisse in nova lege, in qua loco Sabbati præcipitur sanctificandus dies Dominicus.

Mutatio illa facta est ab Apostolis, ut probatur ex Apocalypsi cap. 1. ubi Joannes dicit: "Fui in Spiritu in "Dominica die." Facta est autem ideo, quia eo die maxima novæ legis mysteria completa sunt; nam die Dominicà, quæ in Evangelio vocatur una Sabbati vel prima Sabbati, hoc est prima septimanæ, Christus resurrexit à mortuis, Spiritus S. descendit, Lex nova promulgata est, et eo die juxta S. Aug. sermone 152. Christus judicaturus adveniet, eoque die sæculum finem habebit, quo habuit creationis initium.

Quid hoc tertio præcepto in nova lege præcipitur?

R. Præcipuè hæc tria: 1°. certos aliquos et determinatos dies esse sanctificandos: 2°. illos esse sanctificandós Divino Cultu externo per auditionem Missæ, &c. 3°. eosdem esse sanctificandos per cessationem ab operibus servilibus.

Quinam sunt illi determinati dies sanctificandi?

R. In primis illi sunt dies Dominici, electi in memoriam Gloriosæ Resurrectionis Christi, et in religiosam recordationem beneficii creationis, et redemptionis per Christum.

2°. Determinati etiam sunt dies Festi, qui propter particulare aliquod redemptionis nostræ Mysterium Religioni sunt consecrati, vel SS. Virgini, aut Apostolis, Martyribus, aliisve Sanctis sunt dicati.

Quænam est ratio dierum Festorum?

R. Dies Festi principaliter, sicut dies Dominici, instituti sunt ad recolenda Beneficia Dei; deinde, ut in Sanctorum victoria et gloria bonitas Dei et potentia laudentur, et ut ipsi Sancti debitè honorentur ac invocentur à nobis, ut

eorum orationibus adjuvemur; et quorum merita recolimus, exempla imitemur.

Cæterùm, vetustissimam esse hujusmodi Festorum, et maximè eorum, quæ vocantur natalitia Martyrum, institutionem et observantiam, evidenter perspicitur ex historiis Ecclesiasticis et ex SS. August. Ambros. Chrysost. aliisque, qui de illis scripserùnt sermones ad populum.

N. 80. DE DEBITO CULTU DIERUM SACRORUM.

I. *Auditio Missæ.* II. *Auditio Laudum.* III. *Vel Concionis.* IV. *Ubi commodè fieri potest.* V. *Idque in propria parochia.* VI. *Obligatio Pastorum.* VII. *Obligatio ad actus fidei, &c.*

QUIS cultus externus præcipitur diebus Dominicis et Festis?

I. R. Auditio Missæ sub gravi: quæ gravis obligatio probatur ex communi fidelium sensu, et ex propositione 52. inter damnatas ab Innoc. XI. quæ dicebat: præceptum servandi Festa per se non obligare sub mortali; nam si præceptum servandi Festa sub gravi obliget, sub gravi ligabit auditio Missæ, quæ præcipuam divini cultûs partem constituit.

Obligatio hæc dictis diebus audiendi Sacrum descendit ex antiquissima populi consuetudine; unde canones, qui circa eam aliquid statuunt, obligationem ipsam supponunt, et potiùs modum et locum audiendi Missam præscribunt, quàm Missam ipsam: sic Concilium Agathense cap. 47. dicit: "Missas die Dominico à sæcularibus totas audiri "speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem "Sacerdotis egredi populus non præsumat."

Quis, quomodo teneatur audire Sacrum, et quis excusetur, vide ubi "de Sacrificio Missæ."

An obligat hoc præceptum ad audiendum diebus Festis et Dominicis vesperas, laudes vespertinas et alia officia divina?

II. R. Consuetudo probat hoc præceptum ad prædicta non obligare sub gravi. Videtur tamen esse veniale peccatum, si quis sinè causa vesperis vel laudibus vespertinis non intersit: Sylvius censet esse veniale, si frequenter illa omittantur.

An est obligatio audiendi diebus Dominicis et Festis Concionem et Catechismum?

III. R. Affirmativè; dum nempe commodè fieri potest: idque colligitur ex Trid. Sess. 5. cap. 2. "de Reformatione," et Sess. 24. cap. 4. "de Reformatione." Idem docent Sylvius, Marchantius, &c.

Oritur autem ista obligatio partim ex jure naturæ et lege fidei, quâ unusquisque tenetur discere necessaria et utilia ad salutem: partim ex præcepto, quod mandat determinatè illis diebus debere fieri concionem, cui subditi interesse tenentur.

IV. Docent tamen hanc obligationem non esse gravem; quia Trid. Sess. 24. cap. 4. citato addit: "Ubi commodè "id fieri potest:" et quia levis causa ab ea excusat, nisi fortè ob necessariam subditi in rebus fidei vel morum instructionem, ob contemptum, &c.

Notandum, quòd, licèt aliqui velint Ecclesiam non præcipere nisi auditionem Missæ diebus Dominicis et Festis; adeoque fideles non peccare contra præceptum Ecclesiæ, si nec concionibus, nec vesperis intersint, admittant tamen eos peccare venialiter contra præceptum divinum de sanctificando Sabbato, si illis diebus nullum Religionis actum præter Missæ auditionem exerceant.

An est obligatio audiendi Missam et concionem in propria Parochia?

V. R. Verbis Trid. loco citato: "Teneri unumquemque "Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad "audiendum Verbum Dei."

Hæc verba S. Carolus Borrom. in Concilio Mediol. sexto intelligit de vero præcepto; et ea intelligi mandavit de veri nominis obligatione, Eminent. Dom. felicis memoriæ Archi-Episcopus Mechliniensis in decreto suo de 4. Julii 1735. Ipsa etiam ratio dictat, ut oves proprii Pastoris vocem audiant, cujus verbis benedictionem et unctionem præbet Spiritus S. ita ut facilè ex hac parte compensetur, si fortè putentur extra Parochiam conciones magis proficuæ et elegantiores declamari.

Neque hìc opponi possunt Regularium privilegia; quia illa vel revocata sunt, vel solùm in iis conceditur licentia concionandi. Circa hæc Clemens V. lib. 1. tit. 7. Clementinâ primâ dicit: "Religiosis in virtute sanctæ obedientiæ "et sub interminatione maledictionis æternæ inhibemus, "ne retrahant Laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia "vel accessu, seu indulgentias pronuntient indiscretas."

Eodem modo loquitur Sixtus IV. lib. 1. extravag. comm. tit. 9. cap. 2.

Dices: verba Trid. citata non important strictam obligationem, sed tantùm convenientiam; cùm dicat: "Ubi id "commodè fieri potest."

R. Nego antec. quia illud tantùm additur, ut explicentur casus obligationis, ne quis putaret, istud præceptum obligare cum tantis incommodis, cum quantis obligat præceptum audiendi Missam. Deinde quando commodè fieri potest, tunc saltem est vera obligatio, quia tunc conditionalis aufertur.

VI. Cæterùm admittitur, strictiorem esse Pastorum obligationem ad concionandum et catechizandum; et quidem Bonacina tomo 2. disput. 5. quæst. unicâ, puncto 2. resolvit, Parochum peccare mortaliter, qui uno integro mense continuo, vel duobus aut tribus mensibus anni discontinuis non concionatur: favet Tridentinum, dum Sess. 5. cap. 2. "de Reform." graves pœnas decernit in illos Pastores, qui spatio trium mensium suo muneri defuerint: permittit tamen, ut legitimè impediti per alios idoneos munus suum adimpleant.

Quid hic de obligatione actuum fidei, spei, charitatis, contritionis, &c. judicandum?

VII. R. Illos actus merè internos per se illo præcepto non mandari; fideles tamen per accidens ad illos teneri possunt, quatenùs sine illis, saltem implicitè exercitis, opera præcepta externa debitè non adimplerentur. Deinde, cùm virtutes Theologicæ sint nobilissimæ, eisque Deus maximè colatur, ut habet S. Aug. Enchyridii cap. 2. hortandi sunt fideles, ut earum virtutum actus istis diebus cultui divino specialiter consecratis eliciant.

N. 81. DE OPERIBUS PROHIBITIS DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS.

I. *Abstinendum sub gravi,* II. *A strepitu judiciali,* III. *Mercatu,* IV. *Et operibus servilibus,* V. *Quæ differunt à liberalibus.* VI. *Servilia sunt nere et suere.* VII. *Quid de Scriptura.* VIII. *Venatio et piscatio.* IX. *Tondere barbam.* X. *Ludere.* XI. *Itinerari.*

CESSATIO ab operibus servilibus die Sabbati in veteri lege regidissimè erat præcepta, adeo ut Num. 15. mandato Dei lapidatus sit, qui ligna collegerat in Sabbato.

I. In lege nova, quæ magis attendit cultum internum, servilis iste rigor non observatur: quædam tamen esse opera Christianis æquè ac Judæis interdicta, quorum cessatio sub

gravi obliget, constat ex communi timoratorum sensu et ex condemnatione propositionis 52. ab Innoc. XI. "Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus." Nec dubium, quin hodie sæpe compleantur Divinæ benedictiones in observantibus, et maledictiones in transgredientibus.

Nota cum Catechismo Romano, dum præcipitur cessatio, non præcipi otium, ut vulgus existimat, sed potiùs prohiberi; cultui enim Divino se dare, non est otiari, sed Deo servire.

Quænam opera diebus Dominicis et Festis prohibentur in nova lege?

R. Illa reducuntur ad hæc tria genera, scilicet ad opera servilia, mercatum et strepitum judicialem.

Notandum, tempus diei sanctificandi apud Christianos esse à media nocte usque ad mediam noctem sequentem, aliter quàm apud Judæos, qui à vespera usque ad vesperam diem Festum servabant.

Quid intelligitur per strepitum judicialem?

II. R. Intelligitur citatio partis, formatio processûs, sive cognitio causæ, examen testium, juramentum judiciale, prolatio sententiæ, item executio, judicium arbitri, &c. ita ut hæc judicialia diebus Dominicis vel Festis facta sint irrita juxta cap. FINALE "de Feriis," nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat, ut ibidem Pontifex dicit. Vide etiam legem 7. codicis lib. 3. tit. 12.

Hinc citatus, ut intra octo dies compareat, si die octavo sit Festum, tempore apto ante Festum comparere debet.

Actus tamen voluntariæ jurisdictionis, qui sinè strepitu judiciali fiunt, non sunt irriti, ut v. g. dispensatio, absolutio à censuris, electio, &c. Vide plura apud Bonacina ad tertium Decalogi præceptum.

Quid intelligitur per mercatum dictis diebus prohibitum?

III. R Intelliguntur nundinæ, quæ semel aut bis in anno fiunt, item quæ singulis hebdomadibus peraguntur: intelliguntur etiam contractus emptionis, venditionis, permutationis, locationis, &c. sive publicè, sive privatim fiant.

Quædam tamen ob consuetudinem consentientibus superioribus permittuntur, prout permitti solet in officina clausa emptio rerum quarumdam exiguarum ad victum quotidianum spectantium, ut salis, piperis, sacchari, &c. idque, ait Illustrissimus Hovius in decreto de celebratione Festorum de die 9. Septembris 1596. ob necessitatem. Decretum hoc habetur ad calcem Synodorum Mechliniensum, ultimæ editionis, et in eo latiùs explicatur, quarum rerum empoti et quousque liceat.

Hac ex causa excusant Layman et Billuart eos, qui dictis diebus vendunt vestes, calceos et alia ruricolis et famulantibus, qui aliis diebus sibi necessaria comparare non possunt. Similiter ex hoc capite excusat Marchantius eos, qui diebus Dominicis faciunt computum cum operariis: timorati tamen, ipso fatente, die anteriori id facere solent.

Quænam opera dicuntur servilia?

IV. R. S. Thom. 2. 2. quæst 122. art 4. ad 3. esse opera corporalia, in quibus unus homo alteri servit: talia sunt arare, fodere, artes mechanicas exercere, &c.

Quare ista opera dicuntur servilia?

R. Quia solent injungi servis, famulantibus aut mercenariis.

In quo opera servilia differunt ab exercitio artium liberalium?

V. R. In eo, quòd exercitia liberalia non respiciant effectum corporalem, vel si habeant effectum aut actum corporalem, is principaliter ordinetur ad exercendum, instruendum vel oblectandum animum; unde dicuntur libero homine digna: sic docere, legere, studere, concionari, parare concionem, &c. non sunt servilia, nec die Festo prohibita.

Nec obstat, illa opera sæpe multùm fatigare; quia opera non dicuntur ex illo capite servilia; dicit enim S. Thomas nullius spiritualis actûs exercitium esse contra hoc præceptum.

An equidem illa opera non sunt contra hoc præceptum, quando pro illis accipitur stipendium vel merces?

R. Negativè; quia principale in illis est operatio animi: sicut è contrario, fodere, ædificare, &c. servilia sunt, licèt gratis vel ad recreandum animum præstentur, aut pro seipso quis illa faciat; quia illa intentio non mutat naturam operis.

An nere et suere sunt opera servilia?

VI. R. Affirmativè: quia principaliter sunt corporalia et talia, in quibus unus homo alteri servit.

An pingere est opus servile?

R. Negant Medina et Layman, eò quòd pingere pertineat ad artes liberales et libero homini omnino conveniat: communis tamen sententia affirmat; quia principaliter continet effectum corporalem, sicut ars Statuaria, Sculptoria, Typographica et hujusmodi, quæ servilia reputantur et die festo prohibita. Admittunt interim Herincx et Boudart faciliùs cum pictoribus dissimulari posse ob contrariam nonnullorum sententiam et praxim multorum etiam Romæ:

præsertim quando solùm fiunt quædam delineationes, aut pingitur gratiâ se recreandi aut addiscendi.

Certum interim est, tingere pannos, colorare asseres, dealbare parietes et similia esse servilia.

An scribere est opus servile?

VII. R. Quidam affirmant, alii negant: videtur cum multis adhibenda distinctio Sylvii in 2. 2. q. 122. art 4. Si scriptio vel transcriptio fiat ad juvandam memoriam, vel causâ addiscendi, docendi, concionandi, patrocinium præstandi, &c. non censetur opus prohibitum; quia principaliter pertinet ad animum, sicque est opus liberale.

Si verò sit mera transcriptio per eos, qui tale exercitium pacto pretio velut artem exercent, videtur meritò prohibita; quia principale est opus corporale, quo servitur alteri: hinc concludit Sylvius, Procuratores, Notarios, advocatorum scribas et similes peccare, dum magnam diei festi partem insumunt in transcribendus actis, computibus, processibus aliisve rebus profanis.

An venatio et piscatio sunt opera servilia?

VIII. R. Capitulum Licet "de Feriis" lib. 2. Decret. tit. 9. indicat, illa secundum rigorem esse servilia: multi tamen existimant, non esse illicitum arundine, hamo aut parvis retibus piscari recreationis ergo, idemque judicant de simili venatione. Aliud iterum censent de piscatione aut venatione ex officio, seu potiùs ex deputato servitio; maximè si cum strepitu aut notabili labore ista peragantur.

Servilibus etiam annumerantur carpere fructus ex hortis aut arboribus: illos tamen, qui carpunt fructus sylvestres, v. g. nuces, herbas in pratis, &c. etiam ob lucrum, excusat Marchantius à mortali, saltem ob consuetudinem.

Quid censendum de barbi-tonsoribus?

IX. R. Secundùm se tondere barbam est opus servile: La Croix tamen excusat tonsores, si die festo operarios tondeant, eosque, qui aliis diebus sunt impediti; item si aliquos tondeant ex timore, ne aliàs officinam suam prætereant, licèt illi, qui sic die festo tondentur, peccent.

Tamburinus vult eos excusare ob consuetudinem; sed hæc, ut bene notat Sanchez, semper fuit improbata.

An lusus die festo est prohibitus?

X. R. Negativè: nec obstat, ei laborem conjunctum esse, ut lusui pilæ, conorum, &c. quia ille labor assumitur pro recreatione animi, et pro requie ac cessatione à servilibus.

An iter agere die festo est prohibitum?

XI. R. Distinguendo: iter facere naturale pedibus, equo, navi, &c. simpliciter non est prohibitum directè; quia est opus naturale; iter instituere cum conditionibus servilibus, prohibitum est, ut v. g. portare merces aliave onera, ducere jumenta onusta, naves aut currus onustos, &c. Potest tamen in prioribus peccari venialiter, quando nimium tempus eis impenditur, atque impeditur, quominùs mens rebus divinis debitè vacare possit.

N. 82. DE GRAVITATE MATERIÆ PRO LABORE SERVILI.

I. *Materia gravis.* II. *Materiæ parvæ coalescunt.* III. *Illicitum est laborare per animalia,* IV. *Vel per amentes.* V. *Gravitas materiæ in strepitu judiciali et mercatu.*

QUÆNAM in hoc præcepto censetur materia gravis sufficiens ad peccatum mortale?

I. R. Bonacina et Collet putant, laborem servilem ad unam horam protractum esse materiam gravem: Marchantius requirit tres horas: La Croix verò cum communiori sententia statuit duas horas: videtur tamen cum Suarezio simul attendi debere operis qualitas; adeo ut, si opus sit valde servile, minus; si valde leve, majus temporis spatium requiratur.

Quandonam materia coalescit hic?

II. R. 1°. Quando interruptè, sive diversis ejusdem diei temporibus fiunt opera servilia ab eodem homine; secùs quando diversis fiunt diebus.

2°. Quando plures in gratiam unius, v. g. mandantis laborant serviliter eodem die, sive successivè sive simul laborent, ut dictum est N. 162. "de Peccatis."

Sic herus mandàns decem famulis, ut unusquisque per horam laboret serviliter, censetur peccare mortaliter; quia ipse æquivalenter laborat omnium manibus, et facit opus servile decem horarum.

Obj. Qui mandat docem hominibus, ut quisque die jejunii frustulum panis edat, non peccat mortaliter: ergo nec mandans in casu.

R. Disparitas est, quòd labor istorum hominum cedat atque fiat Domino mandanti, cui illicitum est per alios laborare: sed esus ille vel nutritio fit divisim illis ipsis, qui manducant, nec dicitur mandans per alios manducare.

An est licitum facere opera servilia per animalia, v. g. per equos?

III. R. Cum Catechismo Romano negativè; quia censetur homo ipse laborare per illa, cùm illa non sibi sed domino laborent: hoc distinctè expressum fuit Exodi cap. 20. V. 10. "Non facies omne opus in eo, tu et filius tuus "et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum et "advena."

Obj. Animalia non sunt apta sanctificare diem: ergo nec possunt profanare.

R. Illa animalia per seipsa diem Festum non profanant, sed ille, qui per ea laborat, cùm ipsi prohibitum sit per illa laborare.

Eâdem ratione prohibitum est laborare per molendinum, quod vento aut aquis agitur. Quædam tamen molitoribus in decreto Illustrissimi Hovii permittuntur.

IV. Ex his patet, etiam illicitum esse, mandare perpetuo amenti, ut laboret serviliter; quia mandans per amentem, sicut per instrumentum aut per animal, laborare censeretur.

Nec obstat, licitum esse tali mandare, ut carnes edat die jejunii: disparitas enim est, quòd mandans non censetur per amentem edere carnes, ita ut agat contra mortificationem propriæ carnis: censeatur verò per amentem laborare.

Hinc etiam, ut observat Collet, non licet Ethnicum aut infidelem applicare ad opera servilia die Dominico vel Festo.

V. Nota, pro gravitate materiæ in strepitu judiciali non ita attendendum esse tempus, quàm qualitatem operis; et idem est pro mercatu: atque ita si sit, v. g. publica venditio domûs, censebitur materia gravis.

N. 83. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS OPERA SERVILIA.

I. *Causæ excusantes* II. *Sunt necessitas.* III. *Et evitatio damni.*

QUÆNAM sunt causæ, ob quas prædicta opera die Festo licitè exerceri possunt?

I. R. Solent assignari hæ quatuor: scilicet 1°. Necessitas, 2°. Pietas in Deum vel proximum, 3°. Consuetudo, et 4°. Dispensatio. Ad has quatuor reliquæ ab aliis assignatæ reduci possunt.

Quid intelligitur per necessitatem?

II. R. Intelligitur salus vel conservatio corporis proprii, vel alterius, aut boni communis.

Item conservatio rei aliàs periturae, evitatio damni vel incommodi notabilis, &c. Hinc deduces sequentia:

1°. Excusantur medici et pharmacopolæ parantes medicinas pro infirmis, ex causa necessitatis proximi.

2°. Ob necessitatem aliquando licet molere et pinsere, uti latiùs videri potest in decreto Illustrissimi Hovii citato Numero 81. in quo etiam declaratur, quid liceat diebus Festis braxatoribus, lanionibus, aliisque opificibus.

3°. Excusantur servi et ancillæ pauperes, reficientes vestimenta sua, dum aliis diebus tempus non habent, nec habent quo mediante aliis reficienda tradant. Peccant interim eorum Domini, dum necessarium tempus non concedunt.

Notatur tamen practicè, necessitatem hanc partim provenire ex malitia et avaritia Dominorum, partim ex pigritia famulantium, qui ideo sæpè non omni culpâ vacant.

4o. Pariformiter excusantur coqui parantes cibos die Festo: alii illos excusant propter consuetudinem, etiam dum parant cibos deliciarum et ad convivii superfluitatem.

5o. Titulo necessitatis solent excusari conficientes vestes lugubres die Festo, si absolutè aliâ die confici nequeant. Item Fabriferrarii calceantes equos ob necessitatem itinerantium.

6o. Ob necessitatem excusantur milites die Festo dimicantes, eaque omnia peragentes, quæ ad victoriam obtinendam congrua judicantur.

Quale damnum hìc comprehenditur sub necessitate?

III. R. Christus Matth. cap. 12. significat ovem aliudvè animal, si die Festo in foveam inciderit, eripi posse, idque ad damnum avertendum.

Sic licet laborare serviliter, dum opus inceptum sine damno notabili interrumpi nequit, uti v. g. contingit in confectione ferri, vitri, &c.

Ob eandem rationem licitum est laborare in messe vel vindemia, quando aliàs ex tempestate, pluviâ aut simili causa notabile damnum imminet.

Hoc tamen notato, quòd dum extraordinarius labor publicè fieri debet, oporteat petere licentiam ab Officiali Episcopi, vel in locis remotioribus ab Archipresbytero districtùs, aut à Pastore loci, qui in illis casibus ex consuetudine, ait Bonacina cum aliis, dispensant: debetque hæc licentia declarari seu notificari Officiali Regio ejusdem loci, ne ille, eos mulctando, actus juris inutiles faciat. Eadem licentia pro labore occulto petitur, quando causa excusans non est evidens, ut tunc valeat per modum dispensationis.

Titulo utilitatis boni communis permititur cap. Licet "de Feriis," ut possint diebus Dominicis et Festis, præterquam in majoribus anni solemnitatibus, intendere capturæ halecium, quæ certo tantùm tempore terræ inclinant.

Similiter, si lucrum alicui sit necessarium ad victum, erit causa necessitatis: sic permittitur pauperibus, ut privatim laborent, si aliter se et suos alere nequeant; idque maximè, si plura Festa concurrant, et aliàs negligentes non fuerint.

Coactio vel præceptum superioris cum timore notabilis mali excusare potest, modò non fiat in contemptum Religionis; sic famulantes, qui die Festo adiguntur ad servilia, alioquin statim dimittendi cum gravi incommodo (levi namque incommodo lex non cedit) excusari possunt tantisper, donec primâ opportunitate datâ sine gravi incommodo famulatum illum deserere queant.

Quid censendum de opificibus, qui die Festo laborant merè ideo, ne homines fortè accedant alium opificem?

R. Si nulla alia circumstantia occurrat, Pauwels non admittit hanc causam ut sufficientem; quia tunc tantùm quæritur lucrum, et hoc sine necessitate; si enim ipsis tanta copia deferatur, ut die Festo cogantur laborare, meritò dimittent quædam opera aliis ejusdem artis opificibus: et certè vana ac temeraria est solicitudo timentis, ne copiam operis perdat, qui pro observandis Dei præceptis lucrum temporale dimittit; cùm Deus Festa servantibus Isaïæ cap. 57. Jeremiæ cap. 17. et alibi sæpe benedictiones promittat, et maledictiones violantibus intentet.

Etiam titulum laborandi die Festo merè ob lucrum non approbat Suarez, nisi accedant circumstantiæ paupertatis, necessitatis, &c. quia multò minus est "non lucrari," quàm "damnum pati" in rebus jam habitis.

Excusant tamen Pontas et Billuart illos, qui bonis fortunæ non abundanter instructi laborant, vendunt vel emunt propter occursum lucri transeuntis gravis momenti; eo quòd respectu horum tale lucrum cessans vere reputaretur damnum.

Finaliter pro omnibus casibus observa, ut nihil fiat in fraudem legis; ne opera differantur in diem Festum, quæ ante fieri poterant; et ne unquam plus agatur, quâm necessitas, damnum avertendum, &c. postulant.

N. 84. DE TITULO PIETATIS EXCUSANTE.

I. *Excusat pietas in Deum et proximum.*

QUID intelligitur per titulum pietatis, ob quem licet serviliter operari die Festo?

I. R. Intelligitur pietas in Deum sive Cultus Divinus, et pietas in proximum sive opus charitatis.

Hinc licet die Festo adferre necessaria ad Sacrificium, pulsare companas, deferre crucem et Imagines, ornare Altaria, &c. ita Catechismus Romanus adducens sententiam Christi Domini Matth. cap. 12. V. 5. "Sacerdotes in "Templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt:" hoc est, Sacerdotes faciunt in Templo opera laboriosa mactando animalia ad Sacrificium, ea excoriando, ligna componendo, &c. et sic secundùm externam apparentiam videntur violare Sabbatum; nam si opera illa non fierent ex pietate in Deum, Sabbatum violarent.

Obj. Non licet die Festo ædificare Templa, conficere calices, &c. ergo pietas non excusat.

R. Neg. conseq. Ratio est, quòd opera hæc principaliter sunt servilia mechanica, quæ remotè tantùm et præsuppositivè ad cultum Dei se habent.

Pro quo nota, alia esse opera pietatis "de se," prout sepelire mortuos, servire infirmis, &c. et hæc semper licent: alia sunt opera pietatis tantùm per accidens et remotè, quatenùs ad pietatem ordinantur, ut Domos Religiosas, Templa, Calices fabricare, &c. et hæc non sunt licita, nisi alia ratio accedat: quia observatio Festi est opus Religionis per se et in præcepto, adeoque præferri debet operibus pietatis per accidens et liberis.

An licet pro alio laborare gratìs, v. g. terram fodere, metere grana, &c. cùm hæc sint opera charitatis?

R. Neg. nisi concurrat causa necessitatis; quia similia sunt opera principaliter servilia, et tantùm per accidens charitatis, scilicet ex intentione operantis: opera autem per accidens charitatis non sunt licita, nisi adsit alia ratio: et sic in necessitate potest quis alium adjuvare, introducere messem, &c. etiamsi inde lucrum perciperet.

An licet laborare die Festo eo fine, ut lucrum detur pauperibus vel Ecclesiæ?

R. Negativè; quia non est necessitas dandi eleëmosynam, nisi ex illis, quæ servatis Ecclesiæ præceptis superflua sunt: si verò pauper vel Ecclesia foret in tali necessitate, ut ipsi liceret laborare, tum etiam licitè laborares pro ipso,

nisi hìc et nunc eum eleëmosyna adjuvare deberes: excusat enim necessitas propria vel aliena.

Quomodo superiores tum sæculares tum Ecclesiastici rei fiant violationis Festi, quæ fit per subditos, latè deducit Pauwels, ubi de tertio Decalogi præcepto.

Tandem consuetudo, cùm possit derogare legi Ecclesiasticæ, si legitima fuerit juxta conditiones Num. 59. et 60. allatas, sæpe facit opera licita, quæ aliàs non licerent: sic v. g. alibi permittuntur nundinæ per consuetudinem. Episcopus tamen consuetudinem illam potest abrogare, ut docet Bened. XIV. lib. 7. "de Syn. Diœces." cap. 3.

N. 85. DE PECCATO MORTALI DIE FESTO COMMISSO.

I. *Peccatum mortale non est propriè opus servile.*

AN peccatum mortale est opus servile die Festo prohibitum?

I. R. Cum Suarez, Wiggers, &c. non omne peccatum mortale in sensu proprio et literali est opus servile, cùm possit esse merè internum, et brevissimo tempore commissum, ac adeo tertio præcepto non prohibitum.

Obj. I. S. Thom. 2. 2. quæst. 122. a. 4. ad 3. dicit, omne opus peccaminosum esse opus servile, juxta illud Joan. cap. 8. V. 34. "Qui facit peccatum, servus est "peccati:" ergo, &c.

R. Neg. conseq. ratio est, quia opus peccati dicitur tantùm servile in sensu metaphorico et mystico, prout explicat ipse S. Th. in 3. dist. 27. art. 5. quæst. 2. ad 2. jam autem verba legis sunt intelligenda in sensu proprio et literali, non metaphorico.

Inst. S. Thom. dicit ibidem, eum magis contra hoc præceptum agere, qui peccat die festo, quàm qui aliud corporale opus aliàs licitum facit: ergo sentit peccatum mortale esse opus servile directè prohibitum.

R. Dist. assump. magis agit contra præceptum prohibens opera servilia, nego assump. magis agit contra finem præcepti, inquantùm peccatum magis impedit vacationem in rebus divinis, quàm opus servile, concedo assumpt. verùm finis ille huic præcepto reputatur extrinsecus, adeoque non cadit sub præcepto, ut dictum est Num. 48.

Distingui etiam potest assumpt. hoc modo: magis agit contra hoc præceptum mysticè intellectum, conc. assumpt. literaliter intellectum, nego assumpt.

Obj. II. S. Aug. lib. "de 10. Chordis," cap. 3. dicit: Meliùs feminæ Judæorum die Sabbati lanam facerent, quàm quod totâ die in neomeniis suis impudicè saltarent: ergo, &c.

R. S. Aug. tantùm vult, melius seu minus malum esse, nere die Festo, quàm impudicitiis indulgere: et eodem modo responderi potest ad S. Ambrosium, S. Antonium, &c. qui videntur oppositum sentire.

N. 86. DE MALITIA DISTINCTA OB CIRCUMSTANTIAM FESTI.

I. *Quid faciat circumstantia diei Festi.*

AN circumstantia diei Festi addit malitiam distinctam omni peccato mortali?

I. R. Natalis Alexander, Genetii, Henricus à S. Ignatio, Collet, et fusè Concina lib. 1. "de præceptis Ecclesiæ." dissert. 2. cap. 3. cum plerisque antiquioribus volunt, circumstantiam diei Festi superaddere peccato mortali novam malitiam mortalem: verùm à Suarezio et plerisque recentioribus hæc sententia rejicitur: hi autem admittunt, circumstantiam diei Festi peccato mortali superaddere malitiam venialem sacrilegii; quia peccatum mortale repugnat fini præcepti et sanctitati temporis.

Meritò cum S. Antonino deploranda cæcitas Christianorum, qui plura et graviora peccata committunt diebus Dominicis et Festis, quàm per totam septimanam: et hinc horrendæ istæ sententiæ, Isaïæ c. 1. V. 14. "Solemnitates "vestras odivit anima mea," et Ezechiëlis cap. 20. V. 13. "Sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut "effunderem furorem meum super eos et consumerem eos."

Satis etiam communiter admittitur circumstantiam diei Festi aliquando superaddere malitiam mortalem sacrilegii, idque duobus his casibus:

1°. Ob notabilem quantitatem temporis, prout si quis duas tresve horas insumeret ebrietati, libidini, pravis consortiis, &c. ratio est, quòd notabilis pars diei Festi violetur, et finis præcepti positivè impediatur et excludatur notabili tempore.

2°. Illa circumstantia videtur addere malitiam mortalem, saltem enormioribus peccatis commissis in celebri quadam festivitate, ut die Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, feriâ 6. Parasceves: &c. ratio est, quòd hoc casu excellens sanctitas violetur ex eo, quòd illis diebus summa mysteria recolantur. Vide Num. 80. "de Circumstantiis."

Obj. Dictum est supra, peccatum non esse opus servile, nec contra hoc præceptum: ergo non contrahit talem malitiam.

R. Neg. conseq. nam trahit hanc malitiam aliunde, nempe directè ex eo, quòd agatur contra jus naturæ violando sanctitatem diei; quia licèt Ecclesia specialiter non prohibeat peccata die Festo, quæ non sunt servilia, tamen jus naturæ illa prohibet specialiter; quatenùs prohibet viorari sanctitatem diei.

Pro securitate sententiæ asserentis, peccatum mortale, exceptis duobus casibus jam relatis, non contrahere novam malitiam mortalem ratione Festi, facit non tantùm praxis Confessariorum; sed etiam, ut observat Wiggers Tract. 8. "de Religione" cap. 6. dubio 26, quòd moderni Authores communiter hanc sententiam doceant; quia, cùm agatur de lege positiva Ecclesiæ, sensus modernorum dat sensum legis modernum, licèt alius fortè sensus antea fuisset.

Observat S. Thomas, peccantem venialiter non agere contra hoc præceptum; quia peccatum veniale non excludit sanctitatem Festi.

N. 87. DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO

S. Thom. 2. 2. quæst. 122, art. 5.

I. *Quartum præceptum: Honora Patrem, &c.* II. *Continet quatuor.* III. *Amorem.* IV. *Reverentiam.* V. *Subsidium.*

QUODNAM est quartum præceptum Decalogi?

I. R. "Honora Patrem tuum et Matrem tuam, ut sis "longævus super terram."

Quid hoc præcepto præcipitur, quid prohibetur?

R. Præcipitur honor tam internus quàm externus: honorare autem, inquit Catechismus Romanus, est de aliquo honorificè sentire, et quæ illius sunt maximi putare omnia: omne verò, quod huic contrarium est, prohibetur.

Quid per honorem parentibus debitum intelligitur?

II. R. Intelliguntur hæc quatuor, 1°. Amor, 2°. Reverentia, 3°. Obedientia, et 4°. Subsidium: inter quæ hæc est differentia, ut notat S. Thom. ad tertium, quòd parentibus quâ talibus debeatur amor, reverentia et obedientia, sed subsidium debeatur per accidens tantùm, inquantùm necessitas id exigit.

Quid exigit amor parentibus debitus?

III. R. Exigit, ut summo ipsos post Deum amore prosequamur, eis maxima bona volendo, pro eorum salute tam corporali quàm spirituali orando, et amorem illum exterioribus signis attestando.

Contra hoc amoris officium delinquunt, qui parentes odio habent aut aspernantur, qui de eorum adversitate gaudent, vel de prosperitate dolent, aut malum eis exoptant, item qui parentes affligunt, torvis oculis aspiciunt, durè alloquuntur, &c.

IV. Reverentia parentibus debita expostulat timorem filialem, et ut honorificè de ipsis sentiamus, idque verbis et actionibus probemus, quomodo Joseph honoravit Patrem Gen. cap. 46. Salomon assurrexit Matri. 3. Regum cap. 2. item, ait Catechismus Romanus, honoramus parentes, dum eorem virtutes et rectè facta imitamur, juxta illud Joan. cap. 8. V. 39. "Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite."

Contra hanc reverentiam graviter peccant filii, qui parentibus deliberato animo maledicunt, qui contumeliosè eos contemnunt aut irrident, vel eos ad gravem iram provocant, prout etiam qui patrem aut Matrem percutiunt etsi leviter tantùm, imò qui tantùm manum vel instrumentum levarent ad percutiendum; quia illa graviter repugnant reverentiæ parentibus debitæ.

Unde notat Henno, odium, injuriam, contemptum, &c. quæ respectu alterius personæ forent quid leve, grave reputari respectu parentum, ob singularem, quæ illis debetur, reverentiam.

Pariter quidquid contra personam indifferentem foret peccatum mortale, si in parentes fiat, habere duplicem malitiam mortalem, cùm insuper virtus pietatis violetur.

Quid intelligitur per subsidium debitum parentibus?

V. R. Intelligitur subsidium aut auxilium corporale et spirituale: id evidenter docet Christus Matth. cap. 15. graviter arguens Scribas et Pharisæos, qui ex avaritia suadebant filiis, ut bona parentibus egenis eroganda impenderent in oblationem, et sic irritum faciebant mandatum Dei de parentibus honorandis, id est, juvandis.

Infertur cum Bonacina, filios teneri, cum modestia tamen et reverentia, admonere parentes, si advertant eos retinere aliena, impudica vel blasphema loqui, Sacramenta negligere, curam salutis non gerere, &c. quod à fortiori verum est in articulo mortis, in quo tenentur de prudenti Confessario illis providere.

2°. Graviter peccare filium, qui parentibus in gravi necessitate constitutis non succurrit, etiamsi parentes per

aliquam artem, sed statui suo indecoram, sibi possent subvenire; item qui eos infirmos non visitat, injustè vexatos non tuetur, &c.

Hæc obligatio tam stricta est, ut juxta S. Th. 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad 3 et 4. proles teneantur ingressum Religionis et statum Matrimonii differre, imò etiam è Religione manere, si parentes sint in gravi necessitate, et illis manendo in sæculo succurrere possint: ratio est, quòd hæc obligatio sit juris naturæ, status autem Religionis vel Matrimonii sit opus libertatis.

N. 88. DE OBEDIENTIA PARENTIBUS DEBITA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 4.

I. *Parentibus debetur obedientia* II. *In licitis et materia subjecta,* III. *Ut in illis, quæ spectant ad disciplinam, &c.* IV. *Inobedientia fit mortalis,* V. *Dum intentio obligandi,* VI. *Et materia est gravis.*

I. OBLIGATIONEM filiorum obediendi parentibus tradit Apost. ad Coloss. cap. 3. V. 20. "Filii, obedite pa- "rentibus per omnia;" et Deut. cap. 21. "Filius contu- "max jubetur occidi."

An semper et in omnibus obedire debemus parentibus?

II. R. Cum S. Thoma loco citato negativè: non enim tenemur obedire, 1°. dum obstat præceptum majoris potestatis, et 2°. quando in hac materia filius non est subjectus parentibus; et sic filius non tenetur obedire, si aliquid præcipiant contrà legem Dei aut Ecclesiæ vel quovis modo peccaminosum, secundùm illud Act. cap. 5. "Obedire "oportet Deo magis quàm hominibus."

Meritò tamen ob præceptum parentum subinde prætermittit filius ea, quæ tantùm sunt consilii, et per obedientiam omissio consilii abundè compensatur.

In quibus itaque est obediendum parentibus?

III. R. Cum S. Thom. art. cit. in his, quæ sunt disciplinæ, vitæ et curæ domesticæ, ut quæ spectant ad œconomiam et gubernationem familiæ, putà ad victum, amictum, artis exercitium, &c. præcipuè autem in his, quæ spectant ad salutem et rectam morum institutionem, ut sunt abstinere à pravis consortiis, à ludis prohibitis, &c. frequentare Sacramenta, Conciones, &c.

Si filius sit emancipatus, nihilominus debet adhuc honorem et reverentiam parentibus, licèt præcisè in illis, quæ concernunt œconomiam domesticam, obedire non teneatur.

Quantum peccatum est inobedientia filiorum in parentes?

IV. R. Est mortale, dum inobedientia est in re gravi, in qua subjecti sunt filii, et quam præcipiunt parentes cum voluntate graviter obligante.

V. Observari debet, parentes in materia gravi non semper obligare sub gravi, sed præcipere sæpe solicitando magis et alliciendo, quàm obligando; et tum præceptum non obligat sub gravi, quia non adest intentio obligandi sub gravi.

Quænam materia hìc dici debet gravis?

VI. R. Illa, quæ notabiliter conducit ad curam domesticam, ad bonos mores, salutem animæ, &c. v. g. lucrum notabile pro sustentatione familiæ obtinendum, aut simile damnum evitandum, pravam consortium deserendum, &c.

Unde generaliter oportet cognoscere circa peccata inobedientiæ puerorum,

1°. An adfuerit intentio graviter obligandi, ex necessitate aut magna utilitate rei præceptæ, ex pœna opposita, vel ex modo severo præcipiendi, &c.

2°. An ipsa res sit gravis.

3°. An unus vel uterque parens provocatus sit ad iram, blasphemiam, &c. quorum peccatorum filii rei sunt.

N. 89. DE TITULIS HONORANDI PARENTES.

I. *Tituli honorandi parentes,* II. *Sunt legitima generatio,* III. *Decens educatio,* IV. *Et pia institutio.* V. *Interrogandi parentes in confessione.*

QUINAM sunt tituli, ob quos filii parentes honorare tenentur?

I. R. Sunt illa tria, quæ filiis debentur à parentibus, scilicet 1°. Legitima generatio, 2°. Decens educatio, et 3°. Congrua in vita et moribus institutio.

II. Primum exigit, ut parentes sint matrimonio juncti, antequam generationi operam dent, et ut omne periculum abortûs præcaveatur.

III. Secundum requirit, ut dent prolibus suis victum et amictum, ut eis provideant, quo in futurum sustententur, eàs instituendo scientiis aut artibus earum statui et capacitati convenientibus, congruas quoque opes, quantùm honestè fieri potest, eis præparando: unde peccant parentes prodigi miseras proles relinquendo.

IV. Ob tertium tenentur parentes curare, ut proles quamprimùm baptizentur, ac eas docere debent prima rudimenta Fidei, mittere ad Catechismum, et ubi ratio fulserit, satagere, ut ad Deum se convertant, denique

erbo et exemplo eas dirigere, premio et castigatione eas peccatis cohibere: circa quod tamen monendi sunt paentes, ut hoc non agant per iracundiam et nimia verbera, ed potiùs subtrahendo eis cibum, lusum, aliaque delectabilia, de quibus latè Hesselius in suo Catechismo.

V. Hinc conclude, parentes regulariter interrogandos in onfessione, si proles habeant, an eas rectè instituant, an d Catechismum scholamque mittant, an eis non permittant agationes nocturnas, consortia periculosa, &c.

Circa hos titulos sic monet Ecclesiasticus cap. 7. V. 29. Honora patrem tuum, et gemitus Matris tuæ ne obliviscaris: V. 30. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi:" et Tobiæ ap. 4. V. 3. "Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus:" V. 4. "Memor enim esse debes, quanta pericula passa sit propter te."

Pius ergo filius considerabit, quòd ab eis post Deum esse uum habet, quòd ab eis ad Sacramenta salutis adductus st, in fide et moribus instructus, quòd curas et pœnas duras ustinuerunt, &c.

Quartum titulum generalem honorandi parentes et omnes Superiores addit Catechismus Romanus, scilicet, quòd in llis honoramus Deum, eò quod omnis potestas et superioitas sit à Deo, atque ita Deus velit, ut Superiores honorenus tanquam repræsentantes Deum: hinc Apostolus ad Ephesios cap. 6. V. 5. "Servi, obedite dominis carnalibus......sicut Christo: V. 6. Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo; V. 7. Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus."

Hoc motivum obedientiæ utiliter adhibent animarum lirectores, ut filios et alios subditos ad obediendum inducant, proponendo ipsis, an si Deus ipse aliquid præciperet, llud alacriter non adimplerent; dum autem præceptum Superioris adimpletur, hoc Deum ita accipere, ac si ipse præcepisset.

N. 90. QUI NOMINE PARENTUM INTELLIGANTUR?

I. *Parentes.* II. *Superiores spirituales,* III. *Et sæculares.* IV. *Curatores,* V. *Seniores,* VI. *Veniunt nomine Parentum.* VII. *Quid si præcipiantur incompatibilia.*

I. RESP. 1°. et principaliter illi, qui nos secundùm carnem genuerunt, et sub illo nomine continetur omnis parentela, sive consanguinei, sive affines.

II. 2°. Superiores Ecclesiastici et spirituales, ut Episcopus, Pastor, Confessarius, &c.: illi enim vitam spiritualem in nobis producunt et promovent: hinc Apostolus 1. ad Corinth. cap. 4. V. 15. "Per Evangelium ego vos "genui."

III. 3°. Intelligiuntur etiam Superiores sæculares, ut Rex, Magistratus, Herus, &c. sic servi Naaman 4. Regum c. 5. vocabant eum Patrem.

IV. 4°. Intelligiuntur illi, quorum curæ commissi sumus ut sunt Tutores, Curatores, Patrini, Magistri, &c. ita Eliseus Eliam nominabat Patrem.

V. 5°. Nomine parentum veniunt etiam Seniores, de quibus Levitici cap. 19. V. 32. "Coram cano capite con- "surge, et honora personam senis."

VI. Has omnes personas honoramus actibus supra dictis amore, reverentiâ, obedientiâ et subsidio; non tamen omnes æqualiter, sed secundùm ordinem superioritatis, conjunctionis et subjectionis; prout dicit S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. in "Corp." "Tenetur subditus suo Superiori "obedire secundùm rationem superioritatis, sicut miles "Duci exercitûs, in his, quæ pertinent ad bellum; servus "Domino in his, quæ pertinent ad opera servilia exequenda; "filius Patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ et "curam domesticam, et sic de aliis."

In his autem, quæ ad naturam spectant, ait S. Thomas ibidem, non tenetur homo homini obedire, sed solùm Deo unde non tenetur filius Patri obedire de matrimonio contrahendo, nec de virginitate servanda: hoc tamen intelligi debet "per se;" quia per accidens ratione voti, pacti, criminis, paupertatis parentum, &c. potest quis impediri a Matrimonio vel cælibatu.

Nota, licèt filii in electione statûs matrimonialis liberi sint, eos tamen parentum consilium et consensum exquirere debere, ut dictum est Num. 4. "de Matrimonio."

Quid agendum, dum duo Superiores præcipiunt incompatibilia?

VII. R. Standum est præcepto majori magisque urgenti sic ante omnia servanda sunt præcepta juris naturæ et præcepta juris positivi divini; considerandum quoque est bonum commune et privatum, spirituale et corporale, necessitas urgens præcepti, qualitas et gradus superioritatis, &c. Vide S. Thom. loco citato.

N. 91. DE PROMISSIONE QUARTI PRÆCEPTI.

I. *Promissio quarti præcepti.* II. *Continet vitam diuturnam,* III. *Et felicem,* IV. *Item æternam.* V. *Præmaturè morientibus,* VI. *Verificatur promissio*

I. QUARTO præcepto additur hæc promissio: "Ut sis "longævus super terram," et ideo Apostolus ad Ephesios cap. 6. V. 2. vocat mandatum hoc "primum in promissione;" non quasi hoc solum haberet sibi promissionem junctam, sed quia habet promissionem specialem; cùm alia, v. g. primum, solùm habeant promissiones generales, ut notat S. Hieronymus.

Quid continet hæc promissio?

II. R. 1°. Vitam diuturnam corporalem; qui enim gratus est de beneficio accepto, seu de vita à parentibus accepta, dignus est, qui eo beneficio diu gaudeat.

III. 2°. Sub vita longæva continetur felicitas hujus vitæ, ut colligitur ex Deuteron. cap. 5. V. 16. et ad Ephes. cap. 6. V. 3. "Ut bene sit tibi;" hoc est, ut feliciter et diu vivas super terram.

IV. 3°. Promittitur vita æterna saltem figuratè; ita enim explicat Apostolus dicens 1. ad Timoth. cap. 4. V. 8. "Pietas...promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et "futuræ."

Contrà filiis impiis in parentes Scriptura S. non tantùm mortem, sed etiam infelicitatem, ignominiam, et omnem maledictionem comminatur: usque adeo ut etiam in seram posteritatem maledictio transmittatur, ut patet in posteris Cham.

Promissio hæc vitæ longævæ propriè quidem pertinet ad legem veterem; Christiani tamen ab ea non sunt alieni, ut insinuat Apostolus ad Ephes. c. 6. eandem promissionem pro nova lege commemorans.

Quare ergo filii quidam pii in parentes vitam longævam non consequuntur?

V. R. Cum Catech. Rom. quia longior vita non est ipsis salutaris; bona enim temporalia non cadunt sub meritum, nisi inquantùm conducunt ad remunerationem æternam, ait S. Thomas.

2°. Quia fortè imminet patriæ aut familiæ acerba calamitas: tunc enim morte tolluntur, ne per eam affligantur, ut sæpius accidit Sanctis: unde metuendum aliquando, ne gravia mala immineant, dum piis hominibus accidit immatura mors.

Quomodo in his verificatur promissio?

VI. 1°. R. Verificatur secundùm intentionem Dei, quæ est conditionata, inquantùm nempe vita longæva congruit saluti filii pii et gubernationi Divinæ Providentiæ: sic rapiuntur quidam boni præmaturâ morte, ne malitia mutet intellectum eorum. Sap. cap. 4.

2°. Verificatur et abundè adimpletur per modum compensationis, inquantùm iis loco temporalis vitæ datur æterna, sicuti non dicitur falli ille, cui argentum promissum est, et datur aurum.

Prædicta Parochi aliique, occasione datâ, in praxi applicare possunt, ut obedientia, reverentia, et omnis subordinatio debitè conservetur.

Quare non ponitur hìc speciale præceptum, ut parentes suos filios diligant?

R. Quia parentes naturali impetu diligunt filios suos tanquam aliquid suî: deinde non est subordinatio parentum ad filios, nec sunt tituli tales, quibus obligantur parentes filios honorare, sed magis dirigere et curare. Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 5. ad 4.

N. 92. DE QUINTO, SEXTO, ET SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

I. *Quintum præceptum* II. *Prohibet omne nocumentum personæ proximi.* III. *Præcipit pacem, &c.* IV. *Explicatur V.* 39. *c.* 5. *Matt.* V. *Sextum præceptum* VI. *Prohibet peccata luxuriæ.* VII. *Remedia.* VIII. *Septimum præceptum* IX. *Prohibet omne nocumentum in rebus proximi.*

QUODNAM est quintum Decalogi præceptum?

I. R. Hoc: "Non occides."

Quid hoc præcepto prohibetur?

II. R. Cum S. Thoma 2. 2. quæst. 122. art. 6. ad 2. prohibentur omnia nocumenta, quæ inferuntur in personam proximi, et quæ sub homicidio continentur tanquam sub principaliori.

Itaque prohibetur omnis injusta occisio, læsio, et mala corporis humani tractatio, ut mutilatio, vulneratio, verberatio, incarceratio, &c. item omnia, quæ disponunt vel ordinem habent ad injuriam aut læsionem immediatè personam attingentem, ut sunt ira, odium, irrisio, maledictio, &c. hinc dicit Joannes Epist. 1. cap. 3. V. 15. "Omnis, "qui odit fratrem suum, homicida est."

Etiam huc reduci possunt nocumenta animæ, et actus interni correspondentes, qui alio præcepto Decalogi specialiter non prohibentur.

Quid hoc Præcepto præcipitur?

III. R. Cum Catech. Roman. pax, charitas, beneficientia, patientia, misericordia, injuriæ condonatio, et conservatio ac incolumitas personæ proximi.

Quis est sensus hujus sententiæ Matth. cap. 5. V. 39. "Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe "illi et alteram?"

IV. R. Sensus est metaphoricus, scilicet si quis tibi intulerit injuriam, esto paratus sustinere ab eodem secundam potiùs, quàm resistere, vel vindictam sumere: potest hæc sententia intelligi de consilio, et potest etiam continere Præceptum duplici modo: 1°. In præparatione animi, et 2°. in facto, dum salus, conversio vel alia necessitas proximi id exigit.

Quodnam est sextum Decalogi Præceptum?

V. R. Hoc: "Non Mœchaberis."

Quid hoc Præcepto prohibetur?

VI. R. Adulterium et omnis species luxuriæ, seu omnia peccata contra castitatem, de quibus agitur in Tractatu "de Temperantia" N. 282. et seq.

Quid præcipitur hoc Præcepto?

R. Animæ et corporis castitas, de qua vide Tractatum citatum Num. 281.

VII. Catechismus Romanus agens de sexto Præcepto, contra luxuriæ peccata ponit hæc remedia præcipua: fugere otium, crapulam, custodire oculos, aversari verba obscæna, occasiones et consortia fugere: deinde frequenter confiteri et sumere sacram Eucharistiam, orationem cum jejunio, Passionis Christi meditationem, turpitudinis peccati et inferni considerationem, &c.

Causas et remedia motuum carnis et varia huc spectantia reperies, ubi actum est de subjecto peccati Num. 109. et seq.

Assigna septimum Præceptum?

VIII. R. Est hoc: "Non furtum facies."

Quid prohibet hoc Præceptum?

IX. R. Omne nocumentum in rebus externis proximi, seu in bonis fortunæ et famæ; igitur prohibetur furtum, rapina, simonia, usura, detractio, contumelia, &c.

Quid hoc Præcepto præcipitur?

R. Justitia inviolata, benignitas et liberalitas in proximum.

Quare in hoc Præcepto exprimitur furtum, non usura?

R. Quia in furto injustitia evidentiùs patet.

Quid sibi volunt hæc verba Prov. cap. 20. V. 10. "Pondus et pondus, mensura et mensura: utrumque abo- "minabile est apud Deum?"

R. Qui utitur alio pondere et mensura minore in vendendo et alio majore in emendo, facit rem abominabilem apud Deum, tum ob dolum et continuum peccandi animum, tum quòd per talem injustitiam humana societas destruitur.

N. 93. DE OCTAVO, NONO, ET DECIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

I. *Octavum præceptum* II. *Prohibet judicii et linguæ peccata.* III. *Nonum præceptum* IV. *Prohibet peccata interna carnis.* V. *Decimum vitat affectum furti.* VI. *Ad quod præceptum pertineat ebrietas.*

QUODNAM est octavum præceptum?

I. R. "Non loqueris contra proximum tuum falsum "testimonium."

Quid illo Præcepto prohibetur?

II. R. Falsum testimonium et omnis perversio publici judicii, omne mendacium et animi duplicitas, calumnia, judicium temerarium, &c.

Reduci huc possunt peccata linguæ, qualia sunt adulatio, detractio, convicium, susurratio, &c. tametsi pleraque horum ad aliud Præceptum reduci possint.

Præcipitur hoc Præcepto veracitas et cordis simplicitas.

Assigna nonum Præceptum?

III. R. "Non concupisces uxorem proximi tui."

Quid illo prohibetur?

IV. R. Omne peccatum internum contra castitatem, ut sunt voluntas, desiderium, delectatio morosa: quod enim sexto Præcepto prohibetur in opere, illud hìc prohibetur in affectu.

V. Simili modo decimum Præceptum: "Non concupisces "domum, &c. proximi tui," correspondet septimo Præcepto, et quæ opera illic prohibentur, eorumdem hìc prohibetur affectus.

Quare non ponuntur præcepta specialia prohibentia concupiscentiam homicidii et falsi testimonii, sicut ponuntur prohibentia concupiscentiam carnis et rerum temporalium?

R. Quia delectatio carnis et utilitas divitiarum sunt magis appetibiles et homini quasi naturales, quo fit, ut à multis

peccata non reputentur: sed homicidii et falsi testimonii cogitatio horrorem potiùs ingerit, quàm delectationem.

Quonam decalogi præcepto prohibetur ebrietas?

VI. R. Estius eam reducit vel ad sextum ob delectationem sensualem, vel ad quintum, quia privat hominem ratione, vitam abbreviat, et ad homicidium disponit.

2°. Alii dicunt, ebrietatem esse contra omnia præcepta; quia ex ea nata sunt sequi omnia peccata.

3°. Dici potest, eam non debere reduci ad aliquod speciale præceptum Decalogi; quia est peccatum contra seipsum.

Quare in Decalogo non ponitur præceptum diligendi seipsum?

R. 1°. Quia quisque naturaliter satis inclinatur ad amorem suî ipsius.

2°. Quia præceptum amoris proximi denotat obligationem diligendi seipsum, cùm proximus diligi debeat, sicut seipsum quis diligeret.

3°. In amore Dei tanquam in causa continetur amor suî.

N. 94. DE LEGE NOVA.

S. Th. 1. 2. *quæst.* 107.

I. *Lex nova.* II. *Ejus formale et materiale.* III. *Ad eam pertinent Consilia Evangelica.* IV. *Triplicia ejus præcepta.*

Quid est lex nova?

I. R. Est lex divina data à Christo Legislatore universi orbis hominibus.

Lex nova est tota illa ordinatio, doctrina et disciplina, quam Christus partim ante, pàrtim post mortem suam instituit et præscripsit.

Dicitur "lex nova," vel quia nova est respectu legis veteris, vel quia hominem renovat per gratiam. Vocatur etiam lex fidei, lex gratiæ, lex libertatis, lex Evangelica, et novum Testamentum.

II. Formale et principale legis novæ est gratia et charitas, materiale et secundarium sunt præcepta et alia à Christo ordinata: hinc lex nova essentialiter non consistit in Litera scripta; nam extitit aliquot annis ante scriptum Evangelium, et scripta dicitur in cordibus nostris ratione gratiæ et luminis fidei.

Præcepta Apostolorum et Ecclesiæ non sunt pars legis novæ; quia non sunt præcepta divina, sed humana; spectant tamen ad legem novam tanquam connexa.

III. Consilia Evangelica, quæ à Christo Domino sunt demonstrata et commendata, sed non imperata, pertinent ad legem novam. Revocantur cum S. Thom. 1. 2. quæst. 108. art. 4. ad hæc tria; paupertatem voluntariam, castitatem et obedientiam.

Quotuplicia sunt Legis novæ præcepta?

IV. R. Triplicia, scilicet moralia, ut "Ne quis irascatur fratri suo:" Sacramentalia, ut "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c." et Præcepta Fidei, ut "Qui non crediderit, condemnabitur."

N. 95. DE DIFFERENTIA INTER LEGEM VETEREM ET NOVAM.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 107.

I. *Differentia inter novam et veterem legem.* II. *In lege veteri dabatur gratia vi novæ.*

DA præcipuas differentias inter Legem novam et veterem.

R. Hæ differentiæ tantùm accipiuntur secundùm perfectum et imperfectum; nam Leges illæ specie non differunt, cùm utraque eundem habeat Authorem, scilicet Deum, et ad eundem finem tendat, tum proximum, nempe ut homo subdatur Deo, tum remotum, qui est vita æterna.

I 1°. Itaque lex nova differt à veteri in eo, quòd nova sit Spiritûs S. gratia, et vetus fuerit litera: hinc 2. ad Corinth. cap. 3. V. 6. dicit Apostolus: "Nos fecit ministros novi Testamenti, non literâ, sed Spiritu; litera enim occidit, Spiritus autem vivificat."

Unde lex vetus solùm conferebat justitiam legalem, et immunditiam legalem abstergebat.

2°. Lex nova dat per Sacramenta gratiam ex opere operato, non sic lex vetus: unde dicitur ad Gal. cap. 4. V. 9. "Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa?"

3°. Lex nova est lex amoris et filiorum, lex vetus lex timoris et servorum, ad Rom. cap. 8. V. 15. "Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore."

4°. Lex nova continet auxilium, lex vetus solum præceptum et cognitionem peccati, ad Rom. cap. 3. V. 20. "Per legem cognitio peccati."

5°. Lex nova est universalis et necessaria pro omni gente, Matth. cap. 28. v. 19. dicente Christo: "Euntes "docete omnes gentes:" Lex vetus solùm erat pro populo Israëlitico.

6°. Lex vetus data est ad tempus, lex nova usque ad consummationem sæculi perseverat: unde juxta Apost. ad Heb. cap. 7. v. 24. "Sempiternum habet Sacerdotium."

7°. Lex vetus fuit umbra et figura, lex nova continet ipsam veritatem, ad Coloss. cap. 2. v. 17. "Umbra futu-"rorum, corpus autem Christi."

8°. Lex vetus promisit temporalia, lex nova promittit bona æterna: hinc Apost. ad Heb. cap. 8. v. 6. "Quod "in melioribus repromissionibus sancitum est."

Bona temporalia infallibiliter accidebant observantibus legem veterem, spectando statum communem istius populi: quin etiam particularibus saltem ordinariè; unde dicit David Psalm 36. v. 25. "Junior fui, etenim senui: et non vidi "justum derelictum, nec semen ejus quærens panem;" quòd autem aliquibus in particulari, tametsi legem observantibus, interdum acciderent mala, hoc erat, vel quia jam erant spirituales effecti, quorum virtus erat exercenda et probanda, quique non ampliùs bona temporalia, sed mercedem intuebantur æternam: vel quia legis opera exteriùs implentes cor totum habebant in temporalibus defixum et à Deo elongatum, ut docet S. Thom. 1. 2. quæst. 99. art. 6. ad 3.

Quomodo subsistit, legem veterem non dedisse gratiam, cùm multi fuerint in ea Sancti, quales non potuerunt esse sine gratia?

II. R. Quia, quamvis lex vetus gratiam non daret, dabatur tamen gratia sub lege veteri, non vi legis veteris, sed vi legis novæ, cujus virtus per aliquam anticipationem ad legem veterem extendebatur ratione fidei in Christum venturum; per cujus mortem et merita postea realiter ponenda, sed ab eo oblata et à Patre ab æterno acceptata, homines in lege veteri gratiam sunt consecuti: ita ut homines justi, quâ tales, ad legem novam pertinerent: et hoc sensu dicitur Christus agnus occisus ab origine mundi.

N. 96. DE TEMPORE OBLIGATIONIS LEGIS NOVÆ, ET CESSATIONE LEGIS VETERIS.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 108. *art.* 3.

I. *Lex nova cœpit obligare in Pentecoste.* II. *Successivè in diversis regionibus.* III. *Quadraginta annis post*

mortem Christi obligavit omnes. IV. *Lex vetus cessat.* V. *Sententia quorumdam.*

QUANDONAM lex nova cœpit obligare?

I R. Incepit obligare in die Pentecostes; quia tunc Jerosolymis in urbe regia ac veluti metropoli, solemniter est promulgata præsentibus Judæis ex omni natione, quæ sub Cœlo est: tunc enim "de Sion exivit lex et verbum Domini de Jerusalem." Isaiæ cap. 2. V. 3.

II. Sed, cùm promulgatio legis sufficiens postulet tantam temporis latitudinem, ut legis notitia ad totam communitatem moraliter possit devenire, lex nova non cœpit obligare eodem instanti pro toto terrarum orbe, sed successivè, prout promulgatio ad varias nationes humano modo potuit pervenire.

Primò itaque affecit Judæos Jerosolymis existentes, ac deinde, alios tum Judæos tum Gentiles toto orbe degentes.

Quandonam lex nova fuit sufficienter promulgata?

III. R. Communiter creditur id fuisse circa tempus excidii Jerosolymitani per Titum, quadraginta circiter annis post mortem Salvatoris; tunc enim in omnem terram exiverat sonus prædicantium, adeo ut Lex nova tunc omnes homines obligaverit, fueritque necessaria necessitate medii ad salutem respectu omnium.

Igitur eam invincibiliter ignorantes salvari poterant usque ad excidium Jerosolymitanum; sed post excidium, eam licèt invincibiliter ignorantes salvari nullo pacto poterant, cùm esset necessitas medii.

Observa cum S. Thom. 1. 2. quæst. 106. art. 4. ad 4. prædicationem Evangelii posse dupliciter intelligi factam in universo mundo:

1°. Quantùm ad divulgationem notitiæ Christi, ita ut nullum regnum sit in mundo, quo rumor de Christo et de illis, quæ facta erant Jerosolymis, non pervenerit. Et hoc modo prædicatum fuit Evangelium ab ipso tempore Apostolorum, juxta illud ad Rom. cap. 10. v. 18. "In omnem "terram exivit sonus eorum."

2°. Prædicatio potest intelligi facta toti mundo quoad effectum fidei susceptæ, ita ut in qualibet gente creditum fuerit Evangelio et fundata Ecclesia: hoc autem modo prædicatio non fuit facta tempore Apostolorum, sed sic Fides Catholica aliquando successivè in omni loco plantabitur, antequam veniat mundi consummatio. Ita S. Th. ex S. Augustino.

An lex vetus de facto cessat?

IV. R. Affirmativè, ut patet ex Apostolo ad Hebr. cap. 7. v. 12. "Translato sacerdotio, necesse est, ut et legis "translatio fiat:" item constat ex Concilio Jerosolymitano, Actor cap. 15.

Obj. Baruc. cap. 4. v. 1. dicitur: "Lex, quæ est in "æternum:" ergo adhuc durat.

R. Dicitur lex vetus æterna, vel quoad præcepta moralia, quorum obligatio est juris naturæ, vel secundùm res in præceptis cæremonialibus figuratas: vel tandem dicitur æterna eo modo, quo æternum dicitur, quod longissimo tempore durat.

Quandonam lex vetus cessavit sive mortua est?

R. Non cessavit ante mortem Christi, cùm eam Christus semper servaverit, servarique præceperit, sed cessavit in morte Christi: quia erat figura Christi implentis Mysterium redemptionis nostræ per mortem suam: in morte autem Christi figura ista impleta est, unde et tunc dixit: "Con-"summatum est;" velum quoque templi scissum est, quod tanquam signum legis rescissæ accipiunt SS. Patres. Ex quo sequitur, Christo prædicante, duas leges simul viguisse; ita tamen ut lex vetus esset in præcepto, tametsi deficiens, lex nova in consilio et accrescens; sic ut fides in Christum natum jam obligaret illos, quibus hæc veritas prædicata erat; sed Baptismus solùm esset in consilio.

Hinc observat Sylvius, quòd si Christo prædicante Judæus quispiam prolem suam baptizasset, et non circumcidisset, infans quidem fuisset justificatus, sed pater peccasset contra præceptum circumcisionis.

Obj. Paulus circumcidit Timotheum post mortem Christi: ergo lex circumcisionis tum adhuc obligabat.

R. Neg. conseq. nam illum circumcidit non propter obligationem legis veteris, sed ex alio fine, nempe ut Timotheus, qui erat ex matre Judæa et patre Gentili, gratior fuisset Judæis.

V. Suarez cum quibusdam, quamvis admittat legem veterem secundùm se mortuam esse in morte Christi, sustinet tamen, ejus obligationem non desiisse, nisi lege Evangelicâ sufficienter promulgatâ: sicuti dum lex in Concilio Principis secundùm se abrogata est, tamen vim obligandi servat eosdemque parit effectus, donec promulgata sit ejus abrogatio.

N. 97. DE TEMPORE, QUO OBSERVATIO LEGIS VETERIS FACTA FUIT MORTIFERA.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4.

I. *Lex vetus non statim facta est mortifera,* II. *Libertas Evangelica.*

PRÆNOTANDUM, legem dici mortuam, dum non ampliùs habet vim obligandi; mortiferam verò, quando ampliùs non potest observari sine peccato.

An statim observatio Legis veteris facta est mortifera?

R. Acris olim super hac re fuit disputatio inter SS. Aug. et Hieron. salvâ tamen pace Christianâ: Hieronymus sustinebat, statim à morte Christi, vel saltem à die Pentecostes, quo lex nova publicari cœpit, observantiam legalium cæremoniarum fuisse mortuam et mortiferam seu illicitam, tametsi Apostoli easdem piâ quâdam simulatione, ut dicebat, observaverint, ne Judæis scandalo fuissent.

I. S. Augustinus verò negabat, observantiam legalium tam citò fuisse mortiferam, quod probabat ex factis Pauli circumcidentis Timotheum Actor. cap. 16. et sese purificantis in Templo Actor. cap. 21. Deinde legalium observatio primis temporibus erat quasi necessaria, tum ut Judæi faciliùs ad Christum adducerentur, tum ut lex paulatim desineret, sive ut Synagoga sepeliretur cum honore.

Hæc S. Augustini sententia hodiedum ab omnibus recipitur.

Obj. I. Dicit Apostolus ad Gal. cap. 5. v. 2. "Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit:" ergo circumcisio erat mortifera.

R. Dist. consequens: erat mortifera, dum fiebat cum persuasione, quòd sine circumcisione salus obtineri non posset, concedo totum: secus nego. Igitur Galatæ à quibusdam Judaïzantibus seducti existimabant circumcisionem non minùs necessariam esse in nova lege, quàm in veteri, et sine hac legem novam non posse justificare, quem errorem ut redemptionis Christi eversivum ibidem proscribit Apostolus.

2°. Respondet Sylvius, Paulum ibidem loqui Gentibus, quibus observantia legalium erat illicita, cùm ipsorum non esset sepelire Synagogam, sed id ad Judæos spectaret, quorum fuerat mater: hinc Paulus circumcidit Timotheum et non Titum; quia hic Gentilis erat.

Obj. II. Observatio legalium post mortem Christi erat mendacium in facto; quia significabat Christum venturum: ergo erat illicita.

R. Legalia post mortem Christi non observabantur tanquam signa Christi venturi, sed tanquam talia, quæ fuerant similia signa: prout vexillum, quod fuit signum Regis venturi, adhuc servatur.

Inst. Ergo simili ratione jam licebit excitare usum legalium, tanquam quæ fuerint signa Christi venturi.

R. Neg. sequelam; nam illa tunc fuerunt permissa, quia Synagogam conveniebat sepelire cum honore: qui autem jam legalia observare vellet, non esset pius deductor corporis, sed impius sepulturæ violator.

Adde, tunc mysteria per legalia figurata non fuisse adhuc sufficienter communicata et prædicata; atque ita inanis et illicitus nunc esset legalium usus.

Quandonam observatio legalium Judæis facta est mortifera seu illicita?

R. Cum S. Thom. art. 4. citato ad 1. post tempus Evangelii sufficienter promulgati; quia tunc omnis ratio cessabat, propter quam observari potuerant.

Tempus autem Evangelii sufficienter promulgati fuit circa excidium Jerosolymitanum, videturque Synagoga in ista eversione sepulta, dispersis et confusis toto orbe Judæis; adeo ut nullus amplius honor ipsi deberetur.

In quibus consistit libertas Evangelica?

II. R. Non in immunitate ab observatione mandatorum Ecclesiæ vel aliorum superiorum, ut volunt hæretici: sed consistit in his tribus, ut docet Bellarminus lib. 4. " de Romano Pontifice," cap. 17.

1°. In liberatione à servitute peccati, de qua Apostolus ad Rom. cap. 6. V. 18. " Liberati a peccato, servi facti " estis justitiæ."

2°. In eo, quòd gratia Christi liberat nos a timore et servitute legis, non quidem nos eximendo ab obligatione adimplendi leges, sed aspirando charitatem, per quam facilè et libenter leges impleamus: hinc 2. ad Corinth. cap. 3. V. 17. dicitur: " Ubi Spiritus Domini, ibi libertas," et ad Gal. cap. 3. V. 13. " Christus nos redemit de maledicto legis:" hinc etiam S. Augustinus libro " de Continentia" cap. 3. dicit: " Non sumus sub lege bonum quidem jubente, non " tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex " jubet, faciens nos amare, potest liberè imperare."

3°. In eo, quòd sumus liberi a servitute cæremonialium et judicialium legis veteris: unde Apostolus Actor. cap. 15. V. 10. " Quid tentatis imponere jugum super cer" vices Discipulorum, &c." et ad Gal. cap. 5. V. 1. " State, et nolite iterum jugo servitutis contineri."

FINIS TRACTATUS DE LEGIBUS.

TRACTATUS

DE

GRATIA.

N. 1. DE DEFINITIONE GRATIÆ.

S. Thom. 1. 2. *à quæst.* 109 *ad* 110.

I. *Gratia* II. *Differt à donis naturalibus* III. *Et concursu generali;* IV. *Et à gratiis gratìs datis,* V. *Quæ sunt novem,* VI. *Possuntque esse sine charitate.*

QUID est Gratia?

I. R. Est Beneficium Divinum supernaturale creaturæ intellectuali gratìs datum, in ordine ad salutem æternam.

II. Gratia sic definita distinguitur à donis naturalibus, ut intellectu, voluntate, libero arbitrio, vita seu esse, sentire, &c. quæ nomine gratiæ naturalis vel latè dictæ, aliquando vocantur a Scriptoribus, quæque ad gratiam propriè dictam præsupponuntur saltem naturâ.

III. Distinguitur etiam a concursu Divino generali, qui creaturæ adest connaturali exigentia; item a Gratia increata, quæ est ipse Deus sive ejus benevolentia erga nos, quam solam gratiæ acceptionem in Sacris Literis admittunt nostri sectarii, ac propteria sunt damnati in Conc. Trid. Sess. 6. can. 11.

Item per voces " gratis datum" excluduntur merita nostra, et naturæ vires.

IV. In hac definitione describitur gratia propriè dicta, creata, et gratum faciens, distinguiturque a gratia gratìs data, quòd hæc detur homini principaliter ad salutem aliorum, ubi gratia gratum faciens principaliter datur ad salutem propriam.

Quot et quæ sunt species gratiæ gratìs datæ?

V. R. Apost. 1. ad Cor. cap. 12. enumerat novem species, quæ sunt: 1°. Sermo sapientiæ, 2°. Sermo scientiæ, 3°. Fides, 4°. Gratia sanitatum, 5°. Operatio virtutum, 6°. Prophetia, 7°. Discretio spirituum, 8°. Genera linguarum, 9°. Interpretatio sermonum. Vide S. Th. q. 111. art. 4.

VI. Nota, quòd gratiæ gratìs datæ per se non reddant hominem Deo gratum; nam peccatores eas habere possunt, ut Balaam Num. 24. Caïphas Joan. cap. 11. idque manifèstè docet Apost. 1. ad Cor. cap. 13. V. 2. "Si "habuero Prophetiam, &c. charitatem autem non habu-"erò, nihil sum."

Unde concludes, cum S. Thom. loco cit. art. 5. quòd gratia gratum faciens, sit multò excellentior, quàm gratia gratìs data.

Qualis est gratia actualis, quâ peccator incipit se convertere ad Deum, an gratìs data, an gratum faciens?

R. Est gratia gratum faciens, quia ordinatur ad hoc, ut homo fiat gratus Deo et justus, licèt per eam nondum actu justificetur.

N. 2. DE DIVISIONE GRATIÆ GRATUM FACIENTIS.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 1, 2 *et* 3.

I. *Divisio Gratiæ* II. *Gratum facientis: In habitualem, et actualem.*

I. MULTIPLEX datur gratiæ divisio: sic dividitur in gratiam increatam et creatam, sive quod idem est, in gratiam ex parte principii, et ex parte subjecti, de qua Num. præcedenti. Dividitur etiam in externam, quæ hominem tantùm extrinsecè afficit, ut sunt Prædicatio Evangelii, Miracula, &c. et in gratiam internam, quæ hominem interiùs afficit.

Gratia interna dividitur in gratiam gratìs datam, de qua Num. præcedenti, et in gratiam gratum facientem.

Quomodo dividitur gratia gratum faciens?

II. R. 1°. In gratiam habitualem et actualem. Gratia habitualis dividitur in primam, quæ de injusto facit justum, et in gratiam secundam, quæ est augmentum gratiæ, facitque de justo justiorem. Gratia actualis dividitur 1°. in gratiam operantem et coöperantem: 2°. in gratiam prævenientem et subsequentem: 3°. in excitantem et adjuvantem; 4°. in sufficientem et efficacem: 5°. in gratiam intellectûs et in gratiam voluntatis: 6°. item in gratiam primi statûs, seu statûs innocentiæ, et in gratiam secundi statûs, seu statûs naturæ lapsæ.

N. 3. DE ESSENTIA GRATIÆ HABITUALIS ET ACTUALIS.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 110.

I. *Gratiæ habitualis* II. *Essentia.* III. *Quòd sit habitus, non est de fide.* IV. *Differt à charitate.* V. *Ejus subjectum.* VI. *Gratia actualis.* VII. *Ejus subjectum.*

QUID est gratia habitualis?

I. R. Est donum supernaturale gratiæ infusum à Deo, quod animæ permanenter inhærens per modum habitûs eam reddit formaliter Deo gratam, et per hanc homo dicitur fieri consors naturæ Divinæ.

II Itaque hæc gratia est aliquid creatum in anima, et ab ea distinctum, et qualitas quædam supernaturalis à Natura divina derivata, non tamen particula Divinæ substantiæ, sed habens singularem cum Natura Divina similitudinem et convenientiam, tribuitque animæ quoddam esse sanctum supernaturale, stabile, &c. per modum propensi habitûs inclinans ad actus supernaturales.

III. Nota, quòd non sit de fide gratiam habitualem esse habitum, sed de fide est, quòd sit aliquid creatum.

Non obstat tamen, quò minus hæc gratia sit habitus, quòd ipsa non videatur operativa, quia non omnes habitus proximè sunt operativi, prout etiam est habitus fidei in parvulo baptizato.

Gratia hæc vocatur sanctificans vel justificans formaliter, et ex hac dicitur homo justus, sanctus, filius Dei adoptivus, et ex privatione ejus dicitur injustus et peccator.

An gratia sanctificans idem est realiter cum charitate?

R. Certum est, illa duo inter se esse valdè connexa, ita ut habens gratiam sanctificantem, habeat etiam charitatem, et omnes virtutes infusas ei connexas.

IV. Ad quæstionem respondet Estius cum multis affirmativè; sed Sylvius cum S. Th. dicit, habitus illos esse realiter distinctos; quia per gratiam datur esse quoddam divinum et supernaturale: charitas verò disponit hominem ad operationes supernaturales, adeoque supponit hominem in esse supernaturali constitutum.

Quodnam est subjectum gratiæ habitualis?

V. R. Juxta Estium gratia habitualis sicut charitas subjectatur in voluntate, sed juxta Sylvium subjectum gratiæ habitualis est ipsa animæ essentia.

Quid est gratia actualis?

VI. R. Est divinum quoddam auxilium supernaturale transiens, movens ad salutaria cognoscendum, volendum vel agendum.

Hæc gratia quatenùs movet intellectum, consistit in quadam ipsius illuminatione seu illustratione: quatenùs movet voluntatem, communiter constituitur in quadam delectatione immediatè immissa à Deo, quæ delectatio juxta quosdam est deliberata, juxta alios indeliberata, post se trahens deliberatam, et hæc deliberata trahit opus.

VII. Gratiæ actualis subjectum sunt potentiæ intellectûs et voluntatis, quæ sunt duæ potentiæ spirituales operantes, quarum utraque, saltem in hoc statu naturæ lapsæ, auxilio supernaturali juvari debet ad actus supernaturales; ita ut non sufficiat sola gratia intellectûs, sed insuper requiratur gratia voluntatis.

N. 4. DE NECESSITATE GRATIÆ AD OPUS SALUTARE.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109.

I. *Gratia actualis necessaria est ad opus salutare.* II. *Quale est opus fidei, &c.* III. *Etiam justis.*

AN et quænam gratia necessaria est ad opus bonum salutare?

I. R. Gratia actualis est absolutè necessaria ad omne opus salutare: hæc veritas de fide est contra Pelagium, negantem gratiæ necessitatem, cujus errores, tum etiam aliorum, in fine hujus Tractatûs referentur.

Probatur autem hæc veritas ex 2. ad Corinth. cap. 3. v. 5. "Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à no- "bis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est." Item ad Philipp. cap. 2. v. 13. "Deus est, qui operatur "in vobis et velle et perficere;" et Joan. c. 15. v. 5. dicit Christus: "Sine me nihil potestis facere."

Probatur à ratione: Ordo supernaturalis excedit vires naturales: ergo pro opere ordinis supernaturalis requiruntur vires excedentes vires naturales, hoc est, auxilium supernaturale proportionatum, seu gratia.

Deinde impossibile est homini facere opus naturale bonum sine concursu Dei naturali: ergo non potest homo facere opus supernaturale sine auxilio supernaturali seu gratia actuali, cùm nullus actus excedat proportionem principii activi.

Quænam opera dicuntur salutaria?

R. Notandæ hic sunt tres operum species, scilicet opera meritoria vitæ æternæ, de quibus postea, opera moraliter solùm bona, de quibus Num. sequenti, et opera salutaria.

II. Opera autem dicuntur salutaria, quæ aliquo modo conducunt ad salutem vel justificationem, v. g. opera fidei, spei et charitatis, jejunium, eleëmosyna, &c. si ordinentur ad finem supernaturalem: atque hæc sunt, quæ, ut dictum est, procedere debent ex gratia actuali, ut queant dici salutaria; non ideo tamen requiritur gratia habitualis, ut patet ex Trid. Sess. 14. cap. 4. "de metu gehennæ."

Unde nota, peccatorem ante gratiam habitualem omnino posse habere gratias actuales, et sic posse, v.g. elicere actus fidei, spei, contritionis imperfectæ, &c. et alia opera præparatoria ponere, ut patet iterum ex Trid. Sess. 6. cap. 6.

An homo justus ultra gratiam habitualem adhuc indiget gratiâ actuali, ut ponat opera salutaria?

III. R. Affirmativè: probatur hæc sententia ex textibus Script. Sacræ statim adductis, et ex S. Aug. qui Epist. 107. inter sententias quas ad fidem pertinere dicit, ponit hanc: "Scimus gratiam majoribus" (id est adultis) "ad singu-" los actus dari." Quod etiam explicat Lib. "de Natura" et Gratia," cap. 26. hâc similitudine: sicut oculus corporis etiam sanus sinè impulsu lucis non potest cernere, sic homo justificatus nisi luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere.

Obj. Rectè dicitur, quòd homo viator licèt hic et nunc careat gratiâ, possit se convertere ad Deum; atqui conversio ad Deum est opus salutare: ergo homo potest sinè gratia facere opus salutare.

R. Neg. conseq. Ratio est, quòd in majori præmissa non excludatur gratia, quæ excluditur in consequente: nam major propositio intelligenda est hoc sensu: quòd homo viator hic et nunc carens gratiâ, possit habere gratiam, et sic possit per gratiam se convertere ad Deum; sed in consequente omnis gratia excluditur, et infertur, quòd sine forma gratiæ possit simul in actu secundo haberi conversio formalis: unde plus infertur in consequente, quàm continetur in antecedente, adeoque falsum est consequens, sicuti falsa est hæc propositio: paries sinè albedine potest esse albus.

Nota 1°. Non æquivalere has duas propositiones: "Homo nondum habens gratiam, potest se convertere ad "Deum: et homo potest sine gratia se convertere ad "Deum."

2°. Dum dicitur hominem sine gratia non posse exercere opus salutare, id debere intelligi de "posse consequente," sive in actu secundo, quod nimirum actui conjungitur.

N.5. AN GRATIA SIT NECESSARIA AD OPERA MORALITER BONA.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 2.

I. *Opera bona moraliter* II. *Possunt fieri sine gratia.* III. *Est contra Bajum.* IV. *Jansenium et Quesnellum.* V. *Explicatur Conc. Arausic.* VI. *Et S. Augustinus.* VII. *Modi explicandi generales.*

QUÆNAM opera dicuntur moraliter tantùm bona?

I. R. Illa, quæ fiunt juxta dictamen rectæ rationis per vires tantùm naturales cum concursu Dei generali sine adjutorio gratiæ supernaturalis.

Hæc opera sunt media inter opera salutaria et peccaminosa: dicere illa esse salutaria, est Pelagianum, et dicere illa peccaminosa, est Bajanum: hujusmodi sunt dare eleëmosynam ex naturali affectu misericordiæ, diligere parentes, consanguineos, alienum restituere, &c. merè ob honestatem naturalem et rectitudinem rationis.

An homo potest facere opus bonum sine gratiâ?

II. R. Dictum est Num. præcedenti, quòd homo non possit sine gratia actuali facere bonum salutare.

2°. Homo etiam in hoc statu naturæ lapsæ potest sine gratia facere quædam opera moraliter tantùm bona: ratio est, quòd homo licèt per peccatum sit læsus, non sit tamen privatus toto naturæ bono: deinde cùm illa opera sint ordinis naturalis, non excedunt vires naturæ.

III. Hæc conclusio est contra Bajum, Jansenium et Quesnellum, probaturque ex condemnatione propositionum 22, 25, 27, 35 et 68. inter Bajanas, de quibus vide Steyaert in damnatas.

Nec opponi potest, quòd illæ propositiones tantùm sint damnatæ propter acerbitatem censuræ contra sententiam oppositam: nam v. g. vigesima septima quæ est hæc: "Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad "peccandum valet," nullam habet censuram adversus aliam.

IV. Bajum secutus est Jansenius, Lib. 3. "de statu naturæ lapsæ," item Quesnellus, cujus propositio 38. damnata est hæc: "Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoria."

Obj. I. Joan. c. 15. v. 5. dicit Christus: "Sine me nil

"potestis facere." Ergo nec opus moraliter bonum sine gratia.

R. Nego conseq. Sensus enim est, quòd sine gratia Christi non possimus ullum opus salutare facere: nam loquitur Christus de iis operibus, per quæ in ipso manemus et fructum afferimus, hoc est, de operibus salutaribus non moraliter tantùm bonis.

Alii verba objecta intelligunt generaliter, ita ut sine Christo ut Deo, id est, sine concursu Dei generali, nihil, nequidem opera moraliter bona, efficere possimus.

Obj. II. In Conc. Araus. II. cap. 22. dicitur: "Nemo "habet de suo nisi peccatum et mendacium:" ergo nemo potest facere opus moraliter bonum sine gratia.

V. R. Neg. conseq. Nam per illas voces "de suo" excluditur omne id, quod Deum qualitercumque auctorem habeat, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ. Sensus itaque est: nemo habet de suo, quod ita est suum, ut nullatenùs sit à Deo, nequidem ratione concursûs generalis, quàm peccatum et mendacium; nam peccatum secundùm suum formale ita est ab homine deficiente, ut nullatenùs sit à Deo. Hic sensus colligitur ex titulo dicti capitis, qui est: "de iis, quæ hominum sunt propria."

Obj. III. S. Aug. lib. "de Spiritu et Litera" cap. 3. dicit: neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritas: ergo, &c.

VI. R. Cùm constet, quòd S. Aug. agens contra Julianum, tum etiam lib. citato cap. 27. disertè admittat opera moraliter tantùm bona, dicens: "Impiorum nec Deum "verum veraciter justèque colentium, quædam facta vel "legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm jus- "titiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm "etiam meritò rectèque laudamus." Hinc verba benignè interpretanda sunt, possuntque hæc et similia exponi tribus modis.

VII. 1°. Quòd agat de eo, quod accidit communiter, ut patet ex his quæ S. Augustinus ibidem subjungit dicens: "Quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniun- "tur, quæ justitiæ debitam laudem mereantur."

Vel dici potest, quòd peccetur defectu relationis in Deum, quod peccatum non se tenet ex parte operis, sed ex parte operantis tantùm, et hoc modo verissimum est, inquit Braunman, quòd liberum arbitrium non nisi ad peccandum valeat, cùm relatio sine gratia fieri nequeat: verùm hoc non ita certum existimat Daelman: nam cùm homo, ut

numero sequenti dicètur, possit sine gratia aliqualiter Deum diligere ut auctorem naturæ, poterit sine gratia fieri relatio operis in Deum saltem inter infideles.

2°. Intelligi possunt opera liberi arbitrii deficientis, et quæ ita sunt liberi arbitrii, ut nullo modo sint à Deo, prout statim dictum est ad Conc. Arausicanum.

3°. Quidam respondent, quòd Patres vocem "peccati" aliquando latiùs accipiant, pro omni opere non salutari, atque ita velint tantùm significare, quòd liberum arbitrium sine gratia nibil salutare valeat operari, quia opera moraliter tantùm bona nihil ad salutem æternam contribuunt.

N. 6. DE NECESSITATE GRATIÆ AD DILIGENDUM DEUM.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3.

I. *Distinctio amoris naturalis et supernaturalis* II. *Non est commentitia.* III. *Ad supernaturalem requiritur gratia,* IV. *Non ad naturalem.* V. *Nisi sit super omnia.* VI. *Voluntas nequit semper sequi judicium intellectûs.* VII. *Sermones vitandi,* VIII. *Abhibendi,* IX. *Et permissi.*

AN homo in statu naturæ lapsæ potest sine gratia diligere Deum?

I. R. Cum S. Thom. distinguenda est duplex Dei dilectio: una est dilectio Dei ordinis naturalis, quâ Deus diligitur ut Auctor naturæ et bonorum naturalium, ac ut finis naturæ proportionatus: alia est dilectio Dei ordinis supernaturalis, quâ Deus diligitur ut Auctor supernaturalium, gratiæ et gloriæ, et ut finis noster supernaturalis; hæc dilectio spectat ad charitatem, virtutem Theologicam.

II. Hæc distinctio duplicis amoris confirmatur ex condemnatione propositionis 38. inter Bajanas, quæ sic sonat: "Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo "Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus "amatur ut Beatificator, vana est et commentitia, &c." His positis,

III. R. 1°. Homo non potest sine gratia Deum diligere ut auctorem supernaturalium, sicut non potest facere opera salutaria sine gratia.

Ratio est, quòd illa dilectio sit supernaturalis, adeoque excedat vires naturæ: hinc Conc. Trid. Sess. 6. can. 3. damnat eos, qui dicunt hominem sine preveniente Spiritûs

Sancti inspiratione et adjutorio posse Deum diligere sicut oportet; etenim Deum diligere sicut oportet, est Deum diligere ex motivo charitatis, et in ordine ad salutem æternam.

IV. R. 2°. Homo in statu naturæ lapsæ potest quidem Deum diligere ut auctorem naturalium ex solis naturæ viribus amore aliquo naturali et imbecilli, sic tamen, ut hic amor non possit esse super omnia.

V. Ratio prioris est, quòd vires naturales per peccatum non sint extinctæ, licèt læsæ sint et infirmatæ: quòd autem amor ille nequeat esse super omnia, probatur, quia amor Dei super omnia est actus perfectissimus hominis sani et integri: ergo ad eum pertingere non potest homo lapsus sine adjutorio gratiæ naturam sanante.

Probatur ulteriùs ab inconvenientiis: nam si homo viribus naturæ posset diligere Deum super omnia, legem sine gratia impleret; qui enim diligit, legem implevit, ad Rom. cap. 13. v. 8. et sic homo salvari posset sine gratia, quod falsum est, et ab errore Pelagii non recedit.

Obj. I. Potest homo sine gratia in statu naturæ lapsæ cognoscere Deum esse summum bonum, diligendum super omnia, idque solis naturæ viribus: ergo potest Deum diligere super omnia ex solis naturæ viribus; quia voluntas potest sequi judicium intellectûs.

R. Neg. conseq. et probationem; quia, ut ait S. Thom. art. 2. ad 3. multò graviùs homo vulneratus est in voluntate et appetitu boni, quàm in intellectu, seu cognititione veri; eò quòd peccatum proximè à voluntate procedat, sicque eam magis quàm cæteras potentias inficiat.

VI. Ad probationem dicendum, quòd voluntas non possit semper sequi judicium intellectûs, 1°. dum judicium est tantùm speculativum, prout cognitio naturalis de diligendo Deo est speculativa: ad hoc enim ut voluntas aliquid velit, prærequiritur cognitio practica, quâ intellectus judicet, Deum hìc et nunc super omnia esse diligendum.

2°. Si intercedat impedimentum utì est inclinatio naturæ corruptæ ad bona privata et affectus ad sensibilia, quæ superari et deponi debent, ad hoc, ut Deus super omnia diligatur, non autem ad illud, ut Deus diligendus cognoscatur.

Obj. II. Potest homo solis naturæ viribus creaturam diligere super omnia: ergo etiam Deum.

Probatur consequentia: quia Deus est objectum magis amabile, quàm creatura: ergo, &c.

R. Neg. conseq. disparitas est, quòd amor Dei super omnia inveniat impedimenta, quæ non invenit amor crea-

turæ in homine corrupto per peccatum; quia homo per peccatum aversus est à Deo ut ultimo fine, tam naturali quàm supernaturali: homo autem per peccatum non est aversus à creaturis, sed potiùs ad eas conversus.

Deinde bonum sensibile potest magis movere affectum hominis animalis, qui non percipit ea, quæ Dei sunt.

Ad probationem respondetur, quòd objectum nobilius et præstantius, quandoque potentiam infirmam et malè dispositam obtundat magis, quàm ad actum provocet; sicut se habet oculus ad nimiam solis claritatem, et stomachus debilis ad validiores cibos, &c.

Dictum est supra "in statu naturæ lapsæ;" quia juxta S. Thom. art. 3. in "Corp." potuisset homo in statu naturæ integræ Deum diligere super omnia viribus naturæ; eò quòd tunc nullum esset impedimentum, quod actum illum perfectissimum quidem, sed tamen naturæ commensuratum, impedivisset.

VII. Ex dictis deduces, quinam sermones sint hodiedum admittendi vel vitandi: v. g. cavendi sunt hi aut similes: "Homo nil boni potest agere sine gratia. Homo nihil "potest sinè gratia. Homo sine gratia non potest nisi "peccare. Omne quod agit peccator sine gratia, malum "est," &c. Falsi enim sunt; quia negantur opera moraliter bona.

VIII. Sequentibus tutò uti possumus: "Homo nihil "salutare agere potest sine gratia."

"Quidquid agit homo sine gratia non prodest ei ad "salutem, neque ad gratiam suscipiendam disponit. Deus "ut auctor supernaturalium sine gratia non potest diligi." Hi enim sermones veri sunt; quia agunt de operibus meritoriis vel salutaribus.

Sequentes admitti possunt.

IX. "Homo sine Deo nihil potest. Homo sine Dei "adjutorio nihil boni potest agere. Omne, quod homo "corruptus habet ex se absque auxilio Dei, est defectus "atque peccatum." Qui veri sunt: quia non tantùm excludunt gratiam, sed etiam concursum Dei naturalem, qui est necessarius ad omne bonum.

N. 7. DE NECESSITATE GRATIÆ AD COGNOSCENDUM VERUM, ET AD IMPLENDAM LEGEM.

S. Thom. 1. 2. *a.* 109. *a.* 1. *et* 2.

I. *Sine gratia possunt nosci veritates naturales.* II. *No tamen omnes.* III. *Nec supernaturales,* IV. *Ni*

sensu humano. V. *Non possunt sine gratia servari supernaturalia.* VI. *Sed aliqua naturalia præcepta.* VII. *Non tamen omnia.*

An homo in statu naturæ lapsæ potest aliquas veritates cognoscere sine gratia?

I. R. 1°. Potest cognoscere veritates naturales sine gratia; sic solo lumine naturæ cognoscit homo prima principia juris naturæ, et ea, quæ ex illis facilè deducuntur: quinimo ex existentia creaturarum per solas naturæ vires pertingere potest ad cognitionem Dei ut Auctoris naturalium; adeo ut juxta Apost. ad Rom. cap. 1. Gentiles Philosophi essent inexcusabiles: "Qui eum non sicut Deum "glorificaverunt."

II. Nequit tamen homo in hoc statu sine speciali gratiæ auxilio cognoscere omnes veritates naturales collectivè sumptas ob imbecillitatem intellectûs, variaque alia impedimenta.

III. 2°. Veritates supernaturales fidei non potest homo vero et sufficienti assensu cognoscere sine gratia supernaturali: ratio est, quòd hæ veritates excedant naturalem vim intellectûs humani: ergo ad eas sufficienti assensu cognoscendas, opus est auxilio naturam excedente: unde dicit Apost. 1. ad Cor. c. 12. v. 3. quòd nemo possit dicere "Dominus Jesus" nisi in Spiritu Sancto.

IV. Potest tamen homo, suppositâ revelatione externâ seu prædicatione, cognoscere veritates supernaturales sine gratia, eisque aliquem assensum humanum præbere, v. g. opinativum vel fidei humanæ, qualem præstant hæretici ob argumenta quædam humano intellectui convenientia et accommodata.

An homo sine gratia potest in statu naturæ lapsæ implere præcepta legis?

V. R. De fide est, quòd homo non possit ullum præceptum supernaturale implere sine gratia, ut constat ex dictis Num. 4. quæstio igitur est de præceptis legis naturalis.

Pro quibus notari debet dupliciter illa posse adimpleri, vel quoad substantiam, dum actus præceptus integrè ponitur, vel quoad modum, dum actus fit ex charitate: et de fide etiam certum est, præceptum naturale quoad modum sine gratia non posse impleri. His præmissis:

VI. R. 1°. Homo lapsus sine gratia observare potest aliqua legis naturæ præcepta quoad substantiam, v. g. honorare parentes, restituere alienum, facere opera moraliter bona, &c. Vide Num 5.

VII. 2º. Non potest homo in hoc statu sine gratia implere omnia legis naturæ præcepta, nequidem quoad substantiam: ita implere non potest præceptum naturale de diligendo Deo super omnia. Vide Num. 6.

Hinc dicit S. Aug. sermone 148. de tempore cap. 5. disserens de Decalogo: "Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur gratiâ Dei."

Obj. Deut. cap. 30. v. 11. dicit Deus: "Mandatum hoc, "quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est." Ergo mandata Decalogi possunt in hoc statu impleri sine gratia.

R. Nego conseq. nam sensus est: mandatum hoc non est supra vires tuas gratiâ adjutas; non enim loquente Deo gratia excluditur, sed adesse supponitur.

Deinde agitur ibi de cognitione legis, et significatur, quòd notitia ejus non esset à Judæis ex longinquis regionibus petenda, cùm à Moyse esset promulgata.

Obj. II. Ad Rom. cap. 2. v. 14. dicitur: "Gentes, quæ "legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faci-"unt:" ergo homo sine gratia servare potest legis naturalis præcepta.

R. Nego conseq. vel enim textus cum S. Aug. intelligitur de gentibus habentibus fidei gratiam, ita ut ly "naturaliter" non opponatur gratiæ Christi, sed tantùm legi Moysis; adeo ut sensus sit, gentes sine lege Moysis, et cum sola gratia Christi ea, quæ legis sunt, id est, quæ in Decalogo continentur, observant.

Vel intelligitur de gentibus infidelibus et significatur, quòd gentes implerent seu observarent aliqua viribus naturæ, quæ legis naturalis sunt, non ideò omnia.

N. 8. DE POSSIBILITATE PRÆCEPTORUM DEI.

I. *Præcepta Dei esse possibilia* II. *De fide est.*

AN sunt aliqua præcepta Dei observatu impossibilia?

I. R. Ante dictum est, quædam præcepta solis naturæ viribus observari non posse, quæ tamen impleri possunt per gratiam, adeoque simpliciter dicendum nulla Dei præcepta esse observatu impossibilia.

Hæc conclusio est de fide contra Lutherum, Calvinum, Bajum et Jansenium.

II. Probatur ex Trid. Sess. 6. cap. 11. "Deus impossi-"bilia non jubet, sed jubendo monet et facere quòd possis, "et petere quod non possis, et adjuvat ut possis."

Idem probatur ex 1. ad Cor. cap. 10. v. 13. "Deus "non patietur vos tentari supra id, quod potestis."

De hac re disertè S. Aug. lib. "de Natura et Gratia" cap. 69. "Eo ipso, inquit, quo firmissimè creditur, Deum "justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, "hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in diffi- "cilibus quid petamus."

Idem ostenditur exemplis in Davide, de quo dicitur 3. Reg. cap. 14. v. 8. "Custodivit mandata mea et secutus "est me in toto corde suo," &c. Vide etiam 4. Reg. c. 23. v. 25. de Rege Josia: idem de parentibus Joannis Baptistæ Luc. cap. 1. v. 6. &c.

Obj. I. Quædam præcepta non possunt impleri sine gratia; atqui non est in potestate liberi arbitrii habere gratiam: ergo, &c.

Probatur consequentia: illud dicitur homini impossibile, pro quo faciendo non habet medium necessarium, nec est in ejus potestate illud habere; sicuti est impossibile cæco videre, quia non habet in sua potestate ut visum recipiat: atqui unicum et necessarium medium hìc est gratia: ergo, &c.

R. Nego conseq. Licèt enim homo medium illud necessarium per se ipsum habere non possit, potest tamen illud habere per alium, quod sufficit; ut dicit S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 4. ad 2. "Illud quod possumus cum "auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, juxta "hoc Philosophi: quæ per amicos possumus, aliqualiter "nos possumus."

Satis itaque est, ne dicantur præcepta nobis impossibilia, quòd Deus sit potens, benignus et paratus dare gratiam, tempore quo præceptum excedens vires naturæ urgebit.

Ad paritatem respondetur, cæco non esse impossibile videre, si alius quis paratus sit illi visum dare. Deinde in cæco nequidem est potentia physica præsens ad videndum, sed merè obedientialis.

Hanc difficultatem explicat Sylvius 1. 2. q. 109. art. 4. quæsito 1°. hoc modo: "Ad hoc, ut divina mandata cen- "seantur homini esse possibilia, ac per consequens cense- "atur, bene posse vivere, satis est, eum esse liberi arbi- "trii et viatorem, atque adeo in eo statu, in quo Deus "juxta ordinariam providentiam solet malos convertere, "bonos adjuvare, infirmos corroborare, et gratiam largiri "petentibus, imò et ipsum petitionis effectum ipsamque "orationem donare."

Obj. II. Actor. cap. 15. v. 10. dicitur: "Quod (jugum) "neque Patres nostri, neque nos portare potuimus:" ergo lex vetus erat observatu impossibilis.

R. Neg. conseq. Nam sensus est, quòd foret magna difficultas, vel quòd sine gratia non potuerit observari.

Hinc falsi sunt sermones sequentes: "Quædam præ- "cepta Dei sunt impossibilia. Homo quædam præcepta "Dei implere non potest:" sed dicere licet, "Homo "quædam Dei præcepta implere non potest sine gratia, "putà, præceptum diligendi Deum super omnia, et quæ- "vis præcepta supernaturalia."

N. 9. DE NECESSITATE GRATIÆ AD RESURGENDUM A PECCATIS, ET VINCENDAS TENTATIONES.

S. Thom. q. 109. *art.* 7 *&* 8.

I. *Nemo sine gratia resurgere potest à peccato.* II. *Tentationes leves vinci possunt sine gratia.* III. *Non tamen graves,* IV. *Nec diuturnæ.* V. *Sine gratia potest non poni obex.* VI. *Conciliatur cum relatione operum in Deum.*

AN homo potest resurgere à peccato sine gratia?

I. R. Responsio negativa de fide est; quia macula peccati sine gratia deleri non potest: hinc dicit Deus, Isaïæ cap. 43. v. 25. "Ego sum ipse, qui deleo iniquitates "tuas."

Potest tamen homo cessare ab actu peccati sine gratia; sic potest cessare ab ira, pugna, &c. atque idem dicendum videtur de peccandi affectu.

An homo in statu naturæ lapsæ potest vincere tentationem sine gratia?

II. R. 1°. Potest homo in statu naturæ lapsæ aliquas tentationes leves vincere sine gratia; quia licèt anima nostra sit corrupta, non omnem tamen exuit amorem rectitudinis et honestatis, sicque ex hoc amore vincere potest turpitudinem oppositam.

Probatur etiam ex condemnatione propositionum 28 et 29. inter Bajanas, ex qua rectè infertur, quòd liberum arbitrium valeat ad peccatum vitandum, quod non videretur, si homo viribus naturæ ne vel levem posset tentationem superare.

Hanc sententiam docent Estius, Wiggers, Sylvius, Billuart contra Bellarminum, Neesen, Pauwels, Braunman, qui se fundant in quibusdam locis Scripturæ S. et SS. Patrum, ut Psalmo 17. v. 30, "In te eripiar à tentatione:" et S. Aug. lib. "de Natura et Gratia" cap. 26, ubi dicit: "Sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, "sed ut etiam præstet ne peccemus:" ad quæ et similia responderi potest variis modis:

1°. Quòd agatur de victoria salutari, de qua passim Scriptura et SS. Patres: vincere autem absque gratia non est opus salutare, sed moraliter tantùm bonum.

2°. Quòd gratiam lato sensu accipiant, ita ut comprehendant etiam concursum naturalem et protectionem quamdam externam, ut dum dicit S. Aug. lib. 2. Confessionum cap. 7. "Gratiæ tuæ deputo, et quæcumque non feci "mala:" Intellige gratiam sive naturalem sive supernaturalem.

3°. Quòd agatur de eo quod communiter fieri solet.

4°. Quòd agatur de victoria per totam vitam aut per diuturnum tempus.

5°. Quòd agatur de tentatione gravi.

III. R. 2°. Ad petitionem: non potest homo lapsus sine gratia vincere tentationem gravem, sic ut non peccet illo peccato ad quod tentatur, sive alio: ratio est, quòd voluntas ex peccati corruptione valdè sit debilitata et infirmata, quo fit, ut sine gratia graviores tentationes nequeat superare.

IV. Propter eandem rationem non potest homo sine gratia superare tentationes diuturnas, neque etiam longo tempore sine speciali auxilio vincere omnes.

Hæc impotentia, ut docet Sylvius, oritur non ex defectu liberi arbitrii, sed ex ejus instabilitate et infirmitate, rerumque difficultate: unde impotentia ista non est physica, sed moralis.

V. Juxta jam dicta admitti et dici potest, quod homo lapsus sine gratia possit non ponere novum obicem gratiæ recipiendæ vel receptæ, scilicet brevi tempore et non occurrente tentatione gravi.

At dubium suboritur, quomodo hoc possit conciliari cum sententia requirente relationem omnium operum in Deum; sic enim non positio obicis debet in Deum referri, quod sine gratia fieri nequit.

VI. R. In primis respectu infidelium, qui Deum ut auctorem supernaturalium non cognoscunt, videtur sufficere, quod opus referant in Deum ut auctorem naturæ, quod fortè sine gratia fieri potest, ut in fine Num. 5.

dictum est: fideles quidem, cùm teneantur opera sua referre in Deum, ut auctorem supernaturalium, id non possunt sine gratia: verùm cùm non requiratur relatio actualis, sed sufficiat virtualis, quæ post actualem ex gratia elicitam perseverat sine nova gratia, poterit ista non positio obicis sine nova gratia referri in Deum. Vide Daelman, "de "Gratia" observ. 6.

N. 10. DE NECESSITATE GRATIÆ AD VITANDA PECCATA MORTALIA.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 8.

I. *Peccator potest vitare singula, sed non omnia mortalia longo tempore.*

AN potest homo in statu naturæ lapsæ absque gratia vitare omnia peccata mortalia?

I. R. Generaliter negativè: in primis homo sine gratia habituali, sive existens in peccato mortali, potest quidem singula peccata mortalia vitare, etiam aliquo tempore, tum per vires naturæ, tum per gratias actuales, quas Deus tempore et loco non denegat: sed fieri non potest, ut homo diu ita maneat sine novo peccato mortali, ut dicit S. Thom. hic in "Corp." ex S. Gregorio: "Peccatum, quod mox per "pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit." Unde conclusio est, quòd homo existens in peccato mortali non possit longo tempore omnia peccata mortalia vitare: hoc probat Scriptura S. Threnor. cap. 1. v. 8. "Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta "est." Et confirmat exemplum Davidis, qui, commisso adulterio, non pœnitens adjecit homicidium.

Rationem dat S. Thom. in fine Corporis: quia qui est in peccato mortali, habet voluntatem conversam ad bonum commutabile: homo autem sic constitutus, quamvis possit ex præmeditatione rationis aliquid agere præter ordinem finis præconcepti; propter varias tamen boni commutabilis occurrentias diu non persistet, quin operetur secundùm convenientiam voluntatis deordinatæ.

Obj. I. Nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergo, si peccator ille non possit omnia peccata vitare, non peccabit aliquod mortale committendo.

R. Nego conseq. ratio est, quòd possit vitare singula, quod sufficit: deinde ista necessitas non est absoluta, sed tantùm ex supposito, quòd velit in tali statu permanere

jam autem impotentia hypothetica non tollit libertatem neque excusat. Vide S. Thom., ad 1.

Obj. II. Ille peccator potest vitare omnia peccata per gratias actuales: ergo simpliciter potest vitare omnia.

R. Dist. conseq. ergo simpliciter potest vitare omnia peccata, si utatur gratiis, conc. totum: si non utatur, nego conseq. Porro supponitur, quòd talis non utatur gratiis; quia si illis uteretur, jam perduxissent eum ad statum gratiæ habitualis, et sic non maneret diu in statu peccati mortalis, quod tamen supponit quæstio.

Inferes: ergo omnis peccans mortaliter tenetur statim confiteri sub mortali.

Probatur sequela; quia aliàs se exponit periculo incidendi in alia peccata mortalia, ut dictum est: ergo, &c.

R. Nego sequelam: et distinguendo assumpt. probationis: exponit se periculo, &c. si diu differat et tardet converti ad Dominum, conc. assumpt. si breviori aliquo tempore, nego assumpt. etenim non statim à peccato commisso est probabile periculum peccandi, cùm non semper occurrant occasiones peccandi et tentationes graves: deinde Deus hujusmodi peccatores subinde adjuvat, ne peccent.

Nota cum Sylvio, periculum hoc non ità instare, respectu peccatoris pœnitentis, licèt ille fortè per unam aut alteram septimanam se non præpareti ad Confessionem, quia ille jam aliquo modo est conversus ad Deum secundum affectum. Cæterùm pro praxi nota, quòd peccatores illi, qui diu negligunt confiteri, exponant se periculo incidendi in alia peccata, et debeant se de illo accusare, uti et de speciali peccato retardationis contra præceptum Eccl. cap. 5. v. 8. "Non tardes converti ad Dominum." Item de aliis præceptis, ut contra præceptum charitatis, &c. Vide latiùs Num. 60 et 61. de "Sacram. Pœnit."

An homo justus potest vitare omnia peccata mortalia?

R. Potest vitare omnia et singula etiam longissimo tempore; indiget tamen ad illud gratiâ actuali, cùm etiam in justo remaneat concupiscentia, ignorantia in intellectu, et in voluntate magna in malum pronitas, variaque occurrant pericula peccandi: ut autem perseveret usque in finem, indiget dono finalis perseverantiæ, de quo infra.

Ex dictis collige, quid sit respondendum, si petatur: an quis in statu naturæ lapsæ possit vitare omnia peccata mortalia sine gratia?

Responderi enim debet simpliciter negativè; quia indiget gratiâ saltem actuali ad præcepta supernaturalia implenda, item ad quædam naturalia, et ad vincendas tentationes graves.

Si verò petatur simpliciter, an homo possit in statu naturæ lapsæ vitare omnia peccata mortalia?

Responderi debet sub distinctione: si sit justus, potest vitare omnia et singula peccata mortalia; si verò sit peccator, potest vitare singula mortalia, sed non omnia longo tempore. Neuter etiam potest vitare omnia venialia collectivè.

N. II. DE GRATIA AD VITANDA VENIALIA.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 8.

I. *Homo potest vitare singula venialia.* II. *Sed non omnia.* III. *Ratio disparitatis inter illa.* IV. *Homo ad breve tempus potest vitare omnia.* V. *Item ex speciali dono per totam vitam.*

AN homo in statu naturæ lapsæ potest vitare omnia peccata venialia?

I. R. Homo in hoc statu per ordinaria gratiæ auxilia potest vitare singula venialia, non tamen, licèt sit justus, potest vitare omnia collectivè notabili tempore, nisi ex speciali privilegio.

Quòd possit vitare singula, ex eo liquet, quòd aliàs non haberent rationem peccati, cùm nemo peccet in eo, quod vitare non potest.

II. Quòd non possit vitare omnia, probat S. Th. loco citato in "Corp." quia tentationes sunt adeo multiplices, ut ratio ob infirmitatem naturæ non possit esse pervigil ad omnes superandas: nam dum uni resistit, alia subrepit ex negligentia non plenè deliberata, sicque peccat venialiter.

Probatur etiam ex Scriptura Sacra: sic dicitur 3. Reg. cap. 8. v. 46. "Non est enim homo qui non peccet." Jacobi cap. 3. v. 2. "In multis enim offendimus omnes." 1. Joan. c. 1. v. 8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, "ipsi nos seducimus." Unde et quotidie justi orare debent: "Dimitte nobis debita nostra."

Hinc Trid. Sess. 6. "de Justificatione" can. 23. definit: "Si quis hominem semel justificatum dixerit ... posse in "tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex "speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine "tenet Ecclesia, anathema sit."

Obj. I. Dicitur 1 Joan cap. 3. v. 9. "Omnis qui natus "est ex Deo ... non potest peccare:" atqui justus natus est ex Deo: ergo, &c.

R. Nego conseq. Sensus est, quòd justus non peccet, nec peccare possit, quatenùs est justus, seu inquantùm agit ex Dei gratia, per quam justus est. Vel juxta S. Aug. sensus est, quòd, qui natus est ex Deo nativitate consummatâ et perfecta in Patria, non possit peccare.

Obj. II. Potest justus vitare singula venialia: ergo omnia. Probatur conseq. quia si vitaret singula, vitaret omnia; atqui potest vitare singula: ergo potest vitare omnia.

R. Nego conseq. Vitium enim est in argumento, quòd procedatur à speciebus sive singulis peccatis collectivè sumptis in assumpto probationis, dum dicitur: "si vitaret "singula," nempe collectivè, ad eadem peccata distributivè seu divisivè sumpta in minori; nam dum dicitur: "potest "vitare singula," intelligitur de singulis divisivè, non collectivè sumptis.

III. Unde nota, quòd vitare omnia importet majorem difficultatem, quàm vitare singula seorsim, propter multiplices tentationes, et infirmitatem naturæ circa omnia in confuso, non circa singula seorsim, ut dictum est: proinde dicendum, quòd Deus præcipiat vitare omnia venialia, inquantùm prohibet singula; non verò aliquo præcepto distincto à præcepto singulorum: item quòd homo omnia libere committat, quatenùs singula liberè committit, non autem liber est quoad collectionem omnium; ferè sicut Christus dixit Matthæi cap. 18. v. 7. "Necesse est, ut veniant scanda-"la," necessitate scilicet vaga, generali et indeterminata, quæ in nullum cadit determinatè peccatum, unde fit, quòd qui scandalum præbet, liberè ac adeo culpabiliter agat.

IV. Quæstio superest, de quibus venialibus supra dicta intelligi debeant, cùm ratio S. Thom. allegata manifestè tantùm agat de venialibus ex subreptione. Quidam dicunt, hominem justum posse vitare omnia venialia plenè deliberata: Sylvius tamen cum variis negat, si intelligatur de toto vitæ tempore vel admodum longo, ob multitudinem tentationum et occasionum peccandi.

Quare superiùs dictum est, quòd non possimus vitare omnia venialia notabili tempore?

R. Quia per breve tempus potest homo esse sine omni peccato veniali: quantum autem illud sit, est prorsus incertum: Sylvius existimat probabile esse, quòd in timore Dei vigilans possit ad unum diem vel aliquandò diutius esse sine omni veniali.

Dices: Prov. cap. 24. v. 16. dicitur "Septies in die "cadit justus:" ergo non potest vitare omnia venialia per unum diem.

R. Nego conseq.: nam illæ voces "in die" nec in Hebræo, nec apud 70. nec in Latinis emendationibus leguntur: unde et vulgata nostra legit: "Septies cadit justus "et resurget:" et quidem S. Aug. hunc locum non de peccatis, sed de tribulationibus intelligit.

Quinam habuerunt privilegium speciale vitandi omnia peccata venialia collectivè sumpta per totam vitam, vel longo tempore?

V. R. Patet ex Trid. ante citato: quòd privilegium illud vitandi per totam vitam omnia venialia, concessum fuerit Divæ Virgini Mariæ per donum confirmationis in gratia.

Pauci idem privilegium extendunt ad Jeremiam et Joannem Baptistam, sed veriùs negatur, ne sine urgenti causa fiat exceptio à generalibus Scripturæ Sacræ et Conciliorum locutionibus.

Non tamen simul negandum est, quòd datum fuerit quibusdam Sanctis speciale privilegium seu gratiæ auxilium ad vitanda omnia venialia in determinata quadam materia, sive circa determinatam aliquam virtutem: sic de Joanne Baptista dicitur, quòd nunquam peccaverit venialiter in sermone, de S. Josepho admitti potest, quòd nunquam peccaverit venialiter contra virtutem castitatis.

N. 12. DE PERSEVERANTIA.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 10.

I. *Perseverantia* II. *Propriè dicta.* III. *Ad hanc requiritur speciale auxilium.* IV. *Undenam incipiat.* V. *Justi possunt perseverare.* VI. *Licèt donum perseverantiæ non habeant.* VII. *Quod differt à Confirmatione in gratia.*

I. PERSEVERANTIA, de qua hìc, non est habitus mentis, quo quis firmiter in virtute stare proponit, quique in justificatione infunditur: nam ille omnibus justis est communis, sed hìc agitur de perseverantia, quâ quis usque ad finem vitæ in gratia sanctificante perseverat, vocaturque donum finalis perseverantiæ.

II. Igitur donum finalis perseverantiæ definiri potest: beneficium Dei, seu gratuita Dei operatio, quæ præstat, ut homo in gratia sanctificante moriatur.

Unde non est habitus; sed formaliter significat specialem dispositionem divinæ providentiæ, quâ gratia sanctificans cum mortis instanti conjungitur.

An ad finalem perseverantiam requiritur speciale Dei auxilium?

III. R. Affirmativè; idque de fide est: probatur ex Trid. Sess. 6. can. 22. "Si quis dixerit, justificatum vel "sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare "posse, vel cum eo non posse, anathema sit."

Auxilium hoc speciale, quod ad finalem perseverantiam requiritur, varia complectitur, prout Deus variè disponit: v. g. uni accelerando mortem, ne cadat, alteri protegendo vitam, ut reviviscat, alii subtrahendo vel temperando tentationes, alii in tentationibus vires augendo, ita ut tandem ex hac vita eripiatur, dum gratiâ sanctificante est instructus.

Undenam initium doni perseverantiæ sumitur?

IV. R. Illud non semper incipit à prima justificatione: sed ab illa, ex qua justus non est casurus, et quam usque ad mortem retinebit.

An dici potest, quòd justi non prædestinati perseverare possint finaliter si velint?

V. R. Affirmativè: habent enim gratiam sufficientem, ut maneant in justitia.

Obj. I. Non est in eorum potestate habere donum finalis perseverantiæ: ergo non possunt perseverare.

VI. R. Nego consequ.: nam sufficit, quòd hoc donum sit in potestate Dei, qui illud voluntate antecedente nemini denegat: isti justi quidem non perseverabunt, sed hoc ex defectu ipsorum, quia non volent; habent enim gratiam sufficientem, quâ possunt tum orare, tum aliâ bona opera facere: si autem gratiâ illâ bene uterentur, Deus ulteriora daret ad perseverandum auxilia.

Obj. II. Ergo Deus debet expectare occasionem, ut illi justi non prædestinati moriantur extra statum gratiæ.

R. Nego sequelam: nam illi inter tot tentationes suâ infirmitate deficient, et non volent perseverare usque ad instans mortis.

An donum confirmationis in gratia idem est ac donum finalis perseverantiæ?

VII. R. Negativè; nam prius est beneficium Dei, quo homo per gratias interiores et protectionem Dei externam ita stabilitur in gratia, ut eâ excidere difficulter possit, et sit quasi impeccabilis; posterius autem, manente potentia peccandi, dat tantùm non peccare mortaliter usque ad mortem.

Prius donum habent animæ in purgatorio et habuit Diva Virgo semper, tam quoad venialia quàm mortalia; item illud Apostoli habuerunt post Pentecosten, quoad mortalia:

verùm illud non habent omnes justi, nec omnes prædestinati, sed hi ultimi iique soli habent donum perseverantiæ finalis.

N. 13. DE CAUSIS GRATIÆ.

S. Thom. 1. 2. *q.* 112. *& Concil. Trident. Sess.* 6. *cap.* 7.

I. *Causa efficiens principalis.* II. *Secundaria seu instrumentalis.* III. *Ministerialis,* IV. *Finalis,* V. *Et meritoria.*

QUÆNAM sunt causæ gratiæ?

I. R. Causa efficiens principalis tam gratiæ actualis, quàm habitualis est solus Deus.

II. Causa efficiens secundaria seu instrumentalis sunt Humanitas Christi, et Ecclesiæ Sacramenta.

III. Causa ministerialis sunt Angeli et homines: Angeli subministrando illuminationes, quibus perveniamus ad gratiam, homines verò non solùm orando et instruendo, sed etiam administrando Sacramenta.

IV. Causa finalis est Gloria Dei et Christi, et salus nostra.

V. Causa meritoria est Christus, sive merita Christi, scilicet in statu naturæ lapsæ; nàm in hoc statu non datur ulla gratia, nisi ob merita Passionis Christi: ita ut nihil salutare habeamus aut operemur, quod non profluat à gratia data ex meritis Christi.

Preces et merita Sanctorum hominum possunt esse causa meritoria, sed subordinata meritis Christi; quia illa his uniuntur: hoc modo justus per opera ex gratia facta sibi de condigno mereri potest gratiæ augmentum, et alteri de congruo gratiam primam.

De causa materiali gratiæ, seu de gratiæ subjecto dictum est Num. 3.

Gratia Angelorum et primi hominis in statu innocentiæ non profluit ex meritis Christi; nam Christus solùm mortuus est pro genere humano lapso.

N. 14. DE PRÆPARATIONE AD GRATIAM PER VIRES NATURÆ.

S. Thom. I. 2. *q.* 109. *art.* 6.

I. *Vires naturæ non præparant ad gratiam.* II. *Etsi faciant minùs dignum.* III. *Non tamen magis dignum.*

AN homo sine gratia potest se præparare ad gratiam, sive an opera solis naturæ viribus facta, possunt esse dispositio ad gratiam?

I. R. Responsio negativa tam quoad gratiam habitualem, quàm actualem, ut omnino certa, est tenenda. Est contra Pelagianos, qui dicebant hominem posse solis viribus arbitrii promereri gratiam habitualem: item contra Semipelagianos qui asserebant, hominem posse ad gratiam pervenire per naturalem facultatem petendo, desiderando, &c. sicque admittebant in homine aliquod gratiæ initium.

Probatur conclusio ex Scriptura Sacra: dicit Christus Joannis cap. 6. v. 66. "Nemo potest venire ad me, nisi "fuerit ei datum à Patre meo:" atqui qui se præparat ad gratiam, incipit venire ad gratiam: ergo non potest se ita præparare, nisi fuerit ei divinitùs datum.

Idem probant textus 1. ad Cor. cap. 4. v. 7. "Quis te "discernit? quid habes quod non accepisti?" et 2. ad Cor. cap. 3. v. 5. "Non sumus sufficientes cogitare aliquid â "nobis, quasi ex nobis."

Hinc Trid. Sess. 6. c. 5 & 6. pro dispositione ad gratiam requirit motum prævenientis gratiæ.

Probatur etiam à ratione: omnis dispositio debet habere aliquam proportionem cum forma, ad quam disponit; atqui actus naturales nullam habent proportionem cum gratia: ergo non possunt ad eam disponere.

Obj. I. Zachariæ cap. 1. v. 3. dicit Deus: "Convertimini ad me, et convertar ad vos:" ergo potest se homo convertere ad Deum ante gratiam.

R. Nego conseq. quia in his et similibus locis Scripturæ Sacræ tantùm commendatur cooperatio liberi arbitrii cum gratia præveniente, cujus necessitas hìc non excluditur, ita ut sensus sit: "convertimini ad me" cooperando gratiæ. Hæc gratiæ prævenientis necessitas exprimitur in variis Scripturæ locis, ut Threnor. cap. 5. v. 21. "Con- "verte nos, Domine, ad te, et convertemur."

Obj. II. Prov. cap. 16. v. 1. dicitur: "Hominis est ani- "mam præparare, et Domini gubernare linguam:" ergo, ut subsistat antithesis, debet intelligi, hominis esse sine gratia præparare animam.

R. Nego conseq. nam antithesis subsistit in eo, quòd ad locutionem seu executionem requiratur peculiaris Dei directio, ut bene succedat, et ut v. g. princeps oratione moveatur, atque ita non sufficiat animam ex gratia præparare: unde tantùm significatur, eventum actionum nostrarum à solo Deo pendere, juxta hoc vulgare: "Homo pro- "ponit, Deus disponit."

Obj. III. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7. dicit, "Unum-

"quemque recipere justitiam secundum propriam dispo-"sitionem:" ergo potest se homo disponere ante justitiam.

R. Tridentinum manifestè agit de dispositione, quæ est ex gratia actuali, ut patet ex cap. 6.

Per talenta in parabola Matthæi cap. 25. intelliguntur verisimiliùs gratiæ gratìs datæ, quarum plures uni dantur quàm alteri, prout unus præ altero sive naturaliter, sive supernaturaliter magis aptus est ad iisdem in aliorum gratiam utendum.

II. Nota, quòd licèt homo per liberum arbitrium vel per opera moraliter bona non possit aliquid facere, quod habeat proportionem vel dispositionem ad gratiam acquirendam, possit tamen per solum liberum arbitrium se facere magis indispositum, et indignum ad gratiam accipiendam: nam quo magis peccat, eò magis indignus efficitur.

III. Hinc tamen dicere non licet, quòd is, qui minùs peccat, sit magis dignus vel dispositus ad gratiam: nam uterque est positivè indispositus et indignus: qui minùs peccat, minùs indignus; qui magis peccat, magis indignus.

Obj. Potest homo per vires naturæ non ponere obicem gratiæ, ut dictum est ante: ergo, &c.

R. Antecedens, ut dictum est N. 9. admittitur tantùm hoc sensu, quòd possit non ponere novum obicem gratiæ pro tempore, inquantùm potest vitare nova peccata pro tempore; sed nec tunc datur ei gratia ideo, quia id fecit viribus naturæ; imò si sit peccator, habet semper obicem ex priori peccato, ob quem Deus ei gratias efficaces negare potest.

No. 15. DE AXIOMATE: *FACIENTI QUOD IN SE EST, DEUS NON DENEGAT GRATIAM, SED INFALLIBILITER IMPERTITUR.*

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. & 112.

I. *Axioma.* II. *Admittitur de faciente ex gratia.* III. *Non ex viribus naturæ.*

QUIS est sensus hujus axiomatis?

I. R. Disputatur, an hæc verba, "Facienti quod in se "est," intelligi debeant de faciente quod in se est ex gratia, vel an intelligi possint de faciente quod in se est ex solis naturæ viribus.

II. S. Thomas hoc axioma admittit et explicat, de faciente quod in se est per gratiam, et rectè: nam Deus illi, qui gratiæ datæ cooperatur, ulteriores gratias impertitur, juxta hoc ad Philipp. cap. 1. v. 6. "Qui cœpit in vobis "opus bonum, perficiet."

An prædictum axioma aliquo sensu admitti potest de illo, qui facit quod in se est viribus naturæ?

R. Sunt aliqui Doctores Catholici, qui hoc sensu admittunt; non tamen sic, ut illa opera sine gratia facta habeant rationem preparationis ad gratiam, sed se habeant per modum conditionis "sine qua non," vel per modum "re'moventis prohibens." Molina dicit hoc provenire ex pacto inter Deum et Christum inito.

III. Verùm rectiùs post S. Thom. etiam hunc sensum rejiciunt Estius, Sylvius, Bellarm. Wiggers, &c. ratio sæpius data est; quòd ordo gratiæ excedat omnem præparationem virtutis humanæ; item quòd Deus in distributione gratiarum non attendat ad naturalia; nam sic gratia daretur intuitu operum naturalium, adeoque esset "ex operibus," quod est contra Apost. ad Rom. cap. 11. v. 6.

Nec dici potest, quòd illa opera sine gratia sint conditio "sine qua non;" perperam enim dixisset Apost. ad Rom. cap. 9. v. 18. "Cujus vult, miseretur." Deinde Deus multis dat gratiam, qui non faciunt quod in se est: imò et existentibus in ipso actu peccati, v. g. Paulo persequenti Ecclesiam Christi.

Neque etiam dici potest, quòd ista opera habeant rationem "removentis prohibens," quia Deus quandoque dat gratiam magis indignis, quam non dat minus indignis, uti dedit Judæis, non Tyriis aut Sidoniis.

Quantùm ad pactum Molinæ, istud est merè fictitium: deinde etiam in illo systemate Deus in distributione gratiarum videtur attendere ad naturalia, cùm ratio hoc pactum ineundi non videatur esse alia, quàm quòd homo viribus naturæ faceret totum, quod in se est.

Obj. S. Th. in 2. dist. 28. q. unicâ, art. 4. dicit: "Ad "gratiam gratum facientem habendam ex solo libero ar"bitrio se homo potest præparare; faciendo enim quod in "se est, gratiam consequetur: ergo admittit axioma in sensu rejecto.

R. Nego conseq. ratio est, quòd juxta mentem S. Thomæ hoc loco voces "ex solo libero arbitrio" non excludant gratuitum auxilium Dei actualiter moventis, sed donum habituale gratis datum, quod quidam tunc temporis requi-

rebant, et vocabant lumen supernaturale gratiæ sanctificanti præambulum, quod ibid. negat S. Thom.

Mentem suam S. Thom. in posterioribus scriptis luculenter expressit, ut 1. 2. q. 109. a. 6. ad 2. quæst. 112. art. 3. & Lect. 3. in cap. 10. ad Rom. ubi dicit: "Quod hoc "ipsum, quòd aliquis faciat quod in se est, sit ex Deo "movente;" unde inquit Sylvius: "Etsi in scriptis, quæ "junior exaravit, aliqua reperiantur vel posterioribus con"traria, vel obscuriùs posita, ea censenda sunt scriptis "posterioribus fuisse emendata vel explicata."

Obj. Deus dat omnibus gratiam: ergo et facienti quod in se est.

R. Nego conseq. nam posito, quòd Deus cuilibet det gratiam, nullo modo sequitur, quòd ideo alicui det gratiam, quia id facit, quod in se est viribus naturæ: hæc autem connexio debet significari in axiomate; aliàs frivolum et ridiculum est, æquivalens huic: Petro faciente quod in se est, Deus Paulo non negabit gratiam.

N. 16. DE DISTRIBUTIONE GRATIARUM, ET DE GRATIA JUSTORUM.

I. *Justis semper adest gratia sufficiens*, II. *Et etiam efficax*.

AN hominibus justis in statu naturæ lapsæ semper adest gratia actualis ad opera salutaria?

I. R. Semper illis adest gratia sufficiens, quâ possint adimplere præcepta necessaria ad salutem: etiam justis nunquam deest gratia efficax, quâ re ipsa adimpleant ea præcepta, nisi prius gratiæ defuerint, vel illi obicem posuerint per peccatum.

Prior pars certa est ex condemnatione primæ propositionis Jansenii, in qua damnata sunt hæc: "Deest quoque "illis (justis) gratia, quâ possibilia fiant."

II. Secunda pars probatur ex Trid. Sess. 6. cap. 11. ubi ex S. Aug. lib. "de Natura et Gratia" cap. 26. docet: "Deus suâ gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis "prius deseratur," et ait Daelman, si justus imperfectè Deum deserat peccando venialiter, Deus talem quandoque etiam imperfectè deserit, negando gratiam efficacem, quam ei dedisset, si non obstitisset per peccatum veniale vel mortale.

Obj. I. Trident. & S. Aug. videntur agere de gratia habituali, non de actuali: ergo, &c.

R. Nego anteo. nam agunt de ista gratiâ, quâ homines sobriè, justè et piè viventes proficere possint: sed talis est gratia actualis ad similes actus necessaria.

Obj. II. Peccans venialiter Deum non deserit; atqui tamen propter veniale aliquando denegat gratiam: ergo tunc prius deserit justum.

R. Dist. majorem: peccans venialiter Deum non deserit absolutè et simpliciter, conc. maj. Deum non deserit secundùm quid, nego maj. nam ponit obicem gratiæ.

Deinde distinguendo minorem: atqui ob peccatum veniale Deus justo negat gratiam sufficientem, nego min. negat gratias quasdam speciales et efficaces indebitas, conc. min. sed has gratias recipiet sublato obice.

Obj. III. Deus justum priùs deseruit ad primum ejus defectum, quia non dedit ei gratiam efficacem, quâ illum defectum evaderit, et ante hunc defectum, justus, ut supponitur, non posuerat obicem: ergo, &c.

R. Nego conseq. quia gratia efficax non semper est necessaria, ut primus defectus vitetur, qui sæpe ex solo libero arbitrio vel saltem cum gratia sufficiente potest caveri: quòd si ante omnem negligentiam gratia efficaci opus fuerit ad præceptum implendum, illa tunc quoque non defuit.

Alii dicunt, quòd gratia efficax data in primo instanti justificationis esset sufficiens, ut abstineret ab obstaculo gratiæ ulteriori ponendo, quæ certò ei collata fuisset, nisi per aliquem obicem eam prævenisset. Vide Daelman "de "Gratia" observatione 10.

N. 17. DE GRATIA QUÆ DATUR PECCATORIBUS ET OBDURATIS.

I. *Peccatori non semper*, II. *Sed quandoque datur gratia;* III. *Etiam obduratis.* IV. *Sæpius in vita.*

AN omnibus peccatoribus adultis etiam obduratis, semper adest gratia actualis sufficiens?

I. R°. Certum est, peccatoribus illis non semper nec omni momento et loco, adesse gratiam, prout illa adest justis, dicente Deo Oseæ cap. 4. v. 14. "Non visitabo "super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ."

Idem supponit S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. dicens: "Gratiæ auxilium quibuscumque divinitùs datur, "misericorditer datur: quibus autem non datur ex justi- "tia, non datur in pœnam præcedentis, aut saltem origi- "nalis peccati."

II. 2°. Peccatoribus etiam obduratis, Deus quandoque pro tempore et loco largitur quasdam gratias saltèm remotè sufficientes, quibus si obicem non ponant, ulteriores gratias recipient.

III. Probatur: quia omnes peccatores etiam obdurati vocantur generaliter ad pœnitentiam: igitur aliquando datur eis gratia ad pœnitendum: sic dicitur Matth. cap. 11. v. 28. "Venite ad me omnes, qui laboratis et one-"rati estis, et ego reficiam vos." Item ad Rom. cap. 2. v. 4. "An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te "adducit?"

In hanc rem damnavit Alexander VIII. propositionem sequentem, quæ est quinta inter 31. "Pagani, Judæi, "Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino à Jesu "Christo accipiunt influxum, adeoque hinc rectè inferes, "in illis esse voluntatem nudam, et inermem sine omni "gratia sufficiente."

Deinde S. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 109. sic habet: "Deus quantùm in se est, paratus est dare omnibus gra-"tiam......sed illi soli gratiâ privantur, qui in se ipsis gra-"tiæ impedimentum præstant: sicùt sole mundum illumi-"nante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex "hoc aliquod malum sequatur."

Denique Deus non denegat obduratis Angelum Custodem: adeoque nec negat omnem gratiam.

Obj. I. S. Aug. epist. 107. inter Fidei dogmata circa gratiam refert hoc: "Scimus gratiam non omnibus homi-"nibus dari:" ergo, &c.

R. Nego conseq. quia S. Aug. ibid. agit de gratia speciali et efficaci, quâ ad fidem et justificationem perveniant, quam non omnes accipere certum est: eodem modo dicit Trident. Sess. 6. cap. 3. non omnes mortis Christi beneficium accipiunt; ut enim clarè patet, agit ibidem de beneficio completo in hac vita per justificationem.

Obj. II. Si omnes habeant quandoque gratias sufficientes, non datur infidelitas purè negativa seu inculpabilis; quia infideles in culpa erunt, quòd, neglectâ gratiâ sufficiente, non habeant fidem.

R. Nego antec. licèt enim homo potuerit et debuerit cooperari gratiæ, tamen prævidere non potuit ex omissione cooperationis gratiæ hunc defectum secuturum, quod necesse est ad voluntarium in causa.

Obj. III. Joan. cap. 12. v. 39. de quibusdam Judæis dicitur: "Propterea non poterant credere:" ergo illi non habebant gratiam.

R. Nego conseq. nam sensus est: non poterant credere, stante obstinato odio in Christum et superbia mentis eorum, nimirùm in sensu composito, seu quamdiu tales erant; licèt sæpius eis non defuerit gratia sufficiens ad mutandam malam voluntatem.

Cæterùm nota, quòd obdurati hic vocentur illi, qui malo inhærentes, gratiam respuunt, ita ut obduratio, de qua hic, sit tantùm imperfecta, non perfecta, qualis est in dæmonibus.

Quandonam peccatoribus et obduratis datur ista gratia sufficiens?

IV. R. Sæpius in vita juxta distributionem misericordiæ divinæ: specialiter autem, ut videtur probabilius, dum urget præceptum supernaturale, quod sine gratia impleri non potest, de quo quæritur:

N. 18. AN OBDURATIS SEMPER DETUR GRATIA, URGENTE PRÆCEPTO SUPERNATURALI?

I. *Gratia sufficiens.* II. *Saltem offertur obdurato.* III. *Urgente præcepto.* IV. *Aliàs non committit novum peccatum.*

I. PRÆNOTANDUM, hic non agi de gratia speciali, sed de sufficiente, quæ dividitur in proximè et remotè sufficientem, de qua vide Numerum 20.

II. 2°. Notandum, hanc gratiam secundùm multos non debere esse interiùs receptam, sed sufficere eam esse oblatam, hoc est, quòd Deus paratus sit eam dare, et daret infallibiliter, nisi obduratus poneret actualiter obicem gratiæ recipiendæ. His positis

III. R. Tempore, quo urget præceptum supernaturale, quod sine gratia impleri non potest, semper adest gratia data vel oblata saltem remotè sufficiens.

Probatur ex 1. ad Cor. cap. 10. v. 13. ubi dicitur: "Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, "quod potestis."

Idem probatur ex Trid. Sess. 6. cap. 11. dicente: "Deus "impossibilia non jubet."

Nec obstat, quòd Trid. ibid. loquatur de justis, adeoque nihil inde probetur pro obduratis.

Respondetur enim, quòd Tridentinum initio quidem loquatur de justis, ut sic directè contradiceret hæreticis; addat tamen rationem generalem facientem pro possibilitate mandatorum Dei respectu quorumcumque dicens: "Nam Deus impossibilia non jubet."

Idem probatur ex eo, quòd Deus omnes peccatores vocet ad pœnitentiam, ut N. 17. dictum est.

Obj. S. Aug. in expositione quarumdam propositionum Epist. ad Rom. dicit de Pharaone, quòd obdurato corde obtemperare non posset; ergo urgente præcepto supernaturali non habuit gratiam, aliàs obtemperare potuisset.

R. 1°. S. Aug. non significat ibid. absolutam impotentiam, sed tantùm difficultatem gravem; nam etiam ibid. dicit, quòd obtemperare potuerit, et non obtemperando peccaverit.

2°. Dici potest, quòd agat de impotentia in sensu composito, scilicet cum voluntate manendi in obduratione, quo sensu dicit Joannes Epist. 1. cap. 3. v. 9. "Quòd justus "non possit peccare."

Deinde Pharao non indigebat gratiâ supernaturali ad obtemperandum et populum Dei dimittendum, cùm præceptum illud non esset supernaturale.

Varia alia objiciuntur ex supplemento: verùm ibidem communiter non agitur de gratia merè sufficiente, sed de speciali.

Famosa est quæstio, si obdurato negaretur omnis gratia etiam remote sufficiens, urgente præcepto supernaturali, an agendo contra illud præceptum obduratus committeret novum peccatum formale distinctum à peccato obdurationis causâ?

R. Affirmant aliqui, scilicet Danes, Steyaert, Brenman, et communiter Lovanienses cum majoribus suis in justificatione Censuræ cap. 12. Num. 176. et dicunt, quòd quidem sine gratia nemo actu se convertat ad Deum, sed quòd sine gratia habeatur posse converti, nimirum remotè ex ipsa liberi arbitrii natura, et in utramque partem flexibilitate.

IV. Alii, ut Daelman, Billuart, &c. docent talem in casu posito non contrahere novum peccatum formale distinctum à peccato in causa; quia medium unicum est gratia ad observandum præceptum supernaturale; atqui in supposito medium illud haberi non potest, cùm supponatur, quòd Deus sine nova culpa neget ei omnem gratiam: ergo sine gratia illo tempore oblata, præceptum est ei impossibile.

Deinde ut quis peccet, debet actus aut omissio ejus quà talis esse possibilis; atqui sine gratia in supposito est impossibilis, et habere gratiam est impossibile: ergo, &c.

Nec obest, quòd talis retineat flexibilitatem arbitrii, et agat ex judicio rationis: etenim non potest alias quàm naturales apprehensiones concipere, et æquè ei impossibile

est sine gratia actus supernaturales elicere, quàm dæmoni impossibile est sine gratia converti.

Obj. I. Impotentia illa est obdurato voluntaria in causa: ergo non excusat à novo et formali peccato: quia ignorantia voluntaria in causa non excusat: ergo nec excusat impotentia.

R. Disparitas est: quòd ignorantia debeat adhuc supponi vincibilis eo tempore, quo peccatur novo peccato formali; sed impotentia in casu quæstionis nullo modo vincibilis est ipsi obdurato.

Obj. II. Sequitur ex hac sententia, quòd gratia necessaria sit ad peccandum: probatur: illud est necessarium ad peccandum, sine quo homo non peccaret; atqui sine gratia non peccabit: ergo, &c.

R. Dist. assumpt. probationis: illud est necessarium ad peccandum, sine quo ut causâ homo non peccaret; conc. assump. Sine quo ut conditione homo non peccaret; nego assump. Etenim non omnia, quæ veniunt nomine necessarii, sunt causæ, sed sæpe quædam præsuppositæ conditiones; sic ex Joan. cap. 15. v. 22. "Si non venissem, et "locutus fuissem eis, peccatum non haberent;" nemo inferet Incarnationem Judæis necessariam fuisse ad peccandum: è converso argumentari licet hoc modo: illud est necessarium ad non peccandum, sine quo homo non potest vitare peccatum; atqui sine gratia homo non potest vitare peccatum: ergo gratia necessaria est ad non peccandum.

N. 19. DE AUXILIO SUFFICIENTE PRO PARVULIS.

I. *Parvuli habent medium sufficiens.* II. *Ratio ultimata,* III. *Et modus loquendi.*

AN omnibus parvulis decedentibus sine Baptismo datur gratia sufficiens ad salutem?

I. R. Quæstio non est de gratia sufficiente interna, consistente in quadam intellectûs illustratione et delectatione voluntatis, illius enim parvuli sunt incapaces.

2°. Quantùm est ex parte Dei, videtur dicendum, parvulos qualescumque habere media sufficientia ad salutem, quatenùs Deus instituit Baptismum pro omnibus neminem excludendo, et licèt actualis ejus collatio quandoque impediatur à variis causis, eas directè Deus non ordinat, ut Baptismus impediatur, quamvis justo suo judicio eas permittat.

Quidam sustinent oppositum, quantùm ad parvulos inter Gentiles aut in maternis uteris morientes, sed in priori sententia clariùs verificatur sincera Dei voluntas salvandi omnes et singulos, et Christum mortuum esse pro salute omnium etiam parvulorum.

Obj. I. Parvulis morientibus in uteris maternis susceptio Baptismi est impossibilis: ergo tales non habent medium sufficiens ad salutem.

R. Nego conseq. quia hæc impossibilitas habet se impertinenter ad voluntatem Dei antecedentem, quæ non attendit ad circumstantias particulares; quòd enim quidam parvuli sint ita constituti, ut eis Baptismus applicari non possit, contingit ex causis naturalibus, aliisve accidentibus extrinsecis, quæ Deus impedire non tenetur.

Obj. II. S. Aug. dicit gratiam Baptismi multis parvulis non dari, "Deo nolente" festinantibus licèt parentibus: item multos non fieri salvos, "non quia ipsi, sed quia "Deus non vult."

R. Nego conseq. nam hæc verba "Deo nolente, Deus "non vult," non debent accipi positivè, sed negativè, ita ut solùm inde deducatur non esse in Deo voluntatem consequentem et efficacem de istorum parvulorum Baptismo. Vide quæ dicta sunt Num. 39. in Tract. "de Deo."

Ratio horum ultimata quare Deus justis quibusdam, licèt obicem ponant, det gratias efficaces ad perseverandum et non aliis?

Item quare aliquibus peccatoribus det gratias efficaces, ut dedit Paulo, bono Latroni, &c. et non aliis?

II. R. Non est hominis hæc judicare: spectat enim ad inscrutabilia Dei judicia, unde ad similia respondemus cum Apost. ad Rom. cap. 11. v. 33. "O altitudo divitiarum "sapientiæ et scientiæ Dei!" et ad Rom. cap. 9. v. 20, "O homo! Tu quis es, qui respondeas Deo," &c.

Si tamen sine comparatione quæratur, quare Deus huic gratiam efficacem et perseverantiam donet?

III. Responderi debet, quia Deus hujus vult misereri.

Si petatur, cur hic homo perseveret?

R. 1°. Quia Deus ipsi dat perseverantiam, et 2°. quia hic homo vult per gratiam perseverare.

Si petatur, quare adultus non perseveret, vel non recipiat gratias efficaces?

R. Quia ipse non vult, vel quia ipse in causa est et obicem ponit.

N. 20. DE GRATIA SUFFICIENTE.

I. *Gratia sufficiens.* II. *Proximè et remotè.* III. *Interna nequit esse sine omni effectu.* IV. *Sed bene externa.* V. *Gratia sufficiens Molinistarum,* VI. *Congruistarum,* VII. *Et Thomistarum.* VIII. *Termini notandi.*

QUÆNAM dicitur gratia sufficiens?

I. R. Illa, quæ dat posse bene agere, quatenùs scilicet dat homini vires sufficientes ad effectum supernaturalem liberè obtinendum.

II. Hæc gratia sufficiens dividitur in proximè sufficientem, quæ dat potentiam proximam sive cum qua, nullo alio auxilio accedente, actus poni potest: et in remotè sufficientem, quæ dat potentia remotam, sive quæ tantùm sufficit ad aliquid, quo mediante ulterius auxilium acquiritur, sic gratia orationis est remotè sufficiens ad pœnitendum, et proximè sufficiens ad orandum.

Jansenius, quem secutus est Quesnel, docuit nullam dari gratiam interiorem verè sufficientem, sed tantùm efficacem.

An gratia sufficiens potest esse sine omni effectu?

III. R. Id aliqui affirmant, sed verisimilius apparet, quòd omnis gratia actualis interiùs recepta habeat aliquem effectum, quia omnis gratia interior, est motus quidam animæ, ut ait S. Th. quæst. 110. art. 2. in "Corp," jam autem fieri non potest, ut Deus moveat animam, et ipsa non moveatur.

IV. Aliud est de gratia tantùm oblata, item de gratia externa: nam illæ sine effectu esse possunt.

Porrò varia sunt circa gratiam sufficientem systemata.

V. Molinistæ dicunt, gratiam sufficientem eam esse, præter quam nullum aliud auxilium ex parte Dei requiritur, ut homo credat, bene operetur, &c. verùm hæc gratia sufficiens communiter rejicitur, eo quòd in hoc systemate determinatio seu bonus usus gratiæ pendeat à libero arbitrio, quod non congruit gratiæ naturæ lapsæ, nec sufficienter videtur recedere à Pelagianismo.

VI. Congruistæ, duce Suarez, Gratiam sufficientem appellant, quæ non est congrua, seu non est attemperata variis personæ, loci et temporis circumstantiis; et ideo effectum suum non obtinet, licèt contra naturam istius gratiæ non foret, si per ipsam solam actus poneretur.

VII. Thomistæ per gratiam sufficientem intelligunt illam per quam homo redditur potens credere, diligere, operari, licèt se solâ non sufficiat ad actualiter credendum, diligendum, &c.

Hinc si petatur, an dum habetur gratia proximè sufficiens, requiratur adhuc gratia alia, ut ponatur effectus?

Respondent Molinistæ et Congruistæ non requiri per se; sed Thomistæ dicunt, non quidem requiri aliam gratiam ex parte potentiæ, seu ex parte actûs primi, cùm verè det posse operari, sed requiri aliam, scilicet efficacem pro actu secundo, seu ut potentia in actum deducatur.

Si dicas Thomistis, quòd illa gratia sufficiens videatur inutilis, quia cum illa sola nunquam ponetur actus.

R. Neg. conseq.: nam hæc gratia, inquiunt, elevat potentiam, et dat verum "posse," quod "posse" reducetur in actum, si obex non ponatur: unde quamquam ut actus fiat ab eo, qui habet gratiam merè sufficientem, requiratur ulterior Dei influxus, hunc tamen influxum Deus non subtrahit, sed potiùs dum dat talem gratiam, illum offert, et dare paratus est homini, nisi ipse liberè impedimentum ponat.

Hinc damnata est ab Alexandro VIII. hæc propositio ordine sexta: "Gratia sufficiens statui nostro non tam "utilis est quàm perniciosa, sic ut meritò proinde possimus "petere: à gratia sufficiente, libera nos, Domine."

Observa 1°. quòd gratia aliqua possit dici sufficiens, respectu unius effectûs, et efficax respectu alterius: sic gratia quâ quis orat pro pœnitentia obtinenda, est efficax respectu orationis, et sufficiens respectu pœnitentiæ.

Similiter Congruistæ sustinent, quòd eadem gratia possit esse sufficiens in uno homine, et efficax in altero, in quo nempe minorem invenit indispositionem, putantque gratiam sufficientem et efficacem ejusdem esse naturæ et entitatis, quod etiam censent Molinistæ.

Observa 2°. quòd dum aliqua gratia dicitur ad aliquem effectum merè sufficiens, tunc adhuc alia gratia requiratur, ut effectus ponatur, quæ gratia infallibiliter dabitur, nisi obex ponatur, dicente Apost. ad Philip. cap. 1. v. 6. "Qui "cœpit in vobis," &c.

Observa 3°. quòd non videatur posse salvâ fide negari, quin detur gratia sufficiens, quæ conferat posse verum et relativum ad præsentes circumstantias, licèt de modo explicandi hanc sufficientiam disputetur: Probationes vide apud Daelman obs. 16. "de Gratia.

VIII. Tandem hic nota hos terminos, et distingue potentiam ab actu, potentiam antecedentem à potentia consequente, actum primum ab actu secundo, potestatem ad aliquid in sensu composito à potestate in sensu diviso, simultatem potentiæ ad diversa à potentia simultatis.: quos vide in Tract. "de Actibus Human." ubi de libero arbitrio.

N. 21. DE GRATIA EFFICACI.

I. *Gratia efficax* II. *Admittenda.* III. *Modus operandi.* IV. *Juxta Molinistas.* V. *Juxta quosdam Congruistas.* VI. *Juxta alios.* VII. *Juxta Wiggers et alios.* VIII. *Gratia per se et ab intrinseco efficax.* IX. *Moraliter.* X. *Physicè prædeterminans.* XI. *Quod est systema Thomistarum.*

QUÆNAM dicitur gratia efficax ?

I. R. Illa, quæ in homine producit effectum, ad quem datur: sic gratia quâ quis actu conteritur de peccato, dicitur efficax respectu actûs contritionis, qui elicitur.

II. Talem gratiam esse admittendam docet Scriptura Sacra, ut Ezechiëlis cap. 36. v. 26. " Dabo vobis cor " novum......et auferam cor lapideum, &c." et v. 27. " Et " faciam ut in præceptis meis ambuletis ;" item ad Philipp. cap. 2. v. 13. " Deus est, qui operatur in nobis et velle " et perficere."

Unde dicit S. Aug. lib. "de Prædestinatione Sanctorum" cap. 8. " Hæc itaque gratia à nullo duro corde respuitur ; " ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs aufe- " ratur."

III. Gravis et perobscura est disputatio, in quo constituenda sit efficacia hujus gratiæ, seu quis sit modus, quo operatur gratia efficax ; de quo variæ sunt sententiæ.

IV. Puri Molinistæ gratiæ efficaciam repetunt ab eventu, ita ut juxta ipsos gratia sit efficax, si ei voluntas consentit, et sufficiens, si ei dissentit: sed hæc opinio à plerisque rejicitur, cùm juxta illam liberum arbitrium gratiam determinet, sicque homo sit prima discretionis suæ radix, quod est contra illud Apost. " Quis te discernit ?"

V. Congruistæ efficaciam gratiæ ponunt in vi movendi congrua et attemperata voluntati, quam Deus efficaciter vult convertere : inter ipsos tamen non convenit, undenam efficaciæ infallibilitas sit repetenda: Theologi Societatis eam communiter repetunt à scientia media, qua Deus infallibiliter scit, quid quævis voluntas in quavis circumstantia liberè

esset factura, adeoque cui gratiæ consensura, si daretur; verùm sic etiam non videtur satis salvari gratiæ efficacia; nam sic Deus videt eandem voluntatem, eâdem gratiâ instructam, et in iisdem circumstantiis conditionatè consentientem gratiæ, et quandoque ei resistentem, adeoque potiùs determinantem gratiam, quàm ipsam gratiam determinantem voluntatem.

VI. Unde alii Congruistæ, ut Steyaert, Daelman, efficaciæ infallibilitatem ponunt in ipsa congruitate gratiæ independenter à scientia media, quatenùs nempe ista gratia datur à Deo ex absoluta intentione effectûs, et ita adaptatur libero arbitrio, ut attentâ illius dispositione internâ et externâ, attentâ etiam istius gratiæ potentiâ, infallibiliter operetur effectum ad quem data est, sic tamen, ut si merè consideretur istius gratiæ entitas, non ejus congruitas, nihil repugnet effectum non haberi.

Systema hoc gratiæ congruæ satis conforme videtur modo operandi Dei, qui in conversione peccatorum, regulariter observat quasdam circumstantias conversioni eorum congruas: sed difficultas est, quomodo in hoc systemate Deus infallibiliter decernere possit effectum ante prævisam determinationem liberi arbitrii, cùm attentâ solâ entitate istius gratiæ in sensu composito possit non sequi effectus.

R. Ad hoc Steyaert et Daelman, quòd infallibilitas effectûs satis habeatur in istius gratiæ congruitate ante descripta; si enim nos ipsi, inquiunt, de amico in pluribus certissimi sumus rem aliquam illi placituram, quam ipsi proponemus, quidni Deus eâ certitudine quæ ipsum decet, adeoque infallibili, absque tamen scientia media, videat nobis placiturum aliquid bonum, quod modis multò penitioribus ipse mentibus et cordibus nostris per gratiam suam insinuat. Sic juxta Daelman, aliosque Deus infallibiliter cognoscit futura contingentia libera in decreto de dando concursu generali, inclinatione hominis et circumstantiis: quantò igitur magis ea cognoscere potest, dum divina gratia concurrit!

VII. Wiggers et Bonæ Spei, efficaciam gratiæ collocant in multiplicatione et cumulo gratiarum ut vocant, quarum singulæ sunt sufficientes, sed simul sumptæ efficaces, unde admittunt, quòd singulis possit resisti, licèt non omnibus. Huic sententiæ obstat, quòd infallibilitas determinati effectûs neque ex vi gratiæ habeatur, neque ex libero arbitri

Vide Braunman Diss. 3. art. 5.

VIII. Quinta sententia est illorum, qui efficaciam gratiæ constituunt in vi et energia ipsius gratiæ, quæ ex divino proposito ad illum effectum datur. Et ideo vocatur per se et ab intrinseco efficax.

IX. Defensores hujus gratiæ adhuc divisi sunt, et aliqui dicunt gratiam illam habere vim infallibiliter determinandi, sed moraliter tantùm, hoc est, determinatione quæ se tenet solùm ex parte objecti, et consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur intrinsecùs et extrinsecùs, &c. sed non dominatur potentiæ voluntatis.

X. Alii dicunt, hanc gratiam habere vim prædeterminantem physicè voluntatem ad bonum particulare, et hæc est sententia Thomistarum, qui dicunt sic magis propriè verificari illud ad Philipp. cap. 2. v. 13. "Deus est, qui "operatur in nobis et velle et perficere:" adduntque, quòd subordinatio hominis ad Deum id videatur requirere.

XI. Systema hoc insignem laudem acquisivit ex Brevi "Demissas preces" Ben. XIII. in quo Pontifex Thomistas laudat, et hortatur, ut in eadem doctrina persistant, &c.

Schola Augustiniana pro statu naturæ lapsæ accédit ad Thomistas, nisi quod hìc Thomistæ "Physicam Prædeter-"minationem," Augustiniani appellent "Victricem delec-"tationem:" pro statu verò innocentiæ schola Augustiniana admittit solam gratiam versatilem, pro quo Thomistæ requirunt etiam ab intrinseco efficacem.

Præcipuum, quod Thomistarum de gratia efficaci sententiæ opponitur, est quòd videatur tollere indifferentiæ libertatem: sed eam manere illæsam, probant ex S. Th. quæst. 6. "de malo" art. 1. ad 3. ubi dicit: Deus movet voluntatem immutabiliter ob efficaciam virtutis moventis; sed ob naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Similiter scribit 1. parte quæst. 19. art. 8. ad 2. Idem probant ex S. Aug. lib. "de Gratia Christi" cap. 24; "Deus internâ et occultâ ac ineffabili potestate operatur "in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed "bonas etiam voluntates." In his omnibus, inquiunt Thomistæ, voluntas physicè prædeterminata in eodem actu se ipsam determinat elicitivè formaliter et applicativè; adeoque liberè.

Obj. Deus prædeterminat voluntatem humanam, ut agat necessariò, et voluntas non potest sub hac gratia non agere: ergo non manet libertas.

R. Dist. assumpt. Deus prædeterminat voluntatem humanam, ut agat necessariò, id est infallibiliter, conc. assumpt. id est necessitate absoluta, nego assumpt. item voluntas non potest non agere in sensu composito, id est non potest combinare non actum cum præmotione ad actum, conc. assumpt. non potest non agere in sensu diviso, id est, sub illa præmotione non servat potentiam non agendi, nego assumpt.

Inst. Atqui sub illa gratia non manet potentia non agendi: probatur subseq. voluntas isti gratiæ dissentire non potest: ergo non manet potentia.

R. Dist. subseq. voluntas isti gratiæ dissentire non potest, potentiâ consequente futuritionis vel in sensu composito, hoc est, voluntas non potest simul jungere dissensum cum gratia, conc. assumpt. cum potentia antecedente possibilitatis aut in diviso, nego assumpt.

Unde dum Trid. Sess. 6. cap. 5. et can. 4. dicit, quòd liberum arbitrium possit gratiæ dissentire "si velit," tantùm vult significare, quòd sub gratia homo retineat potestatem seu potentiam dissentiendi, licèt dissensum cum gratia componere non possit.

N. 22. DE ALIIS GRATIÆ DIVISIONIBUS.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 111.

I. *Gratia operans,* II. *Et cooperans.* III. *Præveniens,* IV. *Et subsequens.* V. *Excitans,* VI. *Et adjuvans.* VII. *Gratia primi statûs,* VIII. *Et secundi statûs.* IX. *Primi statûs erat merè sufficiens.*

QUÆNAM gratia dicitur operans, quænam cooperans?

I. R. S. Thom. art. 2. applicat prædictæ divisionis membra gratiæ actuali et habituali: vèrùm communiter Auctorum sententia tribuit hanc divisionem gratiæ actuali, ita ut gratia operans vocetur gratia actualis, secundùm quod Deus humanam mentem movet ad actum volitionis.

II. Gratia cooperans vocatur gratia actualis, secundùm quod illa cum voluntate humana operante producit effectum: sic gratia operans et cooperans possunt esse eadem, et distingui solùm secundùm diversos effectus.

De his ad Philipp. cap. 2. "operatur velle et perficere;" et S. Aug. lib. "de Gratia et libero arbitrio" cap. 17. cooperando Deus in nobis perficit, quod Deus operando incepit.

Quænam gratia vocatur præveniens, et quænam subsequens?

III. R. Præveniens dicitur ea, quæ initium boni operatur in homine, sivè quæ facit, ut homo bene velit.

IV. Subsequens dicitur, quæ tribuit homini subsequi bonum, quod jam volebat; de utraque sic loquitur S. Aug. "Enchiridii" cap. 32. gratia Dei nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.

Nota tamen, quòd omnis gratia possit dici aliquo sensu præveniens, inquantùm Deus in omni bonâ volitione et bono opere priùs operetur prioritate causalitatis, quàm nostra voluntas.

Quænam gratia dicitur excitans, quænam adjuvans?

V. R. Excitans vocatur illa, quâ homo peccator vel à bono opere cessans movetur et excitatur.

VI. Adjuvans dicitur, quando homo excitatus adjuvatur, ut perfectiùs velit, quod velle incepit, et ut perficiat, quod jam volebat; hinc orat Ecclesia; excita, Domine, tuorum fidelium voluntates, &c. Item, adjuva nos, Deus, &c.

Ad gratiam excitantem pertinet illuminatio intellectûs, pia motio voluntatis, delectatio justitiæ, timor gehennæ à Deo incussus, &c.

Nota, quòd membra triplicis jam allatæ divisionis, in variis non nisi ratione ab invicem differant.

Quænam dicitur gratia primi statûs, quænam secundi?

VII. R. Gratia primi statûs dicitur, "quæ data est Adamo ante lapsum, item Angelis adhuc in via existentibus:" vocatur etiam gratia naturæ integræ et sanæ.

Hæc gratia data fuit ex liberalitate et bonitate Dei, sed non ex meritis Christi, cùm solùm pro homine lapso mortuus sit Christus.

VIII. Gratia secundi statûs est, quæ data est Adamo post lapsum, et modò datur hominibus ad opera salutaria, vocaturque gratia naturæ lapsæ, sanativa, et medicinalis Christi vel simpliciter gratia Christi, quia datur ex meritis Christi.

Acris est dissertatio Thomistas inter et Augustinianos, quale sit discrimen gratiæ primi et secundi statûs.

S. Aug. lib. "de Correptione et Gratia" cap. 12. vocat gratiam primi statûs "adjutorium sine quo non," et gratiam secundi statûs "adjutorium quo aliquid fit."

Cap. 11. ejusdem libri sic scribit: "Adam habuit Dei "gratiam, sed disparem; tale quippe erat adjutorium, quod "desereret cùm vellet, et in quo permaneret si vellet, non "quo fieret ut vellet: hæc prima est gratia, quæ data est

" 1°. Adam; sed hæc posterior est in 2°. Adam...quâ etiam
" fit ut velit, et tantùm velit, ut carnis voluntatem contrariâ
" concupiscentem voluntate Spiritûs vincat."

His positis, conveniunt, quòd prima gratia hominum et Angelorum, in quâ à Deo constituti sunt, per se fuerit efficax, cùm per illam Deus ipsis dederit primam bonam voluntatem.

IX. Unde quæstio est de gratia quacum Angeli boni bene operando perseverârunt, et quam deserendo, homo et Angeli mali ceciderunt: docent autem Lovanienses et Augustiniani, quòd illa gratia fuerit merè sufficiens et versatilis, seu à libero arbitrio determinanda, quæ non operabatur nec velle nec agere, sed nudam dabat bene agendi possibilitatem, atque hæc est, inquiunt, manifesta S. Augustini doctrina. Vide Daelman, Braunman, Danes, &c.

Thomistæ volunt gratiam primi statûs fuisse ab intrinseco efficacem et physicè prædeterminantem, ut sic causa secunda sufficienter subderetur causæ primæ. Vide Sylvium, Collet, Billuart, &c.

N. 23. DE ERRORIBUS DAMNATIS IN MATERIA DE GRATIA.

I. *Errores Pelagii*, II. *Semi-Pelagianorum*, III. *Lutheri et Calvini*, V. *Et Baji*.

I. INTER graviores errores circa gratiam primus ponitur error Pelagii, qui ad annum 405. hæresim suam disseminare cœpit, natione Anglus, professione Monachus, ingenii celerrimi et acutissimi, sed versipellis.

Errores ejus sunt multiplices; 1°. negavit peccatum originale, et necessitatem gratiæ.

2°. Liberum arbitrium sufficere dicebat ad omnia Dei mandata observanda, tentationes superandas, et ipsam vitam æternam assequendam.

3°. Ut offensionem Catholicorum declinaret, nomen gratiæ ejusque necessitatem admisit, sed subdolè, nomine gratiæ intelligens liberum arbitrium, quod in creatione sua homo gratìs accepit.

4°. Pressus cum suis à S. Augustino, ut gratiam à natura et libero arbitrio distinctam agnosceret, non abnuit Pelagius, per gratiam legem et doctrinam, Christi exemplum ac imitationem intelligens.

Tandem convicti Pelagiani, admiserunt gratiam internam non ut absolutè necessariam, sed ut utilem et ad faciliùs agendum: quam gratiam velut ex justitia humanis meritis debitam esse contendebant.

II. Post Pelagium orti sunt Semi-Pelagiani dicti Massilienses; quia circa Massiliam in Gallia frequentiores consistebant.

Hi, viam mediam tentantes inter doctrinam S. Augustini et errores Pelagii, admiserunt peccatum originale, ac gratiæ necessitatem ad ejus deletionem et opera salutaria; sed errabant docentes, initium fidei et pium credulitatis affectum esse ex homine, sive hominem posse incipere credere ex viribus naturæ sine gratia: negabant pariter necessitatem doni perseverantiæ, sed homines viribus naturæ in accepta justitia usque in finem perseverare posse asserebant.

III. Ad annum 1517. Lutherus, et ad annum 1535. Calvinus errores suos sparsit. Prior docuit, liberum arbitrium sub gratia se habere merè passivè sicut lutum in manu figuli: posterior docuit, liberum arbitrium sub gratia se activè quidem habere, sed per gratiam absolutâ necessitate compelli ad actum. Uterque igitur negavit sub gratia libertatem, quamvis de modo explicandi dissiderent. Hi errores damnati sunt in Conc. Trid. Sess. 6. can. 4 et 5.

IV. Michaël Bajus erravit circa statum innocentiæ, docens, gratiam aliaque dona Angelis et primo homini concessa fuisse eis tanquam debita et naturalia: circa statum naturæ lapsæ voluit liberum arbitrium gratiâ destitutum non nisi ad peccandum valere: pariter docuit, solam violentiam repugnare hominis libertati, et quod voluntarie fit, etsi necessariò, liberè tamen fieri.

Errores ejus proscripsit Pius V. Greg. XIII. et Urbanus VIII.

N. 24. DE ERRORIBUS JANSENII.

I. *Damnatæ.* II. *Prima propositio,* III, *Secunda,* IV. *Tertia,* V. *Quarta,* VI: *Quinta.*

PRÆTERITO sæculo nefarias turbas excitârunt errores Jansenii, qui continentur in ejus libro, cui titulus "Augustinus," edito anno 1640. duobus annis post ejus mortem.

In eo docet Jansenius justis quandoque deesse gratiam necessariam, nullam dari gratiam sufficientem, gratiam necessitare voluntatem, gratiæ nunquam resisti, nec sub ea manere libertatem indifferentiæ.

I. Hos errores compressit Innocentius X. editâ Constitutione die ultimâ Maii 1653. quâ quinque propositiones sequentes ex ejus libro excerptas suis respectivè censuris condemnavit.

II. Prima est: "Aliqua Dei precepta hominibus justis 'volentibus et conantibus secundùm præsentes, quas 'habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis 'gratia, quâ possibilia fiant."

Censura Pontificis est: "Temerariam, impiam, blas-'phemam, anathemate damnatam et hæreticam declara-'mus, et utì talem damnamus."

III. Secunda: "Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ 'nunquam resistitur."

Censura hujus est: "Hæreticam declaramus, et utì 'talem damnamus."

Nimirum manifestè repugnat Scripturæ Sacræ Prov. cap. l. v. 24. "Vocavi, et renuistis:" Actor. cap. 7. v. 51. 'Durâ cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos 'semper Spiritui Sancto resistitis." Item 2. ad Cor. cap. 6. v. 1. "Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis."

Idem significat Trid. Sess. 6. cap. 5. dicens: quòd homo inspirationem Spiritûs Sancti abjicere possit.

Non negat quidem Jansenius, dari in hoc statu naturæ lapsæ parvas quasdam gratias, quæ hominem utcumque moveant ad bonum: sed hæ in ejus systemate nec sunt sufficientes, nec eis voluntas propriè resistit; quia juxta ipsum vis gratiæ est relativa ad terrenam cupiditatem, ita ut, si cupiditate sit inferior, sicut re ipsâ sunt istæ parvæ gratiæ, non det verum posse ad superandam cupiditatem; sed voluntas necessariò hâc cupiditate abripitur in malum: quod enim magis delectat, inquit, secundum id operemur, necesse est.

IV. Tertia: "Ad merendum et demerendum in statu "naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à "necessitate, sed sufficit libertas à coactione."

Declarata est hæretica, et utì talis damnata.

V. Quarta: "Semi-Pelagiani admittebant prævenientis "gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad "initium fidei: et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam "gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere "vel obtemperare."

Declarata est falsa et hæretica, et utì talis damnata.

Videtur autem Pontifex eam declarasse falsam ob primam ejus partem, quæ est historica, et hæreticam ob secundam partem, quæ est doctrinalis.

VI. Quinta: "Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro "omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem "fudisse." Hæc censurata est hoc modo: "Falsam, temera-"riam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro

"salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, "blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, "et hæreticam declaramus, et utì talem damnamus."

Pro refellenda hac propositione vide Tract. "Se Sac-"ramento Pœnit." Num 239. item Tract. "de Deo" ubi de voluntate Dei antecedente: et "de Incarnatione," ubi de morte Christi pro omnibus hominibus.

Hæc omnia fusiùs deducta reperies apud Steyaert in damnatas.

N. 25. DE ERRORIBUS PASCHASII QUESNELLI.

I. *Errores Quesnelli.*

CIRCA finem sæculi præcedentis Quesnellus quàm plures errores in Bajo et Jansenio damnatos renovavit et adauxit in suis ad novum Testamentum annotationibus, quos compressit Clemens XI. per Bullam "Unigenitus," editam anno 1713. in qua damnat 101 propositiones ex illis annotationibus excerptas.

I. Errorum ejus capita sunt hæc: 1°. Gratiæ interiori nunquam resisti, nec posse resisti, eamque necessitare voluntatem. A propositione 10, 11, 13, 15, usque ad 25.

2°. Non dari veram gratiam sufficientem, sed omnem esse per se efficacem. Propositione 2, 3, 4, 5, 6 & 17.

3°. Multis etiam justis aliqua Dei præcepta esse impossibilia. Propositione 6 & 7.

4°. Infidelibus et peccatoribus nullam dari gratiam, omnia eorum opera esse peccata, et non dari opera moraliter tantùm bona. Propositione 1. 29. et à 38. usque ad 42.

5°. Gratiam primam esse fidem vivam. Propositione 26, 27 & 28.

6°. Gratiam et justitiam fuisse primo homi debitam. Propositione 35.

7°. Justitiam hominis lapsi tantùm esse imputatitiam. Propositione 36 & 51.

8°. Non esse in Deo veram et sinceram voluntatem, quâ velit omnes homines salvos fieri. Propositione 12, 30 & 31.

9°. Christum non esse mortuum pro æterna salute omnium et singulorum hominum. Propositione 32 & 33.

10°. Amissâ charitate simul amitti fidem, spem et omnes virtutes: opera omnia sine charitate facta esse mala: non relationem operis in Deum, inficere ipsum opus. A proposit. 44. usque ad 59.

11°. Timorem servilem esse malum, vel saltem inutilem. A Propositione 60. usque ad 67.

12°. Solos justos esse in Ecclesia. A propositione 72. usque ad 78.

13°. Lectionem Scripturæ S. omnibus esse utilem et necessariam. A proposit. 79. usque ad 85.

14°. Praxim modernam statim absolvendi pœnitentes, non præmissis operibus satisfactoriis externis, esse rejiciendam. Propositione 87 et 88.

15°. Praxim Ecclesiæ celebrandi Missam et Officia Divina linguâ latinâ, non linguâ vulgari, esse contrariam intentioni Dei. Propositione 86.

16°. Peccatorem ante reconciliationem non habere jus assistendi Sacrificio Missæ. Proposit. 89.

17°. Excommunicationis valorem à consensu populi dependere. Propositione 90.

18°. Excommunicationes latas contra Jansenistas esse injustas et iniquas. A propositione 91. usque ad 100.

19°. Usum exigendi juramentum juxta formulare Alexandri VII. opponi Spiritui Dei. Propositione 101.

Notari potest, quòd variæ propositiones ex illis 101. contineant duos vel tres errores; item, quòd una contineant quandoque fundamentum aut sequelam alterius, et contrà. Deinde, quòd error unius aliquando non consistat cum errore alterius, ita ut sit contradictio : nec mirum, quod, dum quis discordat ab Ecclesia, sibi non concordet. Proprius enim is est hæreticorum character.

FINIS TRACTATUS DE GRATIA.

TRACTATUS

DE

JUSTIFICATIONE.

S. Thomas quæstione citatâ agit de effectibus gratiæ gratum facientis, et allegat duos principales, justificationem scilicet et meritum, ad quos cæteri reducuntur: quales sunt remissio peccatorum, naturæ sanatio, adoptio in Filios Dei, opera salutaria. De priori agetur in hoc, de posteriori in Tractatu sequenti.

N. 26. QUID EST JUSTIFICATIO?

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 113.

I. *Definitio Justificationis.* II. *Intelligitur de statu naturæ lapsæ,* III. *Errores hæreticorum.*

1. RESP. Est translatio à statu peccati ad statum gratiæ habitualis et adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

Hæc definitio habetur ex Epist. ad Coloss. cap 1. v. 13. "Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit "in regnum filii dilectionis suæ." Item ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 4. ubi dicit, quòd justificatio sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei: agit scilicet Tridentinum de justificatione prima, quâ quis constitutus in peccato originali justificatur.

II. Nota, datam definitionem non competere nisi statui naturæ lapsæ, non justificationi Angelorum et primorum parentum in statu innocentiæ; nam illorum justificatio non fuit translatio "à statu peccati," sed solummodo translatio à "non esse justitiæ" ad "esse justitiæ."

Nota etiam, quòd sub gratia habituali comprehendantur habitus charitatis, virtutum et aliorum donorum, qui cum gratia sanctificante simul infunduntur.

Augmentum gratiæ sanctificantis solet etiam vocari justificatio juxta hoc Apocalypsis ultimo v. 11. "Qui "justus est, justificetur adhuc." Justificatio autem sic sumpta respectu prioris dicitur secunda.

Vox "justus" non sumitur hic pro particulari virtute Cardinali, de qua in 2. 2. sed pro congerie virtutum: unde describi potest, quòd sit totius hominis recta dispositio ad Deum, proximum, et seipsum.

Quinam sunt præcipui hæreticorum nostrorum errores in hac materia?

III. R. 1°. Docent, in justificatione peccata non verè remitti, sed tantùm tegi per justitiam Christi, uti veste Esaü tectus fuit Jacob.

2°. Justificationem non fieri per gratiam habitualem inhærentem animæ, sed per solam justitiam Christi nobis imputatam.

3°. Ad justitiam non requiri aliam dispositionem, quàm solam fidem.

Hos errores diu antequam orirentur, Deo sic disponente, refutavit S. Thomas.

N. 27. DE DELETIONE PECCATORUM IN JUSTIFICATIONE.

I. *Peccata verè delentur.* II. *Non merè teguntur.* III. *Sed eorum maculæ delentur.* IV. *Per infusionem gratiæ sanctificantis.*

PROBA in justificatione peccata verè remitti et deleri.

I. R. Probatur ex Psalmo 50. "Dele iniquitatem meam." Ad Ephes. cap. 1. v. 4. "Ut essemus Sancti et immacu- "lati in conspectu ejus." Item 1. Joannis cap. 1. v. 7. "Sanguis Jesu Christi...emundat nos ab omni peccato."

2°. Probatur à ratione: quia aliàs sequeretur, quòd homo esset justus simul et injustus; quia supponitur, quòd justificetur, et quòd macula peccati adhuc remaneat.

Denique hoc definitum est à Conc. Trid. Sess. 5. can. 5. "Si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismo "confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut "etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam "peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi aut "non imputari, anathema sit." Vide etiam can. 10. et 11. Sess. 6.

Obj. I. Psalmo 31. v. 1. dicitur: "Beati quorum re-"missæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata;" et v. 2. "Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum:" ergo peccata in justificatione non delentur, sed tantùm teguntur et non imputantur.

II. R. Nego conseq. nam peccata esse tecta coram Deo, idem est ac esse deleta et abolita: quia "Omnia nuda sunt "et aperta oculis ejus." Ad Heb. cap. 4. v. 13. ergo ut peccata coram Deo tecta sint, oportet ut nullo modo sint.

R. Ad versum secundum dicitur ille beatus, qui nihil commisit, quod posset ipsi imputari in peccatum, vel si agatur de eo, qui peccavit, dicitur tunc Deus non imputare peccatum illud remittendo.

Obj. II. Ad Rom. cap. 13. v. 14. dicitur: "Induimini "Dominum Jesum Christum:" ergo, &c.

R. Nego conseq. nam induere hìc dicitur, quia justificatio extrinsecùs accedit ex infusione Spiritûs Sancti per modum ornamenti animæ, quod non fit per solam externam imputationem, sed per internam mutationem, abjiciendo opera tenebrarum, deponendo veterem hominem, &c.

Quandonam dicitur Deus remittere peccatum mortale?

III. R. Quando maculam istius peccati abstergit ac delet ex mente hominis peccatoris.

Per quid deletur macula peccati mortalis?

IV. R. Per gratiam sanctificantem quæ à Deo infunditur.

An potest peccatum mortale simul consistere in eodem subjecto cum gratia sanctificante? Item an potest remitti peccatum mortale sine infusione gratiæ sanctificantis?

R. Utrumque fieri posse de potentia Dei absoluta quidam existimant, sed inutile est hoc inquirere, quia secundùm præsentem ordinationem divinam certum est, gratiam sanctificantem non consistere cum peccato mortali, nec hoc sine istius gratiæ infusione remitti.

N. 28. DE JUSTITIA IMPUTATIVA HÆRETICORUM.

I. *Justitia imputativa* II. *Repugnat Scripturæ Sacræ.*

I. PROBA contra hæreticos: quòd justificatio formaliter fiat per infusionem gratiæ habitualis inhærentis animæ, non verò per justitiam Christi nobis extrinsecè imputatam.

II. Probatur ex Epist. ad Rom. cap. 5. v. 5. "Charitas "Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum,

" qui datus est nobis:" de quo dicit S. Aug. lib. " de " Spiritu et Litera" cap. 23. " Charitas Dei dicta est " diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed " quâ nos facit dilectores suos: sicuti justitia Dei dicta est, " quâ justi ejus munere efficimur."

Hinc contra hæreticos definit. Trid. Sess. 6. can. 11. " Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione " justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ " gratiâ et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum " Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam " gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei, " anathema sit." Vide etiam cap. 7.

Obj. I. Ad Cor. cap. 1. v. 30. dicitur: " Christus, " qui factus est nobis sapientia à Deo et justitia et sancti- " ficatio et redemptio:" ergo formaliter dicimur justi per justitiam Christi.

R. Nego conseq. quia hæc et similia, ubi dicitur Christus pax, vita, salus et resurrectio nostra, &c. accipi debent in sensu causali non formali: nam significatur tantùm, quòd Christus sit causa efficiens justificationis nostræ, &c. Patet, quia dum Christus dicitur sapientia nostra, evidens est, quòd homo non sit formaliter sapiens sapientiâ Christi, sed sapientiâ sibi propriâ.

Conclude, ad justificationem cujusque peccatoris requiri hæc duo: 1°. gratiæ sanctificantis infusionem, et 2°. omnium peccatorum mortalium remissionem, quod perficitur in parvulis per Baptismum sine ulla prævia dispositione, non sic in adultis.

N. 29. DE PRÆPARATIONE SEU DISPOSITIONE AD JUSTIFICATIONEM.

Conc. Trid. Sess. 6.

I. *Ad justificationem parvuli, nihil.* II. *Sed adulti requiritur* III. *Motus gratiæ,* IV. *Fidei,* V. *Timoris,* VI. *Spei,* VII. *Dilectionis,* VIII. *Contritionis,* IX. *Et propositum.* X. *Saltem virtualiter.* XI. *Justificatio gratuita.*

QUID requiritur ad justificationem peccatoris?

I. R. Pro infantibus ante usum rationis et perpetuò amentibus, nulla requiritur dispositio ad justificationem, ut scilicet per Baptismum aquæ aut sanguinis justificentur.

II. Ad justificationem adulti per Baptismum requirit Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6. dispositionem per septem gradus, sive motus animæ.

III. Primus motus est divinæ gratiæ, quâ peccator excitatur et adjuvatur, juxta Jerem. cap. 31. v. 19. "Postquam convertisti me, egi pœnitentiam."

IV. Secundus est actus fidei, "quia accedentem ad "Deum oportet credere." Ad Hebr. cap. 11.

V. Tertius est motus timoris, utilis certè, non tamen necessarius, quo peccator per fidem intelligens se reum damnationis æternæ, peccata sua deponere conatur, juxta illud Eccli. cap. 1. v. 27. "Timor Domini expellit "peccatum."

VI. Quartus: quia etiam per fidem peccator summam Dei misericordiam considerat, et infinita Christi merita, hinc in spem erigitur, confidens Deum sibi propitium fore juxta illud Matth. cap. 9. v. 2. "Confide, fili, remittuntur "tibi peccata tua."

VII. Quintus: post spem sequitur inchoata Dei dilectio tanquam omnis justitiæ fontis: ubi enim peccator tantum Dei bonitatem considerat, ut etiam indignis velit peccata remittere, incipit Deum præ rebus omnibus diligere: hic actus denotatur Joëlis cap. 2. v. 12. "Convertimini ad "me in toto corde vestro."

VIII. Sextus actus est odium et detestatio peccati sive actus contritionis; qui enim Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligit, non potest non detestari peccatum: hic actus exprimitur Actor. cap. 2. v. 38. "Pœnitentiam agite."

IX. Septimus est propositum suscipiendi Sacramentum, inchoandi novam vitam, et servandi divina mandata, secundùm illud Ezech. c. 18. v. 31. "Facite vobis cor novum "et Spiritum novum."

X. Nota, 1°. ut dictum est, quòd motus timoris non sit necessarius, sed sex reliqui concurrere debent formaliter, vel saltem virtualiter. Vide Num. 27. in Tract. "de "Sacramento Pœnitentiæ," ubi hi gradus paulo aliter narrantur.

XI. Nota, 2°. quòd dispositiones præviæ non sint meritoriæ de condigno justificationis, adeo ut justificatio nostra semper sit gratuita, prout docet Conc. Trid. Sess. 6. cap. 8. juxta illud ad Rom. cap. 3. v. 24. "Justificati "gratis per gratiam ipsius;" potest tamen peccator divinâ gratiâ adjutus per actus fidei, spei, dilectionis, &c. illam de congruo mereri.

Dispositiones, quæ conjunguntur cum ipsa gratia sanctificante in primo instanti justificationis, possunt dici de condigno meritoriæ vitæ æternæ, quæ nondum habetur, non tamen gratiæ, quæ jam habetur. Vide S. Thom. q. 112. art. 2. ad 1.

N. 30. DE FIDE JUSTIFICANTE ET SPECIALI HÆRETICORUM.

I. *Fides est fundamentum*, II. *Sed non sola justificat.* III. *Triplex fides hæreticorum.* IV. *Eorum fides specialis* V. *Vana est et fictitia.* VI. *Refellitur ex Scriptura S.* VII. *Modus loquendi Scripturæ explicatur.*

QUID facit fides ad justificationem?

I. R. Cum Conc. Trid. Sess. 6. c. 8. "Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo."

An sola fides justificat?

III. R. Sic asserebat Simon Magus, contra quem dicit S. Jacobus in epistola sua c. 2. v. 24. "Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm."

Responsio negativa probatur etiam ex 1. ad Cor. cap. 13. v. 2. "Si habuero omnem fidem...charitatem autem non habuero, nihil sum," et ex 1. Joan. cap. 3. v. 14. "Qui non diligit, manet in morte." Hinc Trid. Sess. 6. can. 9. definit: "Si quis dixerit, solâ fide impium justificari: anathema sit."

III. Hæresim hanc resuscitârunt Lutherani et Calvinistæ, sub alia explicatione distinguentes triplicem fidem.

1°. Fidem historicam, quâ credunt vera esse omnia, quæ in sacris literis continentur.

2°. Fidem miraculorum, quâ patrantur miracula, per quam nimirum credimus, nihil esse, quod à Deo fieri non possit.

Tertiam vocant fidem promissionum, quâ creduntur divinæ promissiones de salute ac remissione peccatorum: hanc subdividunt in generalem, quâ creditur, Deum omnibus credentibus promisisse remissionem peccatorum et salutem: et in specialem, quâ unusquisque in speciali credit, seu potiùs certò confidit, sibi remissa esse peccata ob merita Christi.

IV. Hanc fidem specialem dicunt Hæretici ita justificare, ut omnis qui credit, seu certò confidit, se à peccatis absolutum et justitiam Christi sibi imputari, eo ipso justus sit.

mitiinem, tollit tamen animi perturbationem et anxietatem, secundùm illud 1. Joan. cap. 3. v. 21. "Si cor nostrum "non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum."

An homo potest esse certus, se habere fidem?

V. R. Existimat Sylvius, quòd homo fidelis possit esse omnino certus, se credere seu assentiri revelatis à Deo: quia Ecclesia aliquando præcipit, ut fideles jurent, se credere mysteria fidei: deinde fides est in intellectu: intellectus autem potest esse certus de suo assensu, cùm sit potentia cognoscitiva et reflexiva supra se ipsam: accedit, quòd fides habeat certam et infallibilem regulam extrinsecam, scilicet propositionem Ecclesiæ.

Herincx tamen et alii volunt, quod fidelis nequeat habere certitudinem plus quàm moralem; quia, licèt intellectus certè cognoscat, se firmiter credere, non tamen ita certò cognoscere potest, utrùm credat fide supernaturali et divinâ, quia supernaturalitas ista non cadit sub notitiam: propositio Ecclesiæ reddit quidem fideles certos de objecto quod credunt, illud nempe à Deo esse revelatum, sed non reddit certos de ipso actu credendi, num scilicet sit supernaturalis: unde consequenter dicendum, juramentum quod quandoque exigit Ecclesia non esse de supernaturalitate, sed solummodò de actu fidei secundùm se.

An quis possit esse certus, se habere habitum fidei, vel spei, adhuc minùs liquet; quòd quis non possit esse certus de sua prædestinatione seu electione ad gloriam, diximus in Tract. "de Deo," Num. 51.

N. 32. DE CAUSIS JUSTIFICATIONIS IMPII.

Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7.

I. *Causæ justificationis:* II. *Inæqualitas.* III. *Incrementum.* IV. *Amissio.*

QUÆNAM sunt causæ justificationis impii?

I. R. Concilium Trid. loco citato describit has sex:

Prima causa finalis justificationis est gloria Dei et Christi, ac salus æterna eorum, qui justificantur.

Secunda causa efficiens primaria est misericors Deus.

Tertia causa meritoria est Dominus noster Jesus Christus.

Quarta causa instrumentalis sunt Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ per se, et per accidens etiam alia Sacramenta.

Quinta causa formalis est gratia sanctificans, sive justitia habitualis.

Sexta causa materialis dici potest anima hominis, item :tus illi qui ad gratiam sanctificantem disponunt.

An omnes accipiunt æqualem gratiam in suâ justificatione.

II. R. Negativè, juxta Conc. Trid. loco citato dicens: Justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundùm cujusque dispositionem et cooperationem."

An gratia in justificatione accepta potest augeri?

III. R. Conc. Trid. ibid. cap. 10. "In ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est justificetur adhuc."

Quomodo amittitur gratia sanctificans?

IV. R. Definit Trid. ibid. cap. 15. non modò infideli-.te, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque io mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam ıstificationis gratiam amitti. Vide etiam can. 27. Cæterùm eccatum mortale non sic expellit gratiam sanctificantem hysicè, quasi per formam positivam ageret in gratiam, eque etiam tantùm demeritoriè, sed simul ex natura sua, t mors animæ expellit vitam ejus: itaque quodammodo hysicè, prout conversio ad creaturam expellit conversioem simplicem ad Deum.

N. 33. DE MODIS JUSTIFICATIONIS.

S. Thom. 1, 2. *quæst.* 113. *art.* 7.

. *Justificatio fit in instanti.* II. *Aliquo sensu fit successivè.* III. *Ultima dispositio* IV. *Non est à gratia habituali effectivè.* V. *Sed formaliter.*

AN justificatio impii fit in instanti, an successivè?

I. R. Justificatio, prout dicit ipsam gratiæ habitualis ıfusionem, et peccatorum remissionem, fit in instanti.

II. Si autem justificatio accipiatur non tantùm pro gratiæ ıfusione, sed etiam pro dispositionibus requisitis, de quius ante actum est, sic fit regulariter successivè, et quodamıodo per gradus, licèt extraordinariè fieri possit in instanti, ualiter fortè justificatus est David reprehensus à Nathan.

III. An ultima dispositio ad justificationem, sive actus œnitentis, qui fiunt in eodem instanti, quo gratia sancticans infunditur, sint de condigno meritorii, vide in fine Ium. 29.

An illa ultima dispositio, quæ est in eodem instanti cum infusione gratiæ habitualis, procedit ab illa, tanquam causa efficiente?

R. Affirmant Gonet, Vasquez, &c. tum quòd ita sentire videatur S. Thom. quæst. 113. art. 8. ad 2. tum quòd illi actus, qui sunt ultima dispositio, sint de condigno meritorii vitæ æternæ, ut Num. 29. dictum est, adeoque à gratia habituali procedere debeant.

IV. Negant Bellarm., Wiggers, Sylvius, &c. et dicunt, illam ultimam dispositionem effectivè procedere à gratia tantùm actuali: quia implicare videtur, quòd iidem actus essent dispositio ad gratiæ infusionem, et simul ab ea effectivè procederent.

Ad auctoritatem S. Thomæ respondent, quòd ille non dicat, actus illos debere procedere à gratia habituali effectivè, sed quòd in ratione causæ formalis, gratia sit prior, actusque illos informet, prout etiam "de Veritate" loquitur sanctus Doctor quæst. 28. art. 8.

V. Ad allegatam rationem dicunt, quòd, ut actus sint de condigno meritorii, sufficiat, ut simul sint eodem instanti cum gratia sanctificante, et ab ea informentur in ratione causæ formalis. Vide Auctores citatos.

An è contrà ultima dispositio gratiam illam habitualem effectivè causat?

R. Quatenùs illa dispositio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, sic causat cum forma infusionem gratiæ per modum causæ instrumentalis, ut docetur in Tract. "de Sacramentis in genere."

Extra Sacramentum communiùs sustinetur, quòd illa dispositio nihil faciat ad infusionem gratiæ efficienter, sed moraliter et dispositivè; quia gratiam habitualem, et omnes virtutes infusas operatur Deus in nobis sine nobis efficientibus, quamquam non sine nobis consentientibus. Vide S. Thom. I. 2. quæst. 55. art. 4. ad 6.

N. 34. DE EXCELLENTIA JUSTIFICATIONIS.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 9. *&* 10.

I. *An justificatio sit maximum opus.* II. *An opus miraculosum.*

An justificatio impii est maximum Dei opus?

I. R. Cum S. Thom. si magnitudo operis consideretur ex parte modi agendi, creatio est majus opus justificatione quia excellentissimus operandi modus est aliquid facere ex nihilo.

Si magnitudo operis æstimetur ex dignitate rei quæ fit, secundùm hoc majus opus est justificatio, quàm creatio Cœli et terræ; quia creatio terminatur ad bonum naturæ mutabilis, et justificatio ad bonum æternum in spe; unde S. Aug. Tract. 72. in Joannem dicit: "majus est, quòd ex impio "fiat justus, quàm creare Cœlum et terram."

Si magnitudo operis consideretur juxta proportionem ad illum, cui opus fit, sic justificatio est opus majus quàm glorificatio justi: quia justus dignus est, peccator autem indignus.

Docet S. Thom. art. 9. ad 2. quòd bonum gratiæ unius hominis majus sit, quàm bonum naturæ totius universi propter diversitatem ordinis.

An justificatio impii est opus miraculosum?

II. R. Justificatio, quæ perficitur modo consueto et per causas ordinarias, non est stricti nominis miraculum, licèt sit opus supernaturale, quia ad miraculum propriè dictum requiritur, ut fiat præter consuetum causandi modum.

Est autem justificatio propriè miraculosa, dum illa fit modo insolito, qualis fuit conversio latronis in cruce, Pauli, &c.

FINIS TRACTATUS DE JUSTIFICATIONE.

TRACTATUS DE MERITO.

N. 35. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE MERITI.

S. Thom. 1. 2. *quæst. ult.*

I. *Meritum.* II. *De congruo.* III. *De condigno.* IV. *Potest homo mereri apud Deum* V. *De condigno* VI. *Vitam æternam,* VII. *Quæ est merces et gratia.*

QUID est meritum, secundus gratiæ effectus?

I. R. Est opus bonum præmio seu retributione dignum. Hæc definitio explicat meritum in concreto sumptum pro actu meritorio: nam meritum in abstracto denotat ipsius operis valorem, vi cujus aptum est movere ad præmiandum.

Quomodo dividitur meritum?

R. In meritum de congruo, et meritum de condigno.

II. Meritum de congruo dicitur opus, cui non ex justitia, sed ex gratuita liberalitate et decentia præmium aliquod seu retributio adscribitur.

III. Meritum de condigno, est opus cui præmium seu merces debetur ex justitia: sic actus hominis justi operantis ex gratia merentur de condigno gratiam et gloriam: actus verò supernaturales peccatoris pœnitentis merentur ulteriores gratias de congruo.

An homo potest aliquid mereri?

R. Quæstio non est de merito rigoroso, quod ex se et ex dignitate personæ merentis est tale, ut ei secundùm perfectum justitiæ rigorem debeatur merces: hoc enim competit soli Christo; sed agitur de merito minùs rigorosè sumpto, licèt simpliciter tali.

IV. Respondetur autem, de fide esse contra hæreticos nostros, quòd homo per gratiam verè et propriè mereri possit.

Probatur ex Scriptura Sacra: Matth. cap: 5. v. 12. dicitur: "Merces vestra copiosa est in Cœlis:" 2. ad Timoth. cap. 4. v. 8. "Reposita est mihi corona justitiæ, "quam reddet mihi Dominus...justus Judex:" Item ad Hebr. cap. 6. v. 10. "Non enim injustus est Deus, ut oblivis-"catur operis vestri." Atqui merces correspondet merito, et quod datur à Deo justo judice, item quod datur ex justitia, illud datur ob meritum: ergo, &c.

V. Ex his patet, quòd vita æterna etiam cadat sub meritum, et quidem de condigno: nam meritum de congruo non est veri nominis meritum.

VI. Hæc definita sunt in Conc. Trid. Sess. 6. cap. 16. et can. 32. "Si quis dixerit hominis justificati bona opera "non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et "ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, conse- "cutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit."

Obj. I. Ad Rom. cap. 8. v. 18. dicitur: "Non sunt "condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, "&c." ergo nostra opera non merentur de condigno vitam æternam.

R. Neg. conseq. Sensus enim Apostoli est, quòd passiones et tribulationes hujus vitæ non sint pares in ratione acerbitatis et doloris cum futura gloria in ratione voluptatis et gaudii.

Confirmatur responsio, quia 2. ad Cor. cap. 4. v. 17. dicit Apostolus: "Quod in præsenti est momentaneum et "leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus opera- "tur in nobis:" unde licèt passiones secundùm suam acerbitatem non sint pares cum gloria cœlesti, quatenùs tamen procedunt à justo per gratiam, sic condignæ sunt ad vitam æternam in ratione meriti.

Obj. II. Lucæ cap. 17. v. 10. dicit Christus: "Cùm "feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi "inutiles sumus:" ergo nihil meremur.

R. 1°. Neg. conseq. Quia dicimur servi inutiles, eò quòd ex operibus nostris nulla Deo utilitas accrescat, sed cum eo consistit, quòd sint nobis utilia et meritoria coram Deo: unde dicit Christus Matth. cap. 25. v. 21. "Euge, serve "bone et fidelis."

2°. Jubemur humiliter de nobis sentire et existimare, aut nihil nos fecisse, aut nulla dignos mercede, cùm nihil fecerimus, quàm quod facere debebamus.

Obj. III. Dicitur Psalmo 102. v. 4. "Qui coronat te "in misericordia et miserationibus;" et ad Rom. cap. 6. v. 23. "Gratia Dei vita æterna:" cap. 8. v. 17. "Si "filii et hæredes:" ergo vitam æternam nullus potest mereri.

VII. R. Neg. conseq. Pro his textibus et aliis observa, quòd vita æterna rectè vocetur merces, gratia, misericordia, &c. vocatur merces, quatenùs datur ob merita, vocatur hæreditas, quatenùs datur filiis adoptivis, dicitur misericordia et gratia, quia merita nostra profluunt ex gratia, et quia Deus misericorditer & gratuitò promisit operibus bonis vitam æternam, item quia electio ad gloriam gratis facta est.

Neque merita nostra diminuunt virtutem meritorum Christi, ut garriunt hæretici, quia merita nostra omnem vim merendi hauriunt ex meritis Christi, sicut palmites e vite vim fructificandi; unde merita nostra commendan

merita Christi, inquantùm meritis suis vim nobis ad merendum obtinuit.

Obj. IV. Deus non potest esse debitor hominibus, quia est supremus Dominus, et nostra opera sunt ipsi debita variis titulis.

R. Nego antec. quia licèt Deus non possit esse debitor hominibus propter homines, potest tamen esse debitor hominibus propter seipsum, et suam ordinationem, quâ ipse sic voluit statuere.

Ad probationem dicendum, quòd, casu quo vellet Deus agere cum homine secundùm absolutum jus suum, tum nihil homo posset mereri de condigno apud Deum, sed cùm voluerit jam Deus promittere illis operibus mercedem, inde nunc oritur obligatio justitiæ.

N.36. DE OBLIGATIONE JUSTITIÆ IN MERITO.

I. *Vita æterna datur meritis ex justitia commutativa, sepositis imperfectionibus.* II. *Deus remunerat ultra condignum.* III. *In quo id consistit.*

AN est actus justitiæ propriè dictæ, quo Deus reddit pro meritis præmia?

I. R. Quidam volunt, tantum intervenire obligationem fidelitatis vel gratitudinis: alii dicunt, Deum ex justitia distributiva retribuere mercedem meritis, non tamen ex debito justitiæ commutativæ; sed rectè cùm Suarez, Sylvio, Daelman et aliis dicitur, quòd Deus retribuat meritis præmia ex justitia commutativa, si consideretur absque imperfectionibus.

Id ipsum probatur ex textibus numero superiori adductis, ubi gloria vocatur corona justitiæ, merces, &c. item Matth. cap. 20. comparatur mercedi operariorum.

Obj. I. S. Thom. hìc in "Corp." et in magistrum negat justitiam commutativam inter Deum et hominem: ergo, &c.

R. Nego antec. nam S. Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 4. ad 1. dicit: "Forma judicii divini attenditur secundùm "rationem justitiæ commutativæ, prout scilicet recompensat "præmia meritis et supplicia peccatis." Itaque S.Thom. in locis objectis tantùm removet à Deo justitiam commutativam secundum imperfectiones quas habet inter homines, quatenùs scilicet importat rationem dati et accepti, aut est ad utilitatem utriusque, vel inquantùm commutantes sese privant dominio rei; vel dici potest, quòd neget justitiam illam rigidam, quæ excludit gratiam homini factam; nam merita nostra præsupponunt gratiam antea à Deo datam et liberaliter collatam, eique totaliter innituntur.

Obj. II. Si justi postea peccent mortaliter, non datur illis gloria æterna: ergo illa gloria non debetur meritis justorum ex justitia.

R. Nego conseq. quia Deus hic non deficit, sed homo in culpa est, qui merita illa per peccatum mortale mortificat, et tale impedimentum ponit, ut effectus sequi non possit: sicut causæ naturales deficiunt à suis effectibus propter superveniens impedimentum.

An Deus merita justorum remunerat ultra condignum?

II. R. Affirm. idque non tantùm quatenùs merita sunt à libero arbitrio, sed etiam quatenùs procedunt à gratia, ita ut Deus æqualitatem justitiæ servans minorem mercedem retribuere posset.

Probatur ex Luc. cap. 6. v. 38. ubi de bonis operibus dicitur: "Mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et "supereffluentem dabunt in sinum vestrum." Vide etiam Luc. cap. 19. v. 13. parabolam de decem mnis: idem colligere licet ex propositione 14. damnata inter Bajanas.

In quo consistit illud "ultra condignum?"

III. R. Videtur consistere 1°. in duratione, quæ cùm momentanea sit in operibus meritoriis, æterna est in præmio.

2°. In quadam majori perfectione et intensione visionis ac fruitionis beatificæ, quàm opera mereantur.

An nullus sine meritis consequitur beatitudinem æternam?

R. Nullus homo sine meritis Christi consequitur vitam æternam: sic pueri et perpetuò amentes salvantur per merita Christi eis applicata in Baptismo: in cæteris adultis præterea requiruntur merita personalia bonorum operum, si illa operari potuerint.

N. 37. DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD MERITUM DE CONDIGNO.

I. *Septem conditiones meriti de condigno.* II. *Opus debet esse liberum,* III. *Bonum,* IV. *Ex gratia actuali factum,* V. *Et in obsequium Dei.* VI. *Ut operans sit viator,* VII. *Et in statu gratiæ.* VIII. *Divina promissio.* IX. *Conditiones meriti de congruo.*

QUÆNAM conditiones requiruntur ad meritum de condigno apud Deum?

I. R. Requiruntur septem, quarum quatuor se tenent ex parte actûs, nimirum, ut sit liber, bonus, ex gratia actuali factus et in obsequium Dei. Duæ se tenent ex parte operantis, scilicet, ut sit viator et in statu gratiæ sanctifi-

cantis; septima se tenet ex parte Dei, ut scilicet intercedat divina promissio, quâ tali operi promittatur merces.

Quid importat prima conditio?

II. R. Quòd opus debeat esse liberum libertate indifferentiæ, estque de fide post condemnationem propositionis tertiæ Jansenii, ut probatum est Tract. "de Actib." Hum." Num. 21.

Quid significat secunda conditio?

III. R. Quòd opera indifferentia, si talia darentur in individuo, non sint meritoria,

Quid tertiâ conditione importatur?

IV. R. Quòd opera moraliter tantùm bona, quæ scilicet fiunt solis naturæ viribus, non sint meritoria, etsi fierent ab homine justo; quia non procedunt ex gratia, cujus meritum est effectus, nec sunt proportionata merito supernaturali, cùm sint naturalia.

Quid quartâ conditione significatur?

V. R. Quòd opus debeat referri ad obsequium Dei; quia aliàs non esset ratio, cur ab eo retributio expectaretur, præsertim secundùm justitiam.

Observa tam opera bona quæ sunt præcepti, quàm ea, quæ sunt consilii, posse esse meritoria: nam Matth. cap. 19. v. 17. Promittitur vita æterna servantibus mandata, et v. 29. Eadem vita promittitur servantibus Consilia Evangelica: imò tolerantia morborum et aliorum incommodorum potest esse meritoria et satisfactoria: quia illa tolerantia potest esse liberè acceptata à voluntate ex gratia et charitate.

Proba quintam conditionem, nempe quòd homo debeat esse viator.

VI. R. A ratione naturali id non videtur posse probari: sed hujus conditionis necessitas videtur provenire ex positiva ordinatione divina, nobis ex Scriptura Sacra et communi Ecclesiæ sensu manifestata: sic dicitur Eccli. cap. 14. v. 17. "Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam "non est apud inferos invenire cibum." Joan cap. 9. v. 4. dicit Christus: "Venit nox, quando nemo potest operari;" per noctem intelligens mortem, post quam asserit, neminem posse meritoriè operari.

Hinc dicit Sanctus Hieronymus in caput sextum 1°. ad Cor. "Tempus sementis est præsens vita; cùm transierit, "operandi tempus aufertur;" et S. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 4. ad 2. "Mereri et demereri pertinent ad statum viæ."

Collige, quòd Beati in Cœlo, animæ in purgatorio, et damnati in inferno, licèt hi peccare non cessent, et illi in bonis operibus perseverent, per ea tamen non ampliùs

mereantur, nec demereantur, ut eorum beatitudo vel damnatio augeatur.

Christus Dominus, licèt fuerit comprehensor seu beatus à primo instanti suæ conceptionis, fuit simul etiam viator, et eatenus meruit. Sancti apud Deum precibus suis bona nobis impetrant; sed propriè non merentur, nequidem de congruo.

Quis dicitur esse viator, seu in statu viæ?

R. Ille qui vivit in corpore conditione mortali: hinc probabile fit, quòd Enoch et Elias de facto non mereantur, quia non vivunt conditione mortali.

Proba sextam conditionem, quòd homo debeat esse in statu gratiæ sanctificantis.

VII. R. Probatur ex Joan. cap. 15. v. 4. "Sicut "palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit "in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis." Item 1. ad Cor. cap. 13. v. 3. "Si distribuero, &c. charitatem "autem non habuero, nihil mihi prodest."

Idem probari potest ex Trid. Sess. 6. cap. 16. et ex condemnatione proposit. 12. 13. 15. 17 & 18. inter Bajanas.

Itaque opera bona peccatorum etiam provenientia ex gratia actuali, ante infusionem gratiæ habitualis, non sunt de condigno meritoria.

An ergo peccator frustra incumbit bonis operibus?

R. Nullo modo: licèt enim non sint strictè meritoria, si tamen fiant per voluntatem inchoatam se convertendi ad Deum gratiâ excitatam, sunt præparatoria ad gratiam et illius impetratoria.

Declara septimam conditionem esse necessariam, nempe ut intercedat divina promissio.

VIII. R. Declaratur; quia nisi ista promissio interveniret, nullus esset titulus, ex quo obligatio justitiæ oriretur, cùm Deus sit supremus omnium Dominus, ac adeo omnia nostra opera tanquam sibi debita, variis titulis exigere possit.

Hanc promissionem factam ostendit Scriptura Sacra Jacobi cap. 1. v. 12. "Accipiet coronam vitæ, quam "repromisit Deus diligentibus se." Et ad Heb. cap. 10. v. 36. "Ut voluntatem Dei facientes reportetis promis-"sionem:" hinc dicit Trid. Sess. 6. cap. 16. "Bene "operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus pro-"ponenda est vita æterna, et tanquam gratia Filiis Dei per "Christum Jesum misericorditer promissa et tanquam "merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operi-"bus et meritis fideliter reddenda."

Obj. Multi rudes promissionem illam ignorant; atque tamen non ideo desinunt mereri: ergo, &c.

R. Negò conseq. quia non est necesse, ut omnes fideles illam promissionem explicitè cognoscant, sed sufficit aliquibus, quòd implicitè eam sciant, in hoc, quòd credant Deum esse gloriæ æternæ remuneratorem.

Quænam igitur opera sunt de condigno meritoria?

R. Cum. S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 9. in "Corp." omnis actus humanus, qui procedit à libero arbitrio, non solum per gratiam actualem moto, sed etiam gratiâ sanctificante informato, si sit relatus in Deum, est meritorius de condigno; atque ita non tantum actus charitatis, sed etiam temperantiæ, justitiæ et cujuscumque virtutis, sunt vitæ æternæ meritorii, et licèt meritum primario pertineat ad charitatem, ut ait S. Th. a. 4. secundario tamen pertinet etiam ad alias virtutes, quatenus earum actus à charitate imperantur sive informantur.

Quænam conditiones requiruntur ad meritum de congruo?

IX. R. Hæ; ut opus sit liberum, bonum, ex gratia actuali et in obsequium Dei factum ab homine viatore: non tamen requiritur status gratiæ, nec divina promissio.

N. 38. DE QUANTITATE MERITI.

I. *Quantitas meriti non est à sola charitate,* II. *Sed etiam à dignitate,* III. *Quantitate,* IV. *Et difficultate operis.*

AN tota quantitas valoris meriti dependet à sola quantitate charitatis?

I. Responsio negativa est communior, eo quod in actibus aliarum virtutum à charitate distinctarum sit quædam propria bonitas et dignitas ad præmium.

Probatur etiam ab inconvenienti: si enim penderet à solâ charitate, sequitur, quod duo, quorum unus servat virginitatem et alter incumbit matrimonio, ex æquali charitate æquè multum mereantur, cum tamen Trid. Sess. 24. can. 10. dicat: "Melius ac beatius esse manere in virgi-" nitate aut cælibatu, quàm jungi matrimonio."

Deinde dicit Apost. I. ad Cor. cap. 3. v. 8. "Unusquisque " propriam mercedem accipiet secundum suum laborem."

Undenam ergo petenda est quantitas meriti?

R. 1°. Et principaliter ex charitate: hinc homo faciens aliquod opus ex magna charitate plus sæpe meretur, quàm alius faciens opus majus & dignius, sed cum minori charitate.

II. 2°. Ex specie seu dignitate operis: sic actus fidei et Dei cæteris paribus sunt magis meritorii, quàm actus temperantiæ.

III. 3°. Ex quantitate operis: quæ duplex est, scilicet soluta, et hoc modo majus est opus distribuere centum

florenos pauperibus, quàm decem tantùm; alia quantitas est proportionalis, et hoc modo vidua pauper Marc. cap. 12. v. 43. mittens duo minuta in gazophylacium, dicitur à Christo plus omnibus misisse: utraque hæc quantitas auget meritum.

IV. 4°. Quantitas meriti augeretur ex aliis circumstantiis, v. g. durationis, intensionis, &c. maximè ex operis difficultate, dum illa provenit ex conditione ipsius operis; sed si difficultas proveniat ex defectu charitatis et propriæ voluntatis, non tantùm non auget meritum, sed etiam minuit; sic ille, cui ex ignavia difficile est orare, studere, &c. minus habet de merito.

N. 39. DE HIS QUÆ CADUNT SUB MERITUM.

I. *Nec prima gratia actualis.* II. *Nec prima habitualis est sub merito.* III. *Nisi de congruo latè.* IV. *Nullus alteri de condigno,* V. *Sed de congruo primam gratiam meretur.*

AN homo potest mereri primam gratiam?

I. R. Nullus homo potest, nequidem de congruo, sibi mereri primam gratiam actualem: quia omnia opera, illam gratiam præcedentia, sunt tantùm ordinis naturalis, nullamque cum gratia habent proportionem: hinc S. Augustinus contra Pelagianos sæpe declarat, gratiam non secundùm merita nostra dari. Vide Num. 14 & 15.

II. 2°. Nemo potest sibi de condigno mereri primam gratiam habitualem, sive remissionem peccatorum; dicit enim Trid. Sess. 6. cap. 8. "Nihil eorum, quæ justifica-" "tionem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justifica-" "tionis gratiam promeretur."

Obj. Dicitur I. Joan. cap. 1. v. 9. "Si confiteamur" "peccata nostra, et fidelis est et justus, ut remittat nobis" "peccata nostra." Ergo pœnitentes remissionem merentur, quia eam Deus ipsis promisit.

R. Nego conseq.: ad rationem dicendum, quòd Deus remissionem peccatorum promiserit pœnitentibus, non ut mercedem vel coronam, sed solùm ut liberale donum: itaque illa promissio non inducit obligationem justitiæ, quæ fundatur in condignitate operum pœnitentis, sed tantùm continet assertionem veritatis et fidelitatis ex parte Dei.

An homo pœnitens non meretur saltem de congruo primam gratiam habitualem et remissionem peccatorum?

III. R. Sylvius, Daelman et quidam alii affirmant; sed alii Auctores hìc non admittunt nisi meritum de congruo latiùs sumptum, quatenùs omnis dispositio dicitur habere congruitatem respectu formæ, ad quam disponit.

An potest homo alteri mereri primam gratiam?

IV. R. 1°. Nullus quantumvis justus, præter Christum Dominum, potest alteri de condigno mereri primam gratiam, sive habitualem, sive actualem; quia gratia unicuique datur, ut ipse ad vitam æternam perveniat: ergo meritum de condigno ultra illum finem se non extendit, cùm meritum ex divina ordinatione pendeat, ut ait S. Th.

V. 2°. Homo justus potest mereri de congruo alteri primam gratiam, tam actualem, quàm habitualem; cùm enim homo in gratia constitutus impleat Dei voluntatem, congruum est secundùm amicitiæ leges, ut Deus impleat istius hominis voluntatem, dando gratiam, quæ est initium salutis ei pro quo oravit: ita conversio Pauli tribuitur orationi Stephani, conversio S. Augustini orationi matris ejus Monicæ, et ideo dicit S. Jacobus Epist. suæ cap. 5. v. 16. "Orate pro invicem, ut salvemini: multùm enim valet "deprecatio justi assidua."

Nota tamen, quòd fortè sæpius contingat, alterum gratiam non consequi ob impedimentum positum et culpam suam, atque ita hoc meritum non semper infallibiliter impetrare: hinc Jeremiæ 15. v. 1. dicitur: "Si steterit Moyses et "Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum."

N. 40. DE MERITO PERSEVERANTIÆ ET REPARATIONIS POST LAPSUM.

S. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 7. 8 *&* 9.

I. *Perseverantia non est sub merito,* II. *Sed potest impetrari;* III. *Quod differt à merito.* IV. *Reparatio post lapsum non est sub merito.* V. *Sed potest etiam impetrari.* VI. *Justus meretur augmentum.*

AN homo potest sibi mereri perseverantiam?

I. R. Non potest homo de condigno sibi mereri donum perseverantiæ, seu ut permaneat in justitia usque ad mortem; quia Deus dat donum perseverantiæ per modum principii perveniendi ad gloriam: jam autem principium meriti non cadit sub meritum: deinde nunquam Deus promisit donum istud perseverantiæ per modum præmii aut mercedis respectu meritorum præcedentium.

II. Varii existimant, quòd donum perseverantiæ cadat sub meritum de congruo, juxta illud S. Augustini lib. "de "dono perseverantiæ" cap. 6. "Hoc Dei donum sup-"pliciter emereri potest." Verùm alii plures dictum S. August. intelligunt de merito congruo latè dicto, pro impetratione fundata in liberalitate Dei, sive docent justum tantùm posse per preces impetrare perseverantiæ donum.

III. Nota hic differentiam inter impetrare, et mereri de congruo: scilicet ratio impetrationis innititur solùm munificentiæ et liberalitati donantis vel dignitati operis: ratio autem meriti de congruo fundatur ulteriùs in bona quadam qualitate operis habente aliquam proportionem et congruitatem ad retributionem: ita quod meremur, præmium; quod impetramus, gratia vocatur: sic pauper propriè non meretur sed impetrat eleëmosynam.

An homo justus potest nunc mereri, ut, casu quo in peccatum mortale labatur, detur tunc ipsi pœnitentia et remissio ejusdem peccati mortalis?

R. S. Thom. art. 7. in "Corp." neminem hoc sibi posse mereri neque de condigno, neque de congruo, juxta illud Ezech. cap. 33. v. 12. "Justitia justi non liberabit eum, "in quacumque die peccaverit." Vide etiam cap. 18. v. 24.

IV. Ratio est, quòd meritum, quo quis alteri meretur primam gratiam, impediatur ab effectu, si iste alter obicem ponat: multò igitur magis impedietur, si nos ipsi obicem ponamus; quia tunc impedimentum ponitur non solùm in eo, cui meritum fieret, sed etiam in ipso merente.

Bellarminus, Gonet, et alii rursùs dicunt, justum posse hanc reparationem mereri de congruo latè dicto; quia idem admittere videtur S. Thom. lect. 3. in cap. 6. ad Hebr. sed hoc negat Sylvius ad art. 7. citatum.

V. Cæterùm omnes admittunt justum posse à Deo petere, ac interdum impetrare, ut si contingat eum peccare mortaliter, iterum resurgat, juxta illud Psalm. 70. v. 9. "Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me."

An homo potest sibi mereri augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ?

VI. R. De fide est, quòd justus illud augmentum possit sibi mereri et quidem de condigno: ut patet ex Trid. Sess. 6. can. 24 & 32.

Probatur ex Scriptura, S. Prov. cap. 4. v. 18. "Justorum semita......procedit et crescit usque ad perfectam "diem." Matth. cap. 25. v. 29. "Omni habenti dabitur "et abundabit," et Apocal. cap. 22. v. 11. "Qui justus est, "justificetur adhuc."

Probatur etiam ex S. Aug. qui Epist. 106. sic loquitur: "Gratia meretur augeri, et aucta meretur perfici."

N. 41. DE MERITO BONORUM TEMPORALIUM.

S. Thom. 1. 2. *quæst. ultimâ, art.* 10.

I. *Bona temporalia, ut ad salutem utilia.* II. *Sunt sub merito de condigno.* III. *Aliter sub congruo.*

AN bona temporalia cadunt sub meritum?

I. R. Bona temporalia, ait S. Thom. dupliciter considerari possunt, 1°. secundùm se, ut sunt bona naturalia; 2°. prout utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam æternam. Itaque

II. R. 1°. Bona temporalia secundo modo considerata, ut sunt alicui necessaria vel utilia ad salutem consequendam, cadunt sub meritum de condigno, quatenùs ipsa temporalia reducuntur in ordinem supernaturalem.

Hæc videtur esse firma sententia S. Thomæ dicentis in "Corp." quòd illa directè et simpliciter cadant sub meritum, sicut et augmentum gratiæ, et omnia illa, quibus homo juvatur ad perveniendum ad beatitudinem, secundùm illud Psalmi 33. v. 11. "Inquirentes Dominum non minuentur "omni bono."

Hinc collige quo fine bona temporalia licitè et sanctè à Deo petamus, inquantùm nimirum conducunt ad salutem.

Obj. Justis bona temporalia postulantibus sæpe illa non conceduntur: ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia id provenit vel ex eo, quòd illa bona temporalia ad ipsorum salutem non conducerent, vel Deus eadem compenset bonis magis salutaribus, vel quòd non bene petantur: debent enim tantùm peti sub conditione prout conducunt ad salutem.

III. R. 2°. Bona temporalia, secundùm se considerata absque ordine ad salutem æternam, non cadunt sub meritum de condigno: "secundùm quid" tamen cadunt sub meritum, ut ait S. Thom. hoc est sub meritum de congruo, quatenùs attentâ Dei bonitate et liberalitate, congruum aliquo modo videtur, ut operibus moraliter bonis, quoddam bonum reddat ejusdem ordinis; ita obstetrices Ægptiorum Exodi 1. quia servabant masculos Hebræorum, remuneratæ sunt à Deo, non ob mendacium, sed ob misericordiam.

Sic etiam ostendit S. Augustinus lib. 5. "de Civit. Dei." cap. 15. Romanos à Deo imperium et dominium orbis promeruisse zelo justitiæ, amore patriæ, civili benovolentiâ, &c.

Sic etiam videmus hæreticos nostri temporis ex merito politicæ disciplinæ mercedem reportare abundantiæ divitiarum.

Hinc concludit S. Thom. in 2. dist. 27. q. 1. art. 4. dicens frequenter, ut Gregorius dicit: "Deus in hoc mundo re-"munerat eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, "ut nullum bonum irremuneratum inveniatur."

FINIS TRACTATUS DE MERITO.

INDEX.

Prior Numerus designat Numerum Marginalem, Posterior indicat Paginam.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS IN GENERALI.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DE ECCLESIA.

DE VIRTUTE SPEI.

DE VIRTUTE CHARITATIS.

DE LEGIBUS.

DE SUBDITIS LEGUM.

DE OBLIGATIONE LEGUM.

DE FINE ET MODIS IMPLENDI LEGEM.

DE MODIS QUIBUS LEX CESSAT.

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

DE GRATIA.

DE JUSTIFICATIONE.

DE MERITO.

FINIS INDICIS.

